
5 43



*Ianus Nicius
Erythræus*

JANI NICII ERYTHRÆI
PINACOTHECA
IMAGINUM
ILLUSTRIUM
DOCTRINÆ VEL INGENII LAUDE
VIRORUM
QUI
AUCTORE SUPERSTITE DIEM
SUUM OBIERUNT.

EDITIO NOVA.





GUELFERBYTI,
APUD JO. CHRISTOPH. MEISNERUM.

ANNO M DCC XXIX.



Illustrissimo ac Reverendissimo

DOMINO

D. FABIO CHISIO,

Apud Ubios Sedis Apostolicæ Nuncio,

IANUS NICIUS ERYTHRÆUS.

POstquam singularis tua virtus, ingenium, eruditio, atque sapientia memet mihi eripuit, arctissimoque amoris nexu tibi devinxit, sentio, illud mihi evenire, quod doctissime ingeniosissimeque commentus est Plato; nempe meum a me animum abesse in remotissimis istis regionibus, tantoque a nobis intervallo disjunctis peregrinari, tecum una vivere, fabulari, neque a latere tuo uspiam abscedere. Sed inter tot tantasque voluptates, quas ex te percipit, una tantum cura eum anxium habet; videlicet, ut tuis maximis in me beneficiis aliquam gratiam referat. Itaque nihil tam cogitat, quam ut quidpiam ad te remunerandum inveniat, si non pari, grato saltem aliquo munere. At cum oculos usquequaque convertat, in nulla re alia eos defigit, quæ quidem re digna videri possit, præterquam in Pinacotheca, quam nuper absolvi, conflatam ex imaginibus, tum clarissimorum hominum, atque omni virtute principum, tum quorundam aliorum, in quibus aliqua ingenii forma enituit. Sed quoniam multis erat vitiis depravata, atque distorta, multitudinis in se oculos sermonesque convertit; atque, cum nihil melius occurrat, pro ære alieno quo obstringitur quod dissolvat, quasi aliquo judicio

)(2 eam

eam tibi Pinacothecam adjudicare, teque in ejus poſſeſſionem immittere ſtatuit. Neque id fortaſſe erit a re tua alienum. Nam, ſi a negociis publicis feriatus, tanquam in eam ingredi, relaxandi animi cauſa, volueris, multa poteris in ea ſpatia facere, & formarum varietate oculos paſcere, & curas animi pellere. Nam earum aliæ admirationem, riſum aliæ movebunt. Nihil prætermiſſum eſt a me, quod quidem ad notitiam meam pervenerit, quod ad eas imagines delineandas, & ad vivum exprimendas, requireretur, rudi ſane penicillo; at fuit optanda tua illa vis ingenii, & orationis, qua, quidquid tibi libitum eſt, ita affabre, ita concinne eleganterque, verbis, tanquam coloribus, exprimis, ut illud non tam deſcribere, quam oculis ſubjicere videaris. Equidem cum, præter alia, ad illud egregium nuperum carmen me confero, quo tu totum iter tuum, ab inſula Melitenſi Coloniam usque, elegantiſſimis verſibus complecteris, horrere ſoleo; tot maria, tot flumina, tot regiones, elegantiſſimo ſermone, ſolertius exprimis, quam pictor quivis coloribus ſimulaſſet, tot urbium nomina, quæ nemo, poſſe dici verſu, exiſtimaſſet, ſumma cum venuſtate atque admiratione, pedibus ſuis illigata, ad heroici carminis leges ac numeros exigis: & id quidem ſucciſivis horis, iter agens, & in pugillaribus deſcribens. Quid aliis eveniat neſcio; ego, cum illud lego, tecum videor ab inſula Melita diſcedere, mare ingredi, per Siciliam iter facere, Neapoli tranſire, Urbem ingredi, ab eadem egredi,

Fer-

Ferrariam, Veronam, aliaque multa Italiæ oppida aſpicere, immenſa Germaniæ ſpatia emetiri, ne multa, tectum Coloniam ingredi. Verum tantam vim eloquentiæ longe eſt optare, quam ſperare, facilius; noſtra vero ars quid efficere hoc potuit amplius? Neque tamen dubito, quin Pinacotheca hæc mea, multorum ad ſe ſtudia conciliatura ſit. Nam tuo clariſſimo nomine, cui inſcribitur, capti, ardebunt cupiditate inſpiciundi, quid in ea contineatur. Illud me bono eſſe animo jubet, quod imagines ibi diſpoſitas,utpote nec Zeuxis nec Apellis manu factas, ſi non laudabunt, tua tamen auctoritate deterriti, prorſus improbare non ſuſtinebunt. Cui enim auctoritas tua non in primis gravis videatur, cum ab homine, ſumma nobilitate, ſingulari ingenio, ac maximis rebus geſtis, emanet? qui graviſſimas provincias, tibi commiſſas, tanta cum prudentiæ omniumque virtutum laude adminiſtraſti, ut majoribus ſemper dignus ſis habitus? Primum Romæ ſanctiſſimo doctiſſimoque Pontifici Urbano VIII a referendis ſupplicibus libellis, mox Ferrariæ prolegatus, difficillimis temporibus, res arduas implicatasque tibi traditas, ita faciles explicatasque, opera conſilioque tuo, reddidiſti, ut omnium in te oculos atque ora converteres; ac ſtatim Melitam, fidei cauſarum Quæſitor ac delegatus Apoſtolicus, & inde Coloniam, Sanctæ Sedis Nuncius cum poteſtate Legati de Latere, mittereris; ubi nunc, in totius Germaniæ luce, ita verſaris, ut æquitatem tuam ſuſpiciant omnes, prudentiam admirentur, innocentiam, Catholicæ fidei hoſtes etiam, in cælum laudibus efferant. Nulla in te avaritiæ ſuſpicio, nullum contumacis animi ſignum, nullum elati indicium apparet; nulli volentibus te adire, aditus intercluſi inveniuntur, ſed omnibus aperti atque patentes; nemini moroſus, iracundus, parcus, ſed cunctis ſemper es comis, mitis, liberalis, atque beneficus. Sed alius erit de te dicendi locus; neque enim hoc mihi propoſitum eſt in præſentia, ſed tantum a te petere, ut Pinacothecæ meæ foribus tuum nomen inſcribi patiaris, quo ejus gravitate atque ſplendore operi, ceteroqui humili atque obſcuro, gravitatis ac luminis plurimum arceſſatur. Vale.

IDEM LECTORI.

SI tantum mihi tributum a natura ingenium fuisset, ut possem illustrium virorum memoriam meis scriptis immortalitati mandare; nullum esset tam arctum obligationis vinculum, quo non mihi obstricti tenerentur ii, quorum imaginibus Pinacothecam meam instruxi. Verum, quia non ea mihi ingenii vis contigit, ut possem cuiquam laudem, gloriam, æternitatemque tribuere, mea tamen illis voluntas studiumque (si aliquis harum rerum sensus in mortuis residet) gratum esse in primis debet, quod optaverim, quæ de illorum laudibus posteritati mandassem, esse æterna, ideoque hoc illis præsidium ad immortalitatem nominis adipiscendam comparaverim. Sed adeo ab opinione mea abest, ut credam, posse mea scripta vim mortis effugere, ut satis bene ac feliciter illis eventurum existimem, si semel in hominum conspectum prodire, atque aliquam, neque ita longam, communis usuram lucis usurpare contingat. Sed ut id quoque minus illis procedat, mihi sat erit non ignobilem obtigisse materiam, in qua elaboranda, ocium meum honeste ac cum voluptate traducerem, neque vitam, ut ait ille, pecudum more transigerem, &, quoniam me ad id ætatis natura perduxit, in qua senectutem oblectarem meam. Nam senectus, nisi amœnis jucundisque rebus tractandis sublevetur, necesse est, ut deserta ac languida jaceat, ac molestiis odiosisqve cogitationibus succumbat, quæ solicitam ac miseram eam habeant. At quænam animi sive corporis oblectatio potest esse tanta, quæ comparanda ad eam sit, quæ ex literarum tractatione percipitur? Inter quam voluptatem aliasque hoc etiam interest, quod aliæ in nullum fere opus exeunt, quod magnopere laudes, immo simul ac perceptæ sunt, abeunt,

5

eunt, neque aliquod post se vestigium sui relinquunt; ut talorum, ut pilæ lusus; ut cantus, saltationes, convivia; ne cætera, quæ minus honesta, commemorem: hæc vero liberalissima & humanissima animi remissio plerumque ex se aliquid gignit, quod perpetuo maneat, tibique sit utile, ac prosit aliis. Quod si isthæc, plena dignitatis jucunditatisque, a me suscepta exercitatio nacta esset ingenium præstans ac magnum, quasi pingue aliquod solum ac fertile, quanto uberiores illa fructus dedisset! Sed quoniam incidit in meum jejunum ac miserum; accidit illi, quod semini optimo, in segetem deteriorem dato, quod non sua vi, sed agri malignitate, degenerat in aliquod, a sua bonitate alienum. Verum quidquid illud est, quod mei vires ingenii peperere, tibi, lector humanissime, tanquam pabulum aliquod, antepono; ut, si illud neque insuave, neque succi totius expers, invenias, eo animum pascas ac satures; sin autem acerbum & cassa nuce inanius offendas, tanquam vitiosa ac marcida poma, rejicias, ad pecudum, hoc est, ad blattarum ac murium, pastum. Eorum tantum imagines in hanc Pinacothecam intuli, qui, mea ætate, memoria digni extitere, quique, me vivo, fato functi sunt suo; neque tamen omnium imagines sum complexus, sed eorum tantum, qui mihi, vel amicitia conjuncti, vel auditione & fama noti fuere; eos autem, de quibus tacui, iratos non vereor, quod se fuisse neglectos querantur; quoniam mortui omnino irasci nesciunt: quamquam neglecti non sunt dicendi ii, quorum ego scripta non legerim, quosque ne natos quidem noverim. Sed neque iis, de quorum memoria commemoravimus, lucri, neque iis, quos silentio præterivimus, damni, sane multum accessit. Etenim is sum, ut antea dixi, qui, ora-

tione mea obscurare, quam illustrare, facilius clarorum virorum laudes possim. Illud utrisque optandum est magis, ut feliciori, quam ego sum, ortis ingenio, hanc Deus mentem injiciat, ut ipsorum laudes, quos ingenio, eruditione, doctrina, cæteris hac ætate natis præstitisse constat, monumentis ac literis mandare constituant. Postremo, nulla in his imaginibus disponendis habita est a me ætatis vel dignitatis hominum ratio, ut honestiores formosioresque seorsim ab aliis constituerentur; sed eo singulas loco atque ordine collocavi, quo sese mihi obtulerunt: neque alium eas inter se distinguendi laborem esse sumendum statui; primum, quia formosorum vultus, cum turpibus compositi, extant ac prominent magis; deinde, quia melius satietati fastidioque inspicientium occurritur, si eisdem illi simul permisti proponantur, quam si illi, qui formæ suæ bono admirationem faciunt, separentur ab iis, qui in aliquo insigni ad irridendum vitio inveniuntur. Vale.

IANI

IANI NICII ERYTHRÆI
Elogium
Ex Hetruſcis Laurentii Craſſi Virorum literis illuſtrium Elogiis ſtylo liberiore expreſſum.

SEnſu communi careat neceſſe eſt, qui æternis laudibus mactandum non cenſuerit IANUM NICIUM ERYTHRÆUM; ſi enim opera ejus, variæ rerum atque artium ſcientiæ plena, oculo fideli perluſtrentur, omnes profecto ingenuæ veritatis cultores eruditionem Viri iis quæ meretur elogiis deprædicabunt. Qui ſi poſtea modeſtiam ejus examinarint, hanc ipſam admiratione digniſſimam judicabunt, eo quod nunquam permittere voluerit, ut proprium nomen libris a ſe conſcriptis præfigeretur. Fuit autem nobili apud Romanos loco natus, veroque nomine IOHANNES VICTOR ROSCIUS audiit. Cæterum in adoleſcentia ſtatim bonis artibus deditus, cum ad ætatem maturiorem perveniſſet, doctique Viri famam optimo ſibi jure comparaſſet, Domos Principum Romanorum non aliam ob cauſam frequentavit, quam ut fortunam, alias ſat mediocrem, licitis & honeſtis modis amplificaret. Quia vero moribus admodum venuſtis utebatur, brevi tempore gratiam, non Procerum tantummodo, ſed aliorum etiam præſtanti ingenio ac virtute Virorum tenuit, ut impenſe ab illis adamaretur. Etenim quo animi candore erat, minime per obliquas atque malas artes ad ſplendorem & magnificentiam graſſabatur, verum

se ipso contentus, Socratis exemplo, placida quietaque constantia, tum secundis, tum adversis suis rebus, vitam traducebat. Tenacissimus alioqui amicitiarum cultor, nec Læliis, Ciceroni tantopere deprædicatis,nisi tempore forsan inferior. Indignabatur idcirco sæpe iis, qui se in omnes formas fingunt, nec id tamen satis fortasse prudenter, aut ex re sua, cum aulæ, ut se nunc præsertim dant mores, non nisi simulando & dissimulando regantur. Apud Cardinalem deinde Perettum nobili sane conditione serviens primum in amicitia ejus locum occupavit, Purpurato, qui experimentum Viri cœperat, sæpe numero, cum res ita ferret, plurima ex consilio ipsius faciente. Enimvero hic, dum otio aulico fruebatur, opera a se incoata non tantum perfecit, sed cum Viris etiam Excellentibus communicavit,illorumque animos eruditione sua quodammodo exsaturavit. Munditiei inprimis & nitoris, illiusque, quæ Romanis quasi propria est, urbanitatis, ut ex scriptis videre est, perquam studiosus. Ast Patrono postea mortuo ipse tanta jactura vitam sibi acerbam redditam animadvertens, omnesque cum eo spes suas quasi contumulatas existimans, ne fortunæ, in atriis Potentum nimium dominantis, insultibus amplius subjaceret, majoremque ad lucubrationes suas elaborandas quietem nancisceretur, sibi ipsi vivere decrevit: eaque de causa aulæ valedicens, locum a turba remotum elegit,ubi illi,cui adsueverat, studiorum rationi porro inhæsit. Penetravit se in illo secessu, ut vi ingenii plane stupen-

penda pollebat, in arcanos quosque Oraculorum Divinorum ſenſus, adhibitisque una cum ſanctis naſcentis Eccleſiæ Doctoribus, recentioribus quoque Interpretibus, reconditæ & ſelectæ eruditionis documenta, luce poſtmodum donata, excerpſit. Neque hic tamen ſubſtitit, ſed alia plura eaque multiplicis doctrinæ plena volumina publicavit, diſſimulato tamen vero IOHANNIS VICTORIS ROSCII, fictoque IANI NICII ERYTHRÆi nomine aſſumto. Qua de re varie, ut fieri amat, prudentes ſenſerunt. Quidam enim in animum ſibi induxerunt, hoc ideo ab ipſo factum, ut, quaſi Apelles poſt tabulam, quonam opera ſua plauſu exciperentur, exploraret. Alii contra literatæ cuidam ſuperbiæ hanc diſſimulationem adſcripſerunt, ut nimirum hac ratione Orbis eruditus non minus in nomen, quam libros Auctoris, inquireret. Plerique id a ſumma quadam modeſtia profectum voluerunt. Cordatiores autem credidere ipſum exemplo Jacobi Sannazarii, Actium ſeſe Sincerum indigitantis, IANI NICII ERYTHRÆI nomen adoptaſſe. Cæterum, quocunque tandem modo iſta ſe habeant, dignus revera eſt noſter, qui ab omnibus ingeniorum excellentium æſtimatoribus magnifiat. Præmium tamen tot ſudorum, quod ipſum a Fabio Chiſio,ad Pontificis deinde Maximi ſub Alexandri VII. nomine, faſtigium evecto, pro ſummo quo noſtrum complectebatur amore, haud dubie luculentum manebat, mors avara intercepit. Ex quo diſcere licet, quam inſtabilis, quamque im-

per-

perfecta sit felicitas humana. Pervenit autem, dum privatus, animo firmo atque imperturbato vitam ageret, ad extremam usque senectam, vivusque gloriæ suæ interfuit, cum opera, si non omnia, pleraque tamen typis elegantissimis excudi, mirificaque a Literatis omnibus gratulatione excipi vidisset. Tandem morbis, iisque continuis, magis quam ætate confectus, totusque ad auctorem suum, Deum ter optimum maximum, & pulcritudinis nunquam defluxuræ, quæ in cælis est, contemplationem conversus, ultimum vitæ terminum attigit, facultatibusque ad usus religiosos destinatis, ita finiit, ut aliis exemplo foret, quomodo rebus mortalibus sit excedendum. Homo, ut paucis multa complectar, non magis in amicitiis colendis, quam aliorum moribus & ingeniis explorandis atque dijudicandis, liber & erectus.

Obiit Romæ Id. Nov. cIↃ IↃ C XLVII.



IANI NICII ERYTHRÆI PINACOTHECA

Imaginum illuſtrium doctrinæ vel ingenii laude virorum, qui, auctore ſuperſtite, diem ſuum obierunt.

MARTINVS AZPILCVETA, NAVARRVS.

SI de cujusque ingenio ac facultate exiſtimare ex celebritate nominis liceat, (quod magnos ſæpe viros, non tam virtute, quam nobilitate metimur) non video, quem anteponam Martino Azpilcuetæ Navarro, juris pontificii, ſacrorumque canonum, noſtra tempeſtate, antiſtiti. Ea enim, de ſingulari hominis doctrina, omnium animos invaſerat opinio, ut domus ejusdem, non unius modo civitatis, ſed totius orbis terrarum oraculum haberetur, quo omnes confugerent, unde, in ſuis rebus dubiis, reſponſum referrent, quodque dictum ab eo eſſet, non aliunde quam ex Apollinis ore prolatum acciperent. Denique, quemadmodum olim Roſcius, nobilis hiſtrio, aſſecutus fuerat, ut in quo quisque artificio excelleret, is in ſuo genere Roſcius diceretur; ita is, converſis in ſe hominum ſtudiis, ſibi pepererat, ut ex ſuo nomine, non jam hominis, ſed honoris vocabulo, quicunque in aliqua facultate excelleret, Navarrus appellaretur. Fuit tribus ſummis Pontificibus eximie carus, Pio V, Gregorio XIII, & Sixto V, ut non alio conſultore uterentur, in iis dijudicandis, quibus conſcientia conſtricti tenemur. Ac Gregorius XIII. tantum homini honorem habuit, ut, cum per Vrbem iter habens, ante ejus ædes obequitaret, (nam ſtrenuum illum principem, quamvis ætate decrepita, vix quisquam in itinere, niſi in equo ſedentem, aſpexit) continuo juberet evocari eum foras, & integram fere horam,

ram, in via, detineret. Literarum cupiditate usque adeo flagravit, ut eam, annorum accessione, non modo non remiserit, verum etiam acrius vehementiusque inflammarit. Nec mirum: nam ceterarum rerum voluntates eo angustius coarctantur, atque actiorem, ut ita dicam, in gyrum compelluntur, quo laxiore se spacio hominum vita diffundit: at hæc liberalissima humanissimaque studia non minuuntur ætate, sed augentur. Itaque non antea, legendi commentandique, quam vivendi, finem fecit; atque dies, ante suum e vita discessum, non amplius quinque, discendi, ac de jure respondendi laborem studiumque remisit. Difficile est memoratu, quam multa ipse, vel scripserit, vel cum exacta jam ætas scribendi laborem ferre non posset, quam multa amanuensibus dictaverit, ea celeritate, ut dictantis cursum, scribentis manus assequi non posset: sed ex omnibus, quæ doctissime scripsit, ipsius nomen, longius in ævum propagabit Enchiridion, seu Manuale, quod vocant, quo tanquam cortice sublevati, qui confessiones excipiunt, lato scopulosoque illo, sui muneris tanquam pelago, in quo non pauci antea errassent, nare tutius possunt: quam ita docte sapienterque scribendi facultatem, multorum annorum labore studioque assecutus est, quibus Tolosæ, Salmanticæ, Conimbricæque jus Pontificium docuit, tanta auditorum suorum cum utilitate fructuque, ut multi ab ejus disciplina viri clarissimi doctissimique prodierint, quos inter Didacus Covarruvias, magistrum etiam ipsum, non minimo intervallo, superavit, ingenii præstantia, judicii acumine, magisque recondita exquisitaque doctrina; cujus nomen, ne eundem celebritatis in locum evolarit, quo Martini fama pervenit, popularis auræ favor effecit, qui non æque ipsi atque illi secundus afflavit: nam ita usu venire videmus, ut eo quis altiorem in opinione hominum locum obtineat, quo ejus opera, ut Navarro accidit, pluribus ac majoribus negociis adhibeatur. Sed præsertim Navarrus hominum animos, ad se, admirabili vitæ integritate & innocentia converterat; quam nunquam, ut multi faciunt, a præstantia doctrinæ segregandam esse duxit. Nullum diem abire sinebat, in quo horarias preces non reci-

recitaret, in quo humilibus ac demissis precibus Deo non supplicaret, ac rei divinæ faciendæ consuetudinem non teneret, nulla unquam ætatis excusatione usus est, cum annum ageret sextum supra nonagesimum; ad quam ætatem, parsimonia victus, & prætermittendis voluptatibus pervenerat, quo minus, indicta, Ecclesiæ legibus, jejunia, diligentissime persequeretur. Illud vero incredibilem, nulloque ætatis flexu inclinatam fatigatamque hominis pietatem ostendit, quod paucis, ante ejus interitum, mensibus, feriis, sacrosanctis Christi corporis mysteriis sacris atque solemnibus, invitatus a sodalitate, quæ Romæ est in Æde D. Andreæ, quam vocant a sepibus, divinam illam hostiam, prægrandi inclusam theca, ac sacerdotali indutus pallio, viarum duum ferme millium ambitu, gestaverit: quæ res fecit argutis piorum hominum sermonibus locum, qui dicerent, se vidisse Simeonem justum, Christum Dominum in manibus habentem; proinde posse eum, sicuti illum, a Deo postulare, ut sibi liceret ex corporis vinculis, tanquam e carcere evolare; jam enim nihil ei opus esse vita, qui Christum, non oculis modo accipiat, verum etiam complexu retineat. Pauperes vero ita cordi cari erant suo, ut sæpe de quotidianis sumptibus non parum demeret, suum defraudans genium, quo suppeditare illorum necessitatibus posset; ac Tolosæ, ac Salmanticæ, qui mane conspectus fuerat, in magna auditorum corona, de suggestu, jus Pontificium interpretari, vespere deprehendebatur, in Nosocomiis, infimæ sortis ægrotis, præcinctus linteolo, lectos sternere, sordes detergere, cibum in os inserere, nullum officii in eos genus, quantumvis illiberale vel sordidum, a se alienum ducere. Ingenio autem erat adeo liberali atque benefico, ut neminem, qui vel levissima saltem in re utilem ipsi operam dedisset, immunem a se abire pateretur; ac magna puerulis nobis, inter me, fratremque meum erat contentio, uter nostrum menstruum illi stipendium afferret, quod capiebat ex munere Consiliarii, de quo diximus; cum videlicet agebatur, quænam, pro noxiarum qualitate, imponendæ iis essent pœnæ, quos peccatorum suorum pœniteret. Nam parens noster, qui

ejusmodi pecuniis distribuendis præerat, quique esset ejus moris gnarus, quo nos nummo aliquo, sine suo sumptu, exhilararet, modo unum, modo alterum ex nobis, cum eo stipendio ad Navarrum mittebat; neque quisquam nostrum opinione, quæ de ejus liberalitate erat, deceptus, ab eo tristis abibat, sed nummo saltem argenteo auctus, se hilaris ad patrem recipiebat. Sed quid mirum, si tot virtutum comitatu instructus, vitæ iter haberet? Erat enim consentiens cum ea disciplina, quam profitebatur. Nam adolescens iis Canonicis nomen dederat, qui ab eo, quod certis quibusdam legibus se voti religione obstringunt, Regulares appellantur. Ore fuit invenusto, macilento, naso, aquilæ in morem, in medio prominente, in imo depresso, statura oblonga, sed formæ damna, ingenii, animique dotibus, compensabantur.

BERNARDINVS BALDVS.

BErnardinus Baldus Vrbinas, puer, dedit operam Io. Andreæ Palatio Fanensi, & Io. Antonio Turoneo Vrbinati, præstantissimis, suæ ætatis, Græcarum Latinarumque literarum magistris; e quorum scholis celeriter eruditus, excessit; & quo gravioribus studiis, quorum erat cupidus, melius obsequeretur, profectus est Pisas, ac Patavium; quæ duæ civitates, præ ceteris Italiæ, bonarum artium studiis, atque optimorum magistrorum copia florent. Nam, cum aliis, tum Imperii majestatem, tum divitiarum opumque splendorem, tum bellicæ virtutis laudem concesserint, & in ejusmodi rebus, ab iis animo æquo se vinci patiantur; attamen disciplinarum omnium quasi possessionem retinent; neque alio nomine, magnificentius elatiusque se jactant, quam quod Musarum ædes, doctrinarum sedem, ac sapientiæ domicilium, ab omnibus appellari se audiant. In his igitur gymnasiis, a doctissimis magistris Dialecticam, ac Physicam didicit; quibus facultatibus instructus, ad Emanuelem Margranium Cretensem se applicavit; qui inter eruditorum suæ nationis, hoc est, Græcorum, principes, numerabatur. Apud quem tantum profe-

profecit, ut eo duce, & cereum quodammodo lucente, obscurissima Græcorum quorundam poetarum loca penetraverit, eaque intelligentiæ tanquam oculis perlustraverit. Quamobrem ea est incensus animi alacritate atque fiducia, ut ausus sit poemata Græca in nostrum sermonem convertere, atque alia ipse nova ordiri atque intexere. Reversus in patriam, Mathematicas disciplinas toto, ut ajunt, pectore complexus est, Federico Commandino magistro, Mathematico, temporibus illis, præstantissimo. Nec inanis Federici labor, & studium, in Bernardino erudiendo fuit. Nam, qua erat celeritate ingenii, in accipiendis iis, quæ tradebantur, quidquid recondita in illa arte, multiplici, subtilique, concluditur, totum brevi possedit. Quibus artibus, ita Fernando Consagæ, Molfettæ Principi, & Guastallæ Domino, conciliatus, atque probatus est, ut summam ab eo retulerit mercedem laudis & gloriæ. Quarum laudum fama compulsus Vespasianus Conzaga, Sabionetæ Dux, accersivit illum ad se, & in locis Vitruvii obscurissimis difficillimisque, præter eum non alio usus est interprete atque magistro. Quæ fuit causa, ut egregium illud in Vitruvium opus aggrederetur atque perficeret; quod Augustæ editum, immortalem illi famam, apud Transalpinos homines peperit. Verum, humanitate, doctrina, & in Vespasianum fide, perfecit, ut ei unus, ante alios, esset carissimus. Sed non propterea Guastallæ Domino singularis ejus virtus effluxerat; sed in memoria penitus insederat. Nam cum Guastallæ nova dignitas hominis instituenda esset, qui Abbatis nomine, ac Pontificiis insignibus decoratus, rebus divinis præesset, &, propter magnitudinem potestatis, hic honor a multis expeteretur, perfecit oppidi Dominus, ut Bernardino mandaretur, cujus probitatem ac fidem perspectam habebat. At ille tanto honore auctus, sacrisque initiatus, quo munus, quod sustinebat, tueri rectius posset, reliquum vitæ suæ tempus sacris literis earumque interpretibus penitus cognoscendis deberi constituit. In quo genere studiorum, sicut in reliquis, inventus est sui simillimus; nimirum brevi egregie doctus atque perfectus. Quamobrem tantam hanc quoque

 sapien-

ſapientiam vimque doctrinæ aſſecutus multo ille poterat verius, quam Heleus Hippias gloriari, nihil eſſe, ulla in arte, rerum omnium, quod ipſe neſciret; harum, inquam, artium, quibus liberales doctrinæ atque ingenuæ continentur, Theologiæ, Philoſophiæ, Geometriæ, ejusque quam Mathematici profitentur ſcientiæ, Poëſis, Artis Rhetoricæ, Architecturæ, aliarumque ingenuarum artium: nam illiberalium ſordidarumque nullam attigit: neque enim unquam audivi eum, ſicuti Hippiam, annulum, quem haberet, veſtem, qua tegeretur, calceos, quos indueret, ſe ſua manu confeciſſe; ſed hæc ſarcinatoribus, aurificibus, ac ſutoribus relinquebat; ut eſſet, quibus minus adjumenti a natura datum eſſet ad ſtudia literarum, in quo, ſi non ingenium, manum ſaltem exercerent. Sed non multum illi relictum fuiſſe ocii ad hæc humiliora opera recolenda, declarant ea, quæ tum Hetruſco, tum Latino ſermone, tum ſoluta oratione, tum verſibus, tum ad veteres hiſtorias, tum præſertim ad Mathematicas diſciplinas pertinentia, admirabili quadam laude ſcripſit: quorum tam magnus eſt numerus, ut iniri vix poſſit: & quamquam illud majorum vigiliarum opus, quod univerſi terrarum orbis regionum hiſtoriam ac deſcriptionem continebat, prope ad umbilicum perductum, non potuit abſolvere; attamen converſioni Heronis, de Automatibus, hoc eſt, de Machinis ſe moventibus, ac de Baliſtis & Catapultis, in Latinum ſermonem, Paradoxis Mathematicis, magnoque illi volumini, Novo-Gnomico nomine, Latine ſcripto, quod quinque libris diſtinctum, novam ſolariorum conficiendorum rationem continet, aliisque, extremam manum addidit. Factus Abbas & ſacris initiatus, ſtudium ſuum, ut diximus, tranſtulit ad ſacrarum literarum interpretationem, ac primum Ieroſolymitani templi, incredibili ſumptu, ac magnificentia, a rege Salomone excitati, deſcriptionem, per Hieremiam literis conſignatam & traditam, rem involutam, & multis difficultatibus obſeſſam, evolvit, illuſtravit, atque hominum intelligentiæ aperuit; librum tum ſcripſit de firmamento & aquis, quas, in mundi fabrica, Deus dicitur ſegregaſſe; & commentarium in

para-

paraphrasin Chaldæam Onchalis, in Latinum a se conversam, qua Pentateuchus, hoc est, quinque Moysis libri fusius explicantur; deinde, paraphrasi Latina, Hebræo ex fonte deducta, scholiis quibusdam additis, Iobi historiam maxime illustravit, explanavitque: voluit etiam Matthæi Evangelio, œconomia tropologica, moralibus sententiis, & ad vitam recte instituendam necessariis, confertissima, lucem addere; atque id, quod voluit, perfecit: quam scite interpretandi rationem, omnium linguarum notitia, assecutus est. Quam enim ille linguam non novit? Mitto Hetruscam, qua, orationes plures, Disputationes varias, Dialogos, Apologos, Federici & Guidi filii, Vrbini ducum vitas, rhythmos, eclogas, juveniles lusus, anni coronam, aliaque edidit; mitto Latinam, qua, in epigrammatibus, imitatus est Martialis argutias, in Odis, Horatii cultum & nitorem, in poëmatibus, Virgilii majestatem ac decus: mitto Gallicam, Germanicam, Hispanam, Illyricam; in quarum singulis ita loquebatur, ut si in eis natus esset: mitto, inquam, has omnes linguas; nonne Hebraicam, Chaldæam, Arabicam, res ad sacrarum literarum intelligentiam plane necessarias, adeo perceptas habebat, ut paucos haberet pares, superiorem fortasse neminem? Quid? ne veteris quidem, Siculorum ac Narbonensium, sermonis fuit expers; quos imitatus, plures in juventa rhythmos composuit. Sed quid veteres Narbonenses ac Siculos memoro, quorum sermonis plura adhuc in libris, non adumbrata, sed expressa vestigia cernuntur? Pristinam Hetruscam assecutus est linguam, cujus, tot ante sæculis extinctæ, tanquam ex rogo, vix tenuis aliquis fumus, in antiquissimis illis æneis tabulis emergit, quæ a S. P. Q. Eugubino servantur. Denique vir hic longe clarissimus, quemadmodum sanctissime vixerat, ita etiam sanctissime, in complexu cucullatorum patrum, extremum vitæ spiritum edidit.

A 4 IACO-

IACOBVS CLAVERIVS.

IAcobus Claverius Romanus, ex veteri Annibaldensium familia, a puero, ob generis nobilitatem, ac præstantem corporis formam, ingenuosque mores, Farnesianis Principibus conciliatus, fuit illis mirifice carus. Multa, in adolescentia delicate, jocoseque, multa etiam graviter ac prudenter ab eo dicta & facta narrantur; sed non est tanti, ea referre. Posteaquam robustior est factus, se intra Religiosorum claustra recipiendum adscribendumque curavit; sed non minus cucullatus, quam pileatus, in eorum Principum tutela præsidioque delituit, a quibus antea diligebatur: unde etiam nova spe semper inflatus, vel insigne aliquod sacerdotium, vel præfecturam expectabat. Suo postea tempore sacris initiatus, mittebatur quotannis, feriis esurialibus, in aliquem pagum, divinarum rerum interpres; atque etiam excipiendarum confessionum provinciam accepit; quæ res illi, conjungendæ cum multis amicitiæ, causa fuit, utque cupiditatem laudis & gloriæ, qua æstuabat, expleret. Nam tribunal, unde confessiones excipiebat, ostiolo templi propinquum habebat, qua discipulis, a scholis redeuntibus, transeundum necessario erat; ibi tanquam in statione manebat, & quemcunque adolescentem ingenio præstare audivisset, humanissimis verbis excipiebat, laudibus efferebat, suam illi operam pollicebatur, ac postea in cellulam deductum, juglande, melle condita, reficiebat; quibus blanditiis eo hominem adducebat, ut promitteret, se ejus laudes, quas ipse sigillatim enarrabat, vel prosa oratione, vel carmine celebraturum, ac per hanc rationem a multis, qui postea in literis clari & magni extiterunt, non inelegantes versus, suam in laudem, expressit: nec minus audacter poetarum hujus ac superioris ævi principes est aggressus, videlicet Annibalem Carum, Torquatum Tassum, Benedictum Varchium, Iulium Cæsarem Stellam, Porphyrium Felicianum; quorum scripta in ipsum carmina leguntur: hæc ille postea in duo volumina collecta edidit; quorum alterum Latina, alterum Hetru-

etrusca poemata continet; & utrisque præfixa est
us vita, oppido ridicula. At voluit homo cupidus lau-
s, vivens, gloriola sua frui; quibus rebus perfecerat,
tota Vrbe celebratum suum nomen esset. Induxit
iam, nescio quem religiosæ ejusdem familiæ rerum
starum scriptorem, ut suæ ipsum historiæ, summis
udibus ornatum, insereret. Quæ quamquam superio-
bus non probarentur, nemo tamen se illi audebat op-
nere, Alexandri Cardinalis Farnesii auctoritate de-
ritus; in cujus ille tutela erat, ut diximus. Sed eo
ortuo, ejectus est Viterbium, tanquam in exilium;
que inde antea revocatus, quam ejus vanitatis, qua
mo erat omnibus, memoria, in oblivionem diuturni-
e adducta esset. Prædixerant Genethliaci, ac Mathe-
tici, sive joco, sive serio, processurum eum honoribus
ngius, ac minimum ad purpuram perventurum: sed
nes eorum prædictiones fuisse, ostendit eventus: nam,
tex, est Romæ, anno 1600, post diem septimum, quam
cubuerat, lethali morbo consumptus.

FVLVIVS VRSINVS.

Vlvius Vrsinus, nobili paterno genere natus, pro-
pinquis suis minus gratus extitit, quod minus justo
cubitu natus esset. Sed ab illis spretus, exceptus est
entili Delphino Romano, Basilicæ Lateranensis Ca-
nico, & antiquitatis studioso, qui adolescentis inge-
m aspexerat & probaverat. Itaque ab eo primum
æcis ac Latinis literis institutus, tum in studium an-
titatis, in quo ille versabatur, compulsus, tantum
i profecit, ut non æqualium suorum modo, sed su-
iorum etiam omnium, qui eundem lapidem volve-
, laudem æquarit. Scripsit de familiis Romano-
elegantissime, eruditissimum de Triclinio Roma-
commentarium, cui Petrus Ciacconus, qui cum illi
mus usus amicitiaque, ut dicemus, intercedebat,
pauca addidit; neque liber ille sine hoc auctario
ur: emisit etiam diligenter elaboratas enucleatas-
animadversiones in Festi Pompeji librum de ver-
um significationibus, & in Latinos historicos notas.

In eo, quod agendum suscipiebat, longam semper moram ac diligentiam adhibebat, quo ab omni parte perfectum evaderet. Neque solum in iis, quæ scribebat, summam dabat operam, ne quid collocaretur, nisi diu multumque excogitatum, nec populari tantum trutina, sed artifices statera examinatum, verum in ceteris etiam rebus eadem erat cura ac diligentia; adeo ut uno eodemque die pluribus se negociis implicari non sineret, sed, ceteris omissis, unum eligeret, in quo versaretur, totusque in eo esset: ut non posset illi jure objici, quod iis, qui in plura studia distracti, in singulis minus attento sunt animo, dicitur, Vnum age. Pervetustis codicibus, quorum multos in sua bibliotheca habebat, immania precia faciebat: atque illud accidit perridicule, quod cum, die quodam, Francisco Cardinali Toleto, Terentii comœdias ostendisset, easque affirmasset ante annos mille fuisse conscriptas, ac revera essent antiquæ, sed mire depravatæ atque corruptæ, atque addidisset, nullam esse pecuniam, quæ antiquissimi illius codicis æstimationi par esset; proh Deus, Cardinalis inquit, quid audio? equidem mallem codicem unum, quantumvis recens impressum, sed castigatum emendatumque, quam decem alios mendosos & corruptos, quamvis Sybillæ manu exaratos: risus omnium, qui aderant, est factus, cum viderent, rerum earum precia, quæ ille in cœlum efferebat, Cardinalis æstimatione, sic concidisse. Hunc postea librum moriens, Bibliothecæ Vaticanæ legavit, una cum Francisci Petrarchæ rhythmis, auctoris ipsius manu conscriptis. Farnesianam aulam, duorum Cardinalium, Alexandri & Odoardi, familiaris, ornavit; quorum postremum, bonorum suorum hæredem reliquit; Delphinis, quorum domi fuerat altus educatusque, ac diem supremum obierat, sex aureorum millia legavit; quæ voluit esse grati sui erga illam familiam animi testimonium, unde tot in ipsum utilitates & commoda provenissent, atque illud idem, in Æde Constantiniana sacerdotium adeptus esset, quo Gentilis, qui in filii eum loco dilexerat, functus antea erat.

M. AN-

M. ANTONIVS MVRETVS.

M. Antonius Muretus Lemovix, magis scriptis suis, quam cujusquam oratione illustris. Cujus de virtutibus dubito, quemadmodum exponam. Nam tam multa, tanquam præclara laudum, in eum, genera conveniunt, ut sit difficile judicium excellentis maxime virtutis. Nam fuit primum Iurisconsultus, non unus e multis, sed inter multos propemodum singularis. Etenim Romæ, in publico Gymnasio, magna auditorum frequentia, interpretatus est Pandectas Iuris Civilis, non usitato vulgarium magistrorum more, sed novo, atque, ad eam diem, Romæ, in scholis inaudito, cum in docendo, Latini sermonis elegantiam, ab aliis neglectam, assumeret, multa ex Græcis scriptoribus depromeret, multa ex antiquitate repeteret, multa a Philosophorum disputationibus mutuaret. In Philosophia vero, non est facile dictu, quantum excelluerit; cujus notitiam, non ex cujuspiam dictantis commentariolis, tanquam ex seclusa aliqua aquula, hausit, sed ex Platone, atque Aristotele, quos, sua lingua loquentes, intelligebat, accepit, unde tanquam a fontibus, universum flumen erumpit. Itaque, & multos annos, Ethicorum Aristotelis libros Romæ explicavit, ingenti stipendio, & scripsit in ejusdem œconomiam, & topicam, in primum & secundum Platonis de Rep. librum, & in Cyropædiam Xenophontis, plenissimas doctrinæ & eruditionis notas. Iam vero, si recte loquendi ratio, si poëtarum enarratio, si historicorum pertractatio, si de unoquoque auctore judicando facultas, si de rhythmis metrisque scientia, si Astrologiæ, Philosophiæque cognitio ad eos pertinet, qui Grammatici vocantur; adeo omnes ejus artis pene infinitam vim intelligentia complexus est; ut non videam, cui ex veteribus debeat cedere. Quem enim auctorem Latinum prætermisit, sive historicum, sive oratorem, sive poëtam, quem ille suis, vel commentariis, vel scholiis, vel notis, non explicaverit, emendaverit, suoqué nitori non restituerit? Terentium, Tibullum, Catullum, Propertium, M. Tullium,

lium, Salluſtium, Tacitum; & in primis, quantum vir hic eruditione præſtaret, Variarum lectionum liber oſtendit. Deinde, ſi Rhetoris ſunt partes, dicendi præcepta tenere, eisque alios imbuere, quis Mureto ſit dignior hoc nomine? qui tot annos, tum Venetiis, tum Romæ, juventutem ad dicendum inſtituit, qui ſuis præceptis inſtitutisque, tot formavit oratores egregios, qui poſtea & ipſi dicendi magiſtri extiterunt, & in his Franciſcum Bencium, qui in ſcholis Soc. Jeſu, tanta cum laude, hanc artem exercuit, qui, quæcunque ſunt, ab eloquentiæ præceptoribus ſive Græcis, ſive Latinis elata, in animo, tanquam in cera, vel potius tanquam in ære inſculpta retinebat, quique Ariſtotelis de Rhetorica libros duos ita docte, ita eleganter, ita ſcienter in Latinum ſermonem convertit, ut non deſideres quidquam in eo genere melius, neque perfectius. At neque Poeticæ inanem operam dedit, ſed utilem atque præſtantem: nam & elegos, & odas, & epigrammata, & hymnos ad veterum Poetarum elegantiam ſcripſit. At mihi eloquentiæ in eo virtus, quæ merito omnium maxima habetur, ceteris ejus laudibus videtur anteſtare. Quid enim ejus orationibus inveniri perfectius poteſt? qui flos, quod lumen, quis naturalis, non autem fucatus, in eis nitor deſideratur? quis humilia ſubtilius, ampla ſublimius, mediocria temperatius, potuit dicere? quibus virtutibus, perfecti oratoris laus continetur. Quis, noſtra ætate, ſermonis genere uſus eſt, adeo gravitatis, doctrinæ, prudentiæque referto, & in quo præterea omnes verborum, omnes ſententiarum illigentur lepores, præter hunc? quis magis Latine, pure, dilucide, ſuaviterque locutus eſt unquam, &, quod refert, qui oris preſſu, & ſuavitate appellandarum literarum ſe magis hujus civem Vrbis, non peregrinum ſignificaret? Quis unquam, actione, in qua fere ſunt omnia, par illi extitit? quæ cum conſtet voce, motu, ac geſtu; vox erat magna, canora, diſtincta; motus plenus artis, ac venuſtatis; geſtus, non verba exprimens, ſed rem & ſententiam ſignificatione declarans. Quamobrem illud aſſecutus videtur, ut non hujus modo ſeculi, ſed multorum etiam ſuperiorum, oratorum princeps habeatur. Atque equi-

equidem arbitror Antonium, qui in eo libello, quem unum edidit, disertos, inquit, se vidisse multos, eloquentem vero neminem, si hunc audire potuisset, mutata sententia, veri eidem eloquentis palmam delaturum fuisse. Sed tanto vir ingenio, atque facundia, Tolosæ, criminis, cujus insimulatus fuerat (injuria dicitur) paratum fere sibi supplicium evasit. Nam, fuga sibi consulens, ex illo periculo, Venetias evolavit; ubi cum in ejusdem suspicionem criminis, post aliquanto, venisset, literis, ad Dionysium Lambinum datis, eam est a se propulsare conatus. Verum illud ei Tolosanum incendium, ex quo evolaverat, sive verum, sive fictum, exprobravit Joseph Scaliger, cui ille verba dederat, atque epigramma recens, a se compositum, pro vetere obtruserat, hoc disticho:

Qui flammas rigidæ vitaverat ante Tolosæ,
Muretus, fumos vendidit ille mihi.

Sed crimen istud, illudque, quod in Gallia hominem occiderit, & interdum vino se ad ebrietatem oneraret, si vera forent, posset aliquis juventutis excusatione defendere. Fuit ingenio in jaciendis ridiculis & salsis alacri, promptoque, adeo ut ante facetum dictum emissum, quam excogitatum ab eo fuisse videretur, quo breviter arguteque dictorum acumine, tanquam armis, discipulorum, ipsi inter docendum obstrepentium, audaciam, insolentiamque compescebat; & cum unus ex eis tintinnabulum in schola pulsasset, ex eo genere, quod ad vervecum ac bucularum colla appenditur, ut earum ductum ceteræ sequantur; continuo ille, mirabar, inquit, ni pecudum acervus ductorem suum haberet. Fratris filium habuit, eodem, quo ille nomine M. Antonium, præstanti ingenio, qui, ipso docente, Græcæ ac Latinæ linguæ rudimenta posuerat: sed ante pubertatis annos e vita migravit; cui si longior vita contigisset, profecto (ut initia se dabant) extitisset, quem eloquentia, doctrina, & judicii acumine cum patruo conferre possemus. Qui patruus, totis novem ante ejus e vita discessum annis, pietati ac religioni omne suum studium dedit, quique antea, in pernoscendis veterum poetarum fabellis, in percipiendis, quæ ab Homero, Virgilio,

Thucy-

Thucydide, Herodoto, Sallustio, Livio, aliisque, tum Græcis, tum Latinis scriptoribus, dicerentur, otium suum tradiderat; illud postea conterebat in sacrarum literarum, earumque interpretum lectione; & sacris initiatus, quotidie, si per valetudinem licuisset, multis cum lacrymis divinam illam Hostiam D. O. M. sacrificabat. Mortuus est anno M D LXXXV, prid. Non. Iulii, cum sexagesimum ætatis suæ annum nondum explesset, ac situs in sepulchro, quod in Æde, Deo trino & uno, in Colle Hortorum, dicata, sibi vivens extruxerat, cum inscriptione, quæ nihil veterum superstitionum, ut fit plerumque, oleat, sed quæ pium ac Christianum ejus animum in primis ostendat.

COMES GVIDOBALDVS BONARELLVS a RVERE.

MAgnum atque præclarum Comitis Guidobaldi Bonarelli Anconitani ingenium, plus aliquanto ex sese, in bonis artibus, dedit, quam quantum ab initio polliceri visus esset. Etenim laus poëtica non admodum expectabatur ab eo, qui pueritiæ & adolescentiæ tempus, in perscrutandis naturalium rerum causis, & in comparanda sacrarum literarum scientia consumsisset. Nam pene puer, missus est in galliam a patre, qui multum apud Guidobaldum Vrbini Ducem auctoritate & gratia pollebat, ut ibi Theologiæ studiis operam daret; quibus usque adeo diligentem operam navavit, ut annos natos undeviginti, Parisiis, in Philosophicis ac Theologicis disputationibus, summum ingenii sui specimen dederit; ut etiam oblatum ipsi ultro Philosophiæ docendæ munus a Doctoribus illis fuerit; at ipse revocatus in Italiam a parente, maluit eo honore dignus videri, quam illum accipere; reversusque in Italiam Mutinæ patrem amisit, virum clarissimum, ac Ferrariæ Duci, ob singulares ejus virtutes, acceptissimum; quæ fuit causa, ut Dux ille Ferrariam eum evocaverit, ut in suorum aulicorum numero haberet, ejusque opera atque consilio in rebus maximis uteretur. Atque utraque in re, tum in variis consultationibus, tum in sedecim lega-

:gationibus ad Reges ac Principes, ipsius nomine, obundis, fecit, ut Dux utilitatem cognosceret suam. Ad:uc Guidobaldus, in consiliis, de Rep. dandis, acutus c prudens, in Philosophorum ac Theologorum dispuationibus exercitatus ac promptus existimabatur; sed aciendi carminis artifex a nemine habebatur. Ita sui n se opes ingenii, tanquam in aliqua arca, constructas atque reconditas habebat; sed tandem, propositis illis, ac propalam collocatis, antea poëta summus apparuit, quam eum quisquam aliquid poëticis ex fontibus degustasse suspicaretur. Nam, cum quisque qui in Alphonsi Ferrariensium Ducis aula versaretur, quique aliquod in literis nomen haberet, vel ingenii opinione præstaret, scenicis spectaculis dandis, industriam suam probare conaretur, Guidobaldus, ne cui in ea re esset inferior, Phyllidem Scyram, pastoriciam fabulam composuit, in eamque omnes poëticos flores, delicias, veneresque conjecit. Quod vero ad stylum attinet, eam scripsit dulcissime, nec, post Guarini Eclogam, quidquam invenitur, in eo genere suavius, neque venustius: atque id tam aptum ac felix, repente in ipso ortum, ad poësin ingenium idemmet admirans, non aliam, cum quæreret, invenire, ejus rei causam potuit, præter Cæli, sub quo clarissima Estensium Principum aula constituta esset, benignitatem, quo statu Cæli, atque Stellarum, qui animam ducerent, una cum vitæ halitu, poëticum etiam ab eo quasi spiritum, impetumque perciperent. Atque eandem hanc Cæli vim & aspirationem, ajebat concitasse ac poëtas effecisse eos, quos omnium sæculorum posteritas admirabitur Bojardos, Ariostos, Tassos, Gyraldos, Guarinos, Bombasios, Fontanellas, & ceteram egregiorum poëtarum turbam; quorum singularia ac divina propemodum carmina dum manebunt, manebunt autem sæculis innumeralibus, Estensium aula Ferrariæ non deerit. Atque, cum eos, quos diximus, ad versus fundendos abstraxisse narrabat, impetum, vel, ut Democrito placet, furorem, in eorum animos, a Cæli impulsu concitationeque delapsum, prope vera dicere videbatur, si eorum omnium exitus recordemur. Nemo enim, propter eam causam, ne nummo quidem uno

factus

factus est ditior. Quod maximo argumento est, nullam eos spem utilitatis futuræ, nullam lucri cujuspiam utilitatem, ad scribendum adegisse, sed cæli tantum, si fas est ita loqui, vim concitationemque; & si quam ipsi propositam habuerint laborum suorum mercedem, ac præmium, non aliud fuisse, nisi laudis & gloriæ. Verum hic nobilis, Comitis Guidobaldi partus, alium ex se peperit, non minus illustrem & clarum, atque haud scio, an doctrinæ varietate, eruditionis magnitudine, rerum plurimarum scientia, judicii acumine, ingenii amœnitate, illo longe majorem atque præstantiorem defensionem nimirum Eclogæ suæ. Introduxerat ille Nympham, Cæliam nomine, uno eodemque tempore, peræque duorum hominum amore captam ardere ita misere, ut quo se ab ejus flammæ, ita contortæ implicatæque, quasi laqueis, expediret, cum nulla alia ratio occurreret, mortem oppetere non dubitaret, quæ omnia, cum pluribus incredibilia viderentur, illudque præsertim absurdum, & contra amoris leges occurreret, quod una, eodem tempore, duorum cupidine efflictim deperiret, quæ leges, non plus uno, uni concedunt, in quo amando diligendoque, omnes animi vires, omnesque industriæ suæ nervos contendat; hæc ille, & rationibus, ex intima Philosophia depromptis, fieri posse, & exemplis, ex omnium sæculorum memoria repetitis, sæpius factum esse, defendit, tanta sententiarum rerumque copia, ut multis suspicandi locum aperuerit, antea defensionem peccato comparatam, quam peccatum, si tamen peccatum illud fuit, admissum, neque aliam illi fuisse rationem, cur illud potissimum argumentum in actus deduceret, nisi ut ingenium declararet, quantamque vim doctrinæ complexus esset, ostenderet. Sed, ut sese res habeat, perfectum est illud opus, plenumque literatæ venustatis, atque prudentiæ. Quod si eo quisque doctior existimatur, quo enucleatius, ac dilucidius aliis possit, quæ ipse didicerit, tradere; quantam in homine, & quod est incredibile militari, atque perpetuo aulicis occupationibus districto, intelligentiam fuisse oportet, qui de rebus subtilissimis obscurissimisque, ita aperte, perspicue, ac distincte locutus est, ut

ut eas planius ac melius dici non desideres? Quamobrem principibus viris magno fuit in honore & gratia, Cardinalibus præsertim, Federico Borromæo, Evangelistæ Pallottæ, ac Cynthio Aldobrandino; Alexandro vero Estensi tanta in admiratione, ut eum, quamvis infirmissima valetudine, ac propter dolorem artuum, ab omnium fere membrorum usu destitutum, Romam evocaverit, ut suo cubiculo, honoris scilicet causa, præficeret. Sed jam in itinere, cum podagræ dolores vehementius ingruissent, vim morbi ferre non potuit, cum quinque & quadraginta vixisset annos.

PAVLVS BOMBINVS.

PAulus Bombinus, Cosentiæ, veteri atque illustri Calabriæ oppido, nobili genere natus; domi, prima puerili institutione, ad humanitatem informatus; profectus est Romam, ut liberalibus disciplinis animum excoleret, quas omnes in collegio Soc. Iesu celeriter a magistris accepit, in eisque perfectus evasit. Nam fuit poeta magnus, orator summus ac pene extemporarius; sententiæ in eo crebræ ac graves; sermo Latinus, elegans, dilucidus, florum omnium varietate conspersus, verum qui ab iis deliciis, quæ modo inventæ eloquentiam corruperunt, abhorrens, rerum gestarum scriptor, verax ac prudens; in Philosophicis ac Theologicis disputationibus acer ac vehemens, & in capiendo adversario, argumento breviter arguteque concluso, acutus, divinarum rerum, ad populum, interpres egregius, qui sententiarum copia, verborum splendore, oris ac vocis suavitate, auditores detineret. Hic adolescentulus, antequam potuerit existimare, quanto liberior vita sit eorum, qui nullis se Religiosi cujuspiam ordinis legibus obstrinxerunt, Soc. Jesu, actum, quodque præcidit omnem licentiam libertatemque vivendi, vitæ genus amplexus est, illudque, nuncupatis, publica ac solemni religione, votis, processus est. Verum, cum multos jam annos, non solum communi voluntate virtutis atque officii, verum etiam ea, quam sibi indixerat, lege continentiæ, omnium voluntates rerum, coërcitas

habuisset, tantum visus est aliquem illis aditum aperire &, quod mirum videatur, firmata jam ætate, quo tempore, qui a religione officii declinarunt, revocare se in viam solent. Quamobrem vocatus in judicium, quod officium & obedientiam erga superiores exuisset, quorum imperiis præsto esse debuerat, atque hujus criminis, sua ipsius confessione convictus, suffragii in comitiis ferendi, atque ad honores suffragiis aliorum ascendendi jure privatus est, tum in remotam quandam Italiæ insulam rejectus, decem annorum exilio multatus; at postquam decem annorum legitimam pœnam pertulit, cum ferret iniquissime, tantis clamoribus fuisse rem actam, quæ potuisset, nulla fere cum ipsius infamia, a paucis secreto decidi, cœpit cogitare, de commutanda colonia, & statuit ad aliam religiosi cujuspiam ordinis familiam transire. Itaque fecit me per amicos certiorem, ut darem operam, quo in quandam reciperetur, nobilem illam quidem & locupletem. Verum spe illa dejectus, convertit animum, ad eum religiosorum hominum ordinem, cui Sommasco est nomen; ad quem facilis illi aditus patuit. Significavit mihi non obscure, sibi esse in animo, reverti in complexum matris suæ; sic enim societatem Iesu appellabat; verum non ante, quam e vita discessissent ii, qui fuissent in ipsum teterrimi. Sed accidit, ut ipsum antea mors ad se reciperet, quam quemquam eorum, quamvis capulares, & Acherunti jam diu debiti viderentur. Aggressus est, pene adolescens, in Collegio Ro. Philosophiam docere; sed quia, ingenii demonstrandi causa, a receptis Philosophorum sententiis, pluribus in rebus, prave discrepabat, & quia totam fere rationem docendi mutaverat, primo anno illud ei munus abrogatum est, atque alteri traditum. Sed aliquot post annis, cum maturior eum ætas expolivisset, hominemque reddidisset, rursus idem docendi curriculum ingressus, ab aliorum Philosophorum præceptis non aberravit, eamque docendi viam rectissimam duxit, quam superiores omnes magistri tritam reliquissent. Quamobrem totum illum triennalis laboris cursum rite confecit; &, quo tempore inobedientiæ reus damnatus fuit, sacras literas interpretabatur. Versatus

fatus est frequenter in Principum aulis, Mantuani præsertim Ducis; in qua diem obiit supremum: quod etiam fuisse arbitror causæ, ut se vulgi oblinires erroribus, & quod adolescens non commiserat, ut muliebribus implicaretur amoribus, postea alieno tempore faceret tamen. Edidit laudationem funebrem Margaritæ Austriacæ, quam, me audiente, habuit, ad sodales B. V. Assumptæ, in Domo professa Soc. Iesu; Vitam Edmundi Campiani ejusdem Soc. in Anglia martyrio affecti; Hispanicarum historiarum Compendium.

BELMONTES CAGNOLVS.

CVm exprimere mores & consuetudinem vitæ suscceperimus Belmontis Cagnoli, nullus erit finis, si necesse sit omnia exponere, quæ pertineant ad eam declarandam. Fecit multa ridicule, multa graviter, multa inepte, multa apte, multa stulte, multa sapienter, multa varie, multa constanter, multa imperite, multa docte; ut sit difficile paucos invenire, qui sint in tanta vitæ dissimilitudine & varietate versati. Ac primum, toto vitæ tempore, valetudine usus est varia: nam puero infirma & incommoda fuit; ac nihil propius est factum, quam ut ex morbo oculorum aciem amitteret; sed postea grandiori robustissima ac validissima corporis firmitas accessit, adeo ut jam grandævus, nullum dentem, ac ne pilum quidem unum desideraret; at seni rursus cœpit esse corpus debile & invalidum, artuum doloribus, unde occidit, excruciato. Nunquam fere in eodem vitæ statu permansit, sed vicissim ad plures divertit. Elegit esse I. C. ac Cæsenæ jus didicit; voluit deinde aulicus fieri, ac Marco Cornelio, qui factus est Patavinus Episcopus, navavit operam cubicularius; apud quem, tantum auctoritate & gratia valuit, ut omnium ejus consiliorum particeps fieret, ab eoque in fratris germani loco diligeretur. Tum ab aula transiit ad Ecclesiam, & sacris initiatus, adlectus est inter sacerdotes Ariminensis Ecclesiæ; sed vix triennium intercessit ab hac ejus inductione animi, cum sacerdotium illud facietate dimisit, ac rursus, tanquam postliminio,

reversus est in domum Episcopi Patavini; nec factum est diu, postquam ad vetus illud præsepe se recepit, cum pinguius sacerdotium, sibi oblatum, arripuit; sed coactus est illud dimittere, Romamque confugere, non tam levitate animi, quam salutis tuendæ necessitate, quod ad necem peteretur a fratribus mulieris cujusdam nobilis, a qua insane amabatur, quæque (ut ipse gloriari solebat) tribus aureorum millibus conata esset expugnare, sed frustra, suum illud constans castitatis perpetuo servandæ propositum, vel saltem perficere, ut mutuum cum ipsa faceret in amore. Habuit tum Romæ in Academia Humoristarum, variis de rebus, disputationes, illam præsertim, quam ceteris omnibus anteferebat, de fretis, aut de marinis æstibus, cum videlicet eorum accessus & recessus Lunæ motu, an alia quadam magis necessaria ratione, gubernentur; Laudationem D. Gregorii Magni, Academiæ tutelaris Divi, aliaque. Verum urbis quoque, sicut ceterarum rerum, saties hominem cepit: ac die quodam, antequam potuissem suspicari, eum Roma discessisse; redditæ mihi sunt ab eo literæ, quibus exponebat, sibi Deiparæ sacerdotium, in monte Typhi obtigisse, omnium, quæ ad eam diem consecutus esset, optimum ac locupletissimum; nihil ibi desiderari, quod cæli terræque benignitas suppeditare hominum usibus possit; saluberrimas ibi auras afflare, liquores perlucidissimos amnium effluere, gelidas fontium perennitates emanare; ibi viridissimo, ac florum varietate distincto, camporum amœnitates, ornatu vestiri; ibi ædes, edito amœnoque in loco, sitas esse pulcerrimas, unde, circumjectos in agros, lepidissimus pateret prospectus; ibi aquas hauriri puras ac liquidas; ibi præstantissima plenis e doliis vina diffundi: quocirca jam sibi fixum ac deliberatum esse, perpetuum vitæ suæ domicilium collocare eo in loco, quo cum nulla maris pulcritudo, nulla oræ ac litoris cujusvis amœnitas, nullæ urbium quantumvis maximarum opes, conferri æquarique possent; ibi se vivere, ibi sepultum se velle esse; proinde, suas sibi haberent Pontifices tiaras, sua sibi regna Reges, suas sibi divitias divites, suos sibi ambitiosi homines honores; se nihil hæc illis invidere:

lere: postremo admonebat me amice, ut, si saperem, bjectis omnibus opum, honorum, divitiarumque co- ;itationibus, illam cœli salubritatem, illam agri pulcri- udinem, fertilitatem, amœnitatem, illas naturæ, quasi »i lascivientis, delicias, fumo, opibus, strepituque Ro- ıæ, mutarem; atque avibus ac ventis citius ad se con- :nderem, quo me una secum hilaritati, amœnitati, at- ue ab angoribus omnibus vacuitati operam darem. 'is literis lectis, nihilo tum commotior sum factus, uod adhuc spe aliqua rerum urbanarum tenerer; sed iquanto post de ea spe dejectus, ita exarsi cupiditate us boni, quod monstrabatur, persequendi, ut jam in- perem cogitare de itinere, num esset commodius, me luc lectica, quam equo deferri; cum subito nuncius af- rtur, hominem, repudiato sacerdotio, ac tot elatis in ælum laudibus, deliciis, amœnissimo loci illius se- ssu, Ariminensem frequentiam, & inter vestitas flori- is ripas, præterfluentibus rivis, pumiceas, parvi Ru- conis undas antepotuisse. Nec Ariminensi domicilio :rpetuo se tenuit, sed, novus Vlysses, Ithacam suam, oc est, montem Scutulum, postquam multorum mores dit & urbes, sese recepit. Sed, quemadmodum ille nelopem reperit a procis vexatam, ita etiam hic m suam familiarem, vario litium genere a cognatis »pugnatam invenit. Quod suum incommodum cum ırdinali a Balneo, cuius in imperio ac ditione erat, r literas exposuisset, responsum ab eo accepit, ne se modum animo demitteret: nam ipsi, a præsidiis o- ıibus destituto, domum suam semper portum ac perfu- ım fore. Id ille, non responsum, gratiæ scilicet cau- , factum, sed invitationem, atque adeo vim esse puta- :, qua a Cardinali in suam familiam attraheretur, :c moræ quidquam in ipso fuit; sed annos natus tres septuaginta, se rursus aulæ, hoc est, jactato tempe- tibus omnibus mari, fragili conscissaque rate, com- sit: sed confectus senio, atque artuum doloribus, & ia non satis ex sententia, eorum, quæ cogitaverat, e- ntus sibi procedere animadvertebat, reversus est in triam; ubi anno post moriens, vitæ simul & incon- ıntiæ finem fecit. De eo stulta ac ridicula multa nar-
 rantur,

rantur; quorum hic pauca referam. Primum in Heroico carmine, multis partibus, se superiorem Torquato Tasso fingebat; ac propterea multos, ex sua Aquileia capta soloque æquata, rhythmos, octonis inclusos versibus, selegerat, ac seorsim a ceteris, una cum totidem Tassi, ejusdem fere argumenti versibus, edendos curaverat; ut fieri judicium posset, quantum ipse illi præstaret. Deinde homo gloriarum plenissimus, sibi persuadebat, in toto orbe terrarum celebratum suum nomen esse; ac si literatus quispiam ipsi advenienti continuo non assurrexisset, elatus iracundia, hisce hominem verbis accipiebat: Itane? Abbas Cagnolus, eversæ Aquileiæ, & tantorum carminum auctor, tuam potuit notitiam effugere? non fit verisimile. Et quo tempore, Cardinalis a Balneo aulæ ludus erat, cum die quodam in Humoristarum cœtum se intulisset, & amatoria quædam carmina ab alio, ut ipse dicebat, confecta, qui in ejus disciplina educatus esset, senex candidissimus recitasset, omnium in se risus excitavit: quamobrem ille, inflammatus ira: Quid ridetis, inquit, insani? ego sum ille Abbas Cagnolus, omnium, qui sunt ex hoc numero, multo antiquissimus, quique ex dirutæ Aquileiæ poemate, tantam mihi gloriam famamque collegi, ut nullus in terra vivat, cujus nomen sit apud omnes illustrius & clarius. Quibus auditis omnes ita voces, ita palmarum intentus, ita sibilos, profuderunt, ut ad eos compescendos, nihil Augustini Mascardi, qui tum Academiam Princeps regebat, jussus atque auctoritas plane valeret. Nec potest satis narrari, quos dese ludos Reate præbuerit, cum ad Cardinalis, de quo diximus, aulam irrepsisset. Nam eam amplissimorum honorum spem animo, ridicula ambitione, conceperat, ut ex pedissequis aliisque imi subsellii viris, qui omnia illi assentando, ceteris rectius, Gnathonis partes agebant, sibi familiam eligeret, atque illum domus suæ præfectum, illum sibi cubicularium, illum pincernam, illum convivii magistrum, constituebat. Ex quo apparet, eo stultitiæ genere laborasse hominem inflatum ac tumidum, quo desipiunt ii, qui esse primos se omnium rerum volunt, nec sunt. Contra vero fecisse eum multa prudenter,

ac

ac recte, argumento est vita, ab eo liberaliter honesteque traducta. Quamquam, arrogantibus sane verbis, gloriari solitus sit, nulla se unquam mortiferi sceleris labe animum commaculasse; cum eum constet, stulta quadam aliis detrahendi licentia, iniquissimorum, de moribus etiam Principum, sermonum suorum domicilium, non in audientium solum auribus, verum etiam literis, ac libellis, sine auctoris nomine, datis, in legentium oculis collocasse. Deinde probant ejusdem ingenium & erudirionem multa docte ac pie versibus scripta; ut Iuliani Martyris, Laurentii Iustiniani, S. Alexii, vitæ, Mariæ Magdalenæ luctus, & lacrymæ, Dispar Iusti & peccatoris interitus, Quinque Rosarii Mysteria, Deipara scilicet, ab Angelo annunciata, eadem in cælum assumpta, Christi Nativitas, Fuga in Ægyptum, ejusdemque inter legis magistros sedentis inventio, Aquileiæ vastatio, Heroicis versibus luculenter expressa, bis edita, & in secunda editione, tribus millibus in locis, & eo amplius emendata, ac melior effecta. Verum ad hæc quoque, quamvis plena gravitatis & ingenii, aliquid etiam solitæ ejusdem vanitatis ac levitatis influxit. Nam, quo ostenderet, afflatu magis divino, quam aliqua alia humana ope atque labore, illam poeticæ facultatis vim in ipso extitisse; mihi persancte affirmabat, nunquam se Franciscum Petrarcham, vel alium quemquam Poetam Hetruscum, esse conatum attingere. Sed, ut de ceteris taceam, in Torquato Tasso, cujus se æmulum gloriæ profitetur, mendacii arguitur. Scripsit etiam soluta oratione complura, Semiramim, ab iniquorum calumniis vindicatam laudationem D. Gregorii Magni, sermones de Virginis Deiparæ doloribus, de avaritia, de maritimi æstus accessu atque recessu, multaque alia. Verum extremo vitæ suæ tempore testamentum condidit, ita prudens, ita ab omni parte perfectum, ut constans sit omnium opinio; non alias eum magis mente quam morti proximum, valuisse.

THOMAS DEMPSTER.

FVit hæc ſemper conſtans omnium fere hominum opinio, eum eſſe ad literarum ſtudia aptiſſimum, qui ſit quietiſſimus, & ab omnium certaminum contentione remotiſſimus; quod mitiſſima Muſarum natio non audeat ad eum accedere, cui immane ac ferox ingenium a natura contigerit. Sed, neſcio quo pacto, hac noſtra ætate, manſuetiſſimæ illæ ſorores, ſumma animi voluntate, complexæ ſunt Thomam Dempſterum, Scotum, hominem factum ad bella & contentiones, quippe qui leviter, re, vel verbo laceſſitus, continuo ad arma rixasque decurreret; nullum ferme diem, a concertationibus vacuum, præterire ſinebat, quin videlicet, cum aliquo, vel ferro decerneret, vel, ſi ferrum minus ſuppeteret, pugnis rem ageret; quo fiebat, ut eſſet pædagogis omnibus formidabilis. Sed tum in primis ſævum & impavidum ſuum animum declaravit, cum a Grangerio, collegio Bellovaſſenſi Præfecto, quem negocia domeſtica Pariſiis diſcedere alioque proficiſci cogebant, muneris ſui vicarius conſtitutus eſt. Nam adoleſcenti, qui ſocium ad ſingulare certamen provocaverat, demiſſis ad calces femoralibus, robuſtique hominis humeris elato, in omnium conſpectu, multas plagas impoſuit; quam ille contumeliam cum ferre non poſſet, ac propterea vindicare conſtituiſſet, die quodam tres viros nobiles, cognatos ſuos, ex Regis corporis cuſtodibus, in collegii ædes introduxit, a quibus Dempſter, cum vim ſibi parari intellexiſſet, vocavit ſocios ad arma, omnesque collegii famulos juſſit cum telis accurrere. Sed antea illorum equos, præ foribus ædium relictos, trucidaverat, at ſervorum multitudo armata ita illos, qui jam iræ furoriſque pleni in periſtylium irruperant, circumſtetit, itaque formidine complevit, ut cogerentur ſalutem ac vitam in beneficii gratiæque loco depoſcere; qua impetrata, nihilominus, obtorta gula, abrepti ſunt in turrim campanariam, ibique aliquandiu in vinculis habiti; ſed ex iis tandem exempti, de hominis vita & moribus, teſtes idoneos interrogandos,

eorum-

eorumque dicta in publicas tabulas referenda curarunt. Quam exortam in se tempestatem ut evitaret, in Angliam, tanquam in portum, confugit. Vbi non modo tutum ab insectatoribus suis perfugium, verum etiam mulierem nactus est, forma & vultu, adeo liberali, adeo venusto, ut nihil supra, quam in uxoris habuit loco. Quæ mulier, cum luce quadam, Parisiis, quo rursus Thomas cum ea se receperat, conspecta esset, & quia forma præstabat, ut diximus, & quia habitu erat dementissimo; nam & pectus & scapulas, nive ipsa candidiores, omnium oculis expositas habebat; tantus, visendi gratia, hominum concursus factus est, ut nisi se in domum cujusdam, una cum viro, recepisset, nihil propius factum esset, quam ut ambo a multitudine opprimerentur. Verum mulier omnino, ut dicitur, mala merx est; non enim potest, ita arcte subjecta custodiis omnibus, haberi, quin custodibus verba det, atque ad hostes tuto transfugiat. Nam Pisis, ubi elegantissimas literas, non tenui stipendio, docebat, dum e Gymnasio revertitur domum, introductos hostes, arcem captam, ac mulierem ab se abductam, discipulorum suorum insidiis, reperit; quam ille jacturam, sicut olim rei familiaris damnum, æquissimo animo tulit. Etenim, Catholicæ religionis causa, ut ajunt, fortunis omnibus, quæ satis amplæ erant, eversus, domoque profugus, Lutetiam Parisiorum venit, ibique, rerum omnium egentissimus, quamvis se nobili genere ortum prædicaret, rem, & multo magis gloriam, humanioribus disciplinis, juventuti tradendis, invenit; quam illi gloriam multiplex rerum scientia, reconditæ exquisitæque literæ, & incredibilis memoriæ magnitudo confecerat; ibique cum esset, commentarios in Rosinum, de antiquitatibus Romanorum, qui eruditorum omnium manibus teruntur, alioque non minus eruditos, in Crispum poetam Africanum, & Claudianum, edidit; tum Pisas se contulit, ubi abductæ a se mulieris infortunio mactatus, ut paulo ante memoravimus, fuit. Atque hanc Pisanam commorationem arbitror fuisse causam, cur septem illos elegantissimos de Regali Hetruria libros scriptos reliquerit, qui nondum editi, summa Magni

Hetruriæ Ducis cura, aſſervantur. Multa præterea leguntur, ab eo, tum ſoluta oratione, tum verſibus, doctè eleganterque conſcripta; quatuor epiſtolarum libri, Tragœdiæ, Tragico-comœdiæ, & variorum carminum libri quatuordecim, Coſmographia, Mythologia, accuratum ac prudens de unoquoque ætatis cujusvis hiſtorico judicium; Sed feruntur in primis libri illi quinque & triginta, quibus accurate eruditeque res Scotiæ complexus eſt. Verum, illud ingenium, illa virtus, illa vis doctrinæ, in Italiæ luce, hoc eſt, in orbis terræ theatro, perſpecta, atque cum plauſu excepta, tantum commendationis habuit, ut publice ab omnibus expeteretur; ſed Bononia, bonorum ingeniorum fautrix, ac perpetuum elegantiſſimarum artium domicilium, viſa eſt illi, præ ceteris Italiæ civitatibus digna, quæ eſſet theatrum ipſius ingenii, ac voce erudita, & Romanis Græcisque auribus admirabili, frueretur; ubi tandem eſt artuum, ac nervorum doloribus, tum in manibus pedibusque, tum in capite, conſumptus. Qui quidem, ſi ætatis ratio habeatur, celeriter, vita ſpoliatus, interiit; ſi gloriæ, quam adeptus eſt, magnitudo ſpectetur, diutiſſime vixit; immo nunquam moriturus, per omnium virorum ora volitabit. Defletus eſt ab omnibus, ſed in primis a ſodalibus Academiæ, cui nomen eſt, Nocti; atque in eo eruditiſſimo cœtu, ab Ovidio Montalbano, qui Roſcidus appellatur, elegantiſſima laudatione publice exornatus.

IOSEPH TRVLIERVS.

QVo tempore Ioannes Bonſius, a Paulo V, Pont. Max. in Cardinalium Collegium cooptatus, Romam venit ex Gallia, ut purpureo galero, præcipuo ejus dignitatis inſigni, Pontificis manu tradito, caput inſereret; bonis & honeſtis conditionibus Ioſephum Trulierum Gallum, medicæ artis peritum, pellexit, ut ſecum in Italiam veniret, quo ſibi ſuæquæ familiæ, in ægrotationibus, præſto eſſet. Hic Pariſiis in Pietrei, medici clariſſimi, cognomento Magni, domo, una cum ejus liberis educatus, medendi ab eo artem acceperat, atque

atque in celeberrimo Parisiorum gymnasio, artis ejusdem Baccalaureus fuerat pronunciatus; & cogitaverat etiam ad superiores gradus ascendere; sed hanc illi cogitationem profectio in Italiam eripuit. At, perductus Romam, celeriter in principum medicorum numerum venit. Nam præter usitatam & communem cum ceteris medendi normam & viam, interioribus quibusdam artis præceptis, quibus instructus a Pietreo fuerat, ac præsertim sanguinis largius mittendi ratione, ut mos est Parisiensibus medicis, complures, periculosissimis in morbis positos, ex ancipiti levavit. Itaque, ut de singulorum curationibus taceam, quæ tantum illi negocium exhibebant, ut suis non liceret dare operam rebus, Regis Galliæ oratorum, Pontificiæ familiæ, Nosocomii Lateranensis, Cœnobii Carthusianorum, Minimorum Fratrum, in Colle Hortorum, familiæ, medicus, secundis plurimarum curationum eventibus, satis ostendit, ea, quam ipse insisteret, via ægros ad sanitatem perduci. Quæ res in primis magnam illi urbanorum medicorum invidiam concitavit, adeo ut certamen esset inter eos, quisnam pluribus ac majoribus eum injuriis oneraret; in quibus antesignanus erat quidam Alexius, qui una cum multis aliis medicis ægrotantes in S. Spiritus Nosocomio curabat; hic agitare insectarique ita eum cœpit, ut die quodam, ex quotidianis, de hac nova liberalius mittendi sanguinis ratione, contentionibus, ad gravissimas verborum contumelias palam descenderit, ut etiam Trulierus Alexium sponsione lacessierit, ut qui nimirum plures, uno die, ægrotos, in suo Nosocomio, in sanitatem revocasset, is quingentos nummos aureos ab altero faceret lucri. Sed tandem Itali invidiam Galli virtus, quavis obtrectatione major, obtrivit, ac ratione, usuque, qui omnium magistrorum præcepta superat, complures ex Romanis medicis edocti, majore audacia cœperunt largiore sanguinis missione periculosis morbis occurrere, & sumpta hinc occasione, Susii, medici Mantuani, de sanguinis missione, librum, rursum Romæ typis mandandum curavit, longa atque illustri de suo præfatione auctum, cui præfationi Bernardinus Castellanus medicus, respon-

spondens, libris editis, est veterem curandi morem, unde jam plures desciverant, tueri conatus; sed inutili plane labore: non enim potuit experientiae, quæ est optima rerum magistra, fidem derogare; quæ quidem experientia, in hoc curationis genere, gravi morbo laborantibus, planeque depositis, multum esse præsidii, declarat. Atque hanc, in morbis, mittendi sanguinis consuetudinem, jam per ipsum pene in mores inductam, Henrici Blacudoei comprobavit adventus. Hic unum ex clarissimis Parisiensis gymnasii luminibus sidus, doctrina ac medendi usu splendidissimum; hic, tum soluta oratione, tum versibus, scriptor eximius; cujus opera, propter egregiam artem, duum millium aureorum stipendio, a Duce Longavillæ conducta erat, simul ac Romam venit, in multis proceribus Romanis curandis, hac medendi via usus est; quæ ita illi respondit, ut non tam medicinæ præceptis, quam magicis artibus imbutus existimaretur. Eo, Roma profecto, cuius auxilio Trulierus probe erat ultus inimicos suos, de eisque triumphum reportaverat, jam nihil reliquum erat, nisi ut ille, re placida, & bene gesta, quiesceret, essetque inter eos, tanquam magister ac dominus; sed adhuc certandum illi fuit cum quodam Gallo, qui nescio quibus impulsus inimicitiis, vel qua privatim læsus injuria, vel quo præmio adductus, Alexii patrocinium arripiens, ob eandem causam Trulierum in certamen contentionemque vocavit. Sed hujus quoque conatus vimque perfregit, causæ suæ defensione, quam apologiam vocant, docte eleganterque descripta, qua totam illius oppugnationem jugulavit. Duas habuit uxores; unam, cujus opera jam diu, ad omnia cubiculi culinæque munia, famulæ nomine, usus fuerat, cujusque, fortasse etiam corporis usuram, usurpaverat: non enim fit verisimile, florenti adhuc ætate hominem, suadente nocte, impellente vino, stimulante libidine, non cum ea muliere caput limasse, quam semper, in eadem domo, in eodem cubiculo, ac prope in eodem lecto, proximam habebat. Hac mortua, alteram duxit, Gaspari Murtulæ poetæ arctissima implicatam propinquitate. Verum triennio antequam e vita discederet, totus est illi cor-

corporis habitus immutatus, atque ex sano æger, ex valido infirmus effectus; id quod etiam indicabat color luteus, toto ore diffusus. Sed quid mirum est, in illam tabem delapsum fuisse eum, qui in acerrima attentissimaque abditarum, & morbos continentium, causarum investigatione defixus, & in ea præsertim adeo inter Philosophos agitata de immortalitate animorum disputatione inhærens, nullum sibi tempus, a studio sapientiæ, vacuum dabat? quod studium, ut animo præcipue omnium necessarium, sic corpori inimicum est. At æquissimo ille animo, atque, ut Philosophum decet, mortem obiit. Ejus vero bibliotheca, pluribus atque bonis referta libris, est, in urbis foris, venalis exposita, summa studiosorum cum voluptate; nam in prima uniuscujusque voluminis pagella suum erat pretium inscriptum, idque vilissimum, a quo nefas erat emptori recedere. Qui vero libri, vel quoniam doctrinam in religione dubiam, vel a bonis moribus alienam, continent, ab hominum manibus eripiuntur; quorum magnus in ea bibliotheca numerus erat; hos ille seorsim amico cuidam suo testamento legavit: at ille, hos quoque, biennio post, Trulieri hæredibus restituit; ut ex iis, bibliopolæ cujuspiam ope divenditis, inopes illi ac rerum omnium egentes suppeditare ipsorum necessitatibus possent.

IO. BAPTISTA VGOLINVS.

IO. Baptista Vgolinus Montiscutoli, in Æmilia, ex Vincentio Vgolino, & Diamante Pasina, honestis parentibus, ortus, Arimini didicit, quæ prima illa institutione tradi pueris solent, atque inde humanioribus literis satis instructus, annos natus non amplius quindecim, Bononiam demigravit, ut in eo gymnasio, cupidissimus literarum, gravioribus disciplinis operam daret; ubi paucis annis eos, in jure civili, profectus fecit, ut ab eo collegio, doctissimorum hominum, quibus constat, fama longe clarissimo, dignus judicatus fuerit, cui utriusque juris publice interpretandi facultas amplissima tribueretur; quo auctus honore, primum in patriam

patriam, tum Ariminum se contulit; ibique vitæ suæ domicilium collocatum habuit. Etenim adultam jam sapientiam suam in ea potissimum urbe statuendam arbitratus est esse, ubi orta primos, ut ita dicam, vitæ spiritus hausisset. Itaque magnum munus, de jure respondendi, suscepit, neque unquam civibus illis opera consilioque defuit. Ac complura etiam ab eo, tum iis, tum aliis, qui ad eum confugiebant, præbita, de rebus contortis implicatisque, recta & explicata consilia in lucem edita, cernuntur; unde, ad similium causarum laqueos solvendos, auxilia petantur. Sed quia proprium est sapientiæ, bona sua non in sinu clausa atque constructa habere, sed in alios etiam diffundere; ideo traditam, a communi illo, in suo Gymnasio, Iuris Civilis publice interpretandi provinciam obtinuit; quæque a magistris suis accepetat, ad communem omnium utilitatem in medium attulit; partem etiam aliquam publici muneris attigit, atque nonnullis oppidis, magna cum æquitatis prudentiæque commendatione, præfuit. Denique, in hac humanæ vitæ quasi fabula, transactis jam suis partibus, cum plausu in sua patria decessit.

VINCENTIVS VGOLINVS.

SI Vincentio Vgolino, Io. Baptistæ filio, Montiscutoli, diuturnior lucis usura contigisset, nec incitato cursu ad summam Iurisprudentiæ laudem properantem, in medio spatio, importuna mors evertisset ac profligasset; profecto nemo eorum, qui una ætate in eodem curriculo versati sunt, illi antecessisset. Ac primum a parente omnibus illis disciplinis, quibus puerilis ætas instrui debet, eruditus, ac pro amore, quo ipse eam facultatem prosequebatur, juris scientiæ initiatus, missus est Bononiam, ut ab iis, qui jus civile profitebantur, reliqua perdisceret; at, qua erat docilitate ingenii, tantum apud eos progressum fecit, ut vix biennium intercesserit ab eo die, quo audire illos cœpit; cum ab ejus Collegii Magistris, summa omnium voluntate, Iuris utriusque publice interpretandi facultatem accepit, ac profectus Ariminum, apud eos judices, causas agere cœpit,

cœpit, ita accurate, ita diligenter, ita perite, ut jam non ulla esset causa, quæ non ejus digna patrocinio videretur. At cum æstate quadam, prolatis rebus, in patriam se contulisset, ut rursus, cum res rediissent, Ariminum reverteretur, cumque jam prope esset, ut quod in eo erat, esset perfectum, & haberet maturitatem quandam suam, quæque ille elucubraverat, in lucem emitteret, ejus omnem spem, & vitæ consilia, mors cita pervertit. Quæ autem editurus erat, hæc sunt: Magis-communes opiniones contra magis-communes, Additamenta ad Vantium, de nullitatibus, ac liber de justitia & jure. Eum sibi advocatum, in causis fiscalibus, adoptarunt, Marchio a Balneo, & Comes Malatesta, S. Ioannis in Galilæa Dominus; ut diplomata fidem faciunt, quæ extant, & a suis, inter alia familiæ monumenta, servantur.

PAVLVS MANCINVS.

PAulus Lucius Mancinus, ex stirpe Romana, vetere ac nobili prosapia creatus, puer, omnium ætatis suæ multo formosissimus, a Patribus Soc. Iesu, in Collegio Romano, Grammaticam, atque omnes eas artes didicit, quibus prima ætas informari ad humanitatem solet. Tum profectus Perusium, dedit operam Iuri civili ac Pontificio; ibique utriusque interpretandi facultatem obtinuit. Flagrabat per id tempus Italia Ferrariensis belli incendio, acri ac pertimescendo; itaque ex ingenita ejus stirpi virtute, quæ multos militiæ laudibus inclytos edidit; voluit navare operam miles Imperatori illi, atque unam equitum turmam, Petro Cardinali Aldobrandino, tuendi sui corporis gratia, traditam, Vicarii honore ac nomine, ducendam accepit, & equitando, milites exercendo, aliaque optimi ducis munia exequendo, multa fortis ac non instrenui animi signa dedit. Sed paulo post, sedatis discordiis, belloque composito, ducta in matrimonium Victoria Capotia, Vincentii filia, nobili ac probatissima fœmina, se ad pacis artes ac studia convertit; ac domi suæ, in celeberrima Vrbis parte locata, Humoristarum Academiam insti-

instituit, præstantissimus hominum ingeniis refertam; cujus nominis fama, brevi totam Italiam pervasit, atque Alpes conscendens, & maria transmittens, apud omnes eas nationes permanavit, ubi aliquis bonis literis honor habetur; adeo ut hodie, apud doctos viros, nihil fere sit Academia ista celebrius. Vxore, communi hominum fato, amissa, sive ejus extinctæ desiderio, sive pietatis studio, sacris ordinibus initiari voluit, ac sacerdos effectus, fere quotidie sacrum faciebat, ac pene omnia Christianæ pietatis opera exercebat. Postremo urinæ morbo interceptus cessit e vita; cum duas filias, quas ex uxore susceperat, duobus primariis viris nuptas, & masculæ prolis alterum, in collegium Referendariorum cooptatum, alterum Iulii Mazzarini, Antistitis clarissimi, & ad summos honores opesque properantis, sororem in matrimonio habentem aspexisset.

GASPAR SALVIANVS.

Gaspar Salvianus, Tifernas, patre medico doctissimo celeberrimoque natus est, ab eoque liberalibus disciplinis instructus. Huic ab ineunte ætate nihil fuit antiquius, quam universos notitia comprehendere, singulorum genus, patriam, opes, divitias, virtutes ac vitia nosse, quam plurimos usu amicitiaque sibi conjungere, quos ita junctos haberet, opera, consilio, labore juvare, cum eis communicare, quod habebat, adeo, ut, cum pro nonnullis eorum intercessisset, pene ad egestatem redactus sit; sed maxime eorum familiaritates appetebat, qui ingenii, eruditionis, doctrinæ, aut artificii cujuspiam fama præstarent; hos colere, diligere, tueri obsequio, horum studia, utilitates, & commoda, suis anteponere. Neque alterius cujusquam opera usus est Paulus Mancinus, ad Academiam Humoristarum congregandam, nisi illius. Nam, quo erat, apud omnes eruditos viros, amore & gratia, non fuit illi magnopere elaborandum, quo unumquemque eorum in illum cœtum attraheret; & quoties conventus ille honestissimus cogendus erat, solus ille, singulos adire, horta-

hortari, rogare, ut venirent, quæque domi tanquam in umbra commentati essent, foras educerent, & in eam clarorum hominum lucem cònspectumque proferrent; adeuntibus obviam ire, salutem impertiri, locum in subselliis tribuere. Et quoniam eæ amicitiæ, ad senectutem usque, imo ad exitum vitæ firmissimæ durant, quæ in scholis ineuntur, ita, eorundem occasione studiorum, Paulo Mancino, religiosæ necessitudinis nexu, sese obstrinxit, ut illud non modo vinculum nulla unquam dissidii cujuspiam calamitas distraxerit, sed ne remiserit quidem; quam perpetuam suam in illum voluntatem, sicut & vivus multis ipse in rebus ostendit, & in morte sua testamento declaravit; nam, paulo ante suum e vita discessum, amplà propinqui sui, qui intestatus erat mortuus, hæreditate locupletatus, ejus liberos bonorum suorum hæredes instituit; denique, cum domum suam nullam haberet, in ejusdem Pauli ædibus, in quibus multos annos conjunctissime cum ipso vixerat, morbo confectus interiit.

GASPAR MVRTVLA.

GAspar Murtula, Ligur, patre natus est negociatore, qui præsertim Romæ, apud argentarios, nummos pecuniarum permutandarum nomine, in fœnore collocantibus operas locabat suas. Hic, ob indolem ad poësim, Duci Sabaudiæ conciliatus, tam diu apud eum in honore & gratia fuit, quam diu inde Eques Io. Baptista Marinus, cujus ille ingenio par esse non poterat, abfuit. Sed ejus adventu, multum de parta existimatione amisit, ac minor haberi est cœptus; quamobrem cœpit illi obtrectare, atque omnium bonarum artium, Latinæ præsertim linguæ, inscitiam objicere; sed Marini versiculis, quibus respondendo parem gratiam referre non poterat, mirum in modum laceratus, iraque ad insaniam percitus, omissis verborum contumeliis, armis rem gerendam statuit; sumptoque sclopo, cum vellet Marinum occidere, in alterum, virum nobilem, qui lateri ejusdem hærebat, eum emisit; nec mora, a lictoribus captus, & in carcerem raptus, multos ibi menses,

in vinculis egit; sed tandem ejus Principis clementia, ab omni supplicio liberatus, & e carcere emissus Romam rediit; ibique, ad eorum, qui tum rerum potiebantur, amicitiam, sale facetiisque, quibus, tum in perpetua oratione, tum in brevibus dictis, multos mortales superabat, irrepsit, a quibus multa vicissim oppida regenda suscepit: in quibus administrandis, cum diligentem operam præstaret, est mortuus. Mundi totius opificium, sex diebus a Deo perfectum, prosecutus est versibus; nænias edidit, odas, epigrammata, aliaque non parum multa poëmata.

IO. BAPTISTA MARINVS.

IO. Baptistæ Marino singulare ingenium, & incredibilis ad versus faciendos indoles ac celeritas, magnam illi apud posteros gloriam peperit. Sunt ejus carmina omnium florum varietate conspersa; sunt verbis ac sententiis referta, dulcibus, concinnis, acutis; mira inest in ejus oratione facundia, venustas, ac lepor. Vtinam ingenio ille suo temperare, quam indulgere maluisset; profecto esset, quem cum veteribus poëtis quodammodo conferremus. Innumera propemodum scripsit, tum soluta oratione, tum versibus; quorum argumenta, & numerum, refert Honoratus Clarettus, in procemio tertiæ partis ejusdem Lyræ. Eorum, quæ edidit, laudatur in primis Lyra, quæ tres in partes distributa, Amores, Pastorum Piscatorumque cantilenas, Heroum Encomia, funebres amicorum & illustrium virorum laudationes, lusus pios, & sacras Odas. Deinde celebrantur dictiones sacræ, Pauli V, Pont. Max. nomini dicatæ, Puerorum innocentium cædes, Ambulacrum, quod vocat, ubi illustrium, tum vitiis, tum virtutibus virorum imagines, elegantissimis versibus, tanquam coloribus, depictæ cernuntur. Sed summam, in suo Adonide, laudem meruit; in quod poëma omnes poëtici flores, omnes numeri, omnes lepores, omnes Veneres, confluxisse videntur: verum, ob insignem ejusdem, tum in sententiis obscœnitatem, tum in verbis lasciviam, ne moribus, adolescentium præsertim, exitium affe-

afferant, severissimis edictis e manibus omnium ereptum est illud, neque ejus legendi facultas a quoquam, nisi a Romano Pontifice, tribui potest. In aliquot virorum Principum aulis versatus est, summa cum ingenii laude ac nomine; sed inprimis magnifice ac liberaliter exceptus est, atque habitus, a Carolo Emanuele, Sabaudiæ Duce; a quo etiam Sanctorum Mauritii & Lazari militiæ insignibus cohonestatus, aliisque commodis beneficiisque auctus ornatusque discessit. Sed cum, libris editis, ac nonnullis aliis in rebus, optimi ac beneficentissimi Principis animum offendisset, repressa est hominis audacia atque coërcita, diuturni carceris custodia; ac nisi mite Principis illius ingenium, & a cæde hominum abhorrens, obstitisset, supplicio affectus, pœnas temeritatis debitas justasque solvisset. At dimissus, profectus est in Galliam, ibique, ingenii laude, opes ac divitias reperit: tum Romam veniens, summa omnium voluntate, Academiæ Humoristarum Princeps est factus, in cujus etiam mores, novas ingenii exercendi rationes induxit. Margarita Sarrochia, de ingenii acumine atque præstantia, cum eo habuit contentionem. Præstabat quidem ingenio, & poëticæ facultatis laude, Sarrochia; sed nihil ad Marinum. Postremo Neapoli, stranguria, hoc est urinæ reddendæ difficultate confectus, in complexu patrum Theatinorum, quos etiam bonorum suorum hæredes instituit, extremum vitæ spiritum edidit.

IVLIUS CÆSAR STELLA.

IVlius Cæsar Stella, Romanus, fuit excellenti vir ingenio, & ad studia literarum in primis apto. In hoc natura, quid efficere posset, in puero videtur experta. Nam ita celere illi ingenium tribuit, ita lepidum, ita amœnum, ut in ipso pene ineuntis ætatis flore, in faciendis versibus, senum multorum gloriam antecesserit, ac prope, simul ac natus, maturitatem adeptus fuerit suam. Etenim nondum annos natus viginti, libros Columbeidos edidit duos, poëticis omnibus laudibus ita refertos, ut M. Antonii Mureti, Petri Victorii, Angeli

Bargæi, Petri Magni, aliorumque doctorum virorum, qui tum maxime florebant, testimonio, senius illud opus, quam non illa modo, sed longe etiam superior ætas ferret, judicatum sit, & summis in cælum laudibus elatum; neque dubitat Franciscus Bencius, a quo ille eruditus fuerat, discipulum suum se magistro majorem asserere. Sed tam secundus properantis naturæ favor, tanquam ventus, hominem cito defecit; qui cum consedisset, simul etiam festinantis vis illa ingenii quievit, neque postea quidquam, quod magnopere dignum esset laude, perfecit. Quanquam sit verisimilius, ipsum naturæ potius, quam naturam ipsi defuisse. Nam, cum satis se adeptum laudis & gloriæ arbitraretur, summum illud studium remisit, quo a puero fuerat incensus; ac maluit in aulæ luce, honorum sectator, versari, quam in umbra domesticorum parietum delitescens, ad summam poëticæ facultatis laudem pervenire. Fuit, ob præstantiam ingenii, multis summis Pont. carus, sed Clementi VIII. etiam in amore ac deliciis, a quo etiam inter cubicularios intimos est adlectus; quem locum deinceps apud alios Pontifices tenuit. Sed demum cupidus liberorum, qui essent generi monumentum & sibi, senex jam duxit uxorem; at die quodam, dum vini cyathum cupidius haurit, subita morte correptus, excessit e vita.

SILVIVS ANTONIANVS.

IS omnibus exemplo debet esse, quantum in hac Vrbe polleat, ab ineunte ætate, probitati ac literis operam dare. Nam Romæ humili loco, obscuris parentibus, & aliena ope indigentibus ortus, sola virtutis & ingenii commendatione, in locum honoris ac dignitatis, regali fastigio proximum venit; processurus honoribus longius, nisi mors intercessisset. Puer in ludum missus, ea ingenii celeritate, quæ a magistris tradebantur, excipiebat, custodiebatque memoria, ut incitatam æqualium suorum industriam, quadrigis, ut dicitur, albis, antecederet. Ita in versibus faciendis erat felix, ut annos natus non amplius decem, quavis proposita mate-

materia, eos versus ex tempore funderet, quos quivis vir doctus, vix multo tempore, multoque labore adhibito, composuisset; cujus rei periculum factum est maxime in prandio, quod Cardinalis Pisanus pluribus sui ordinis viris clarissimis dedit. Nam cum Alexander Cardinalis Farnesius, fasciculum florum Silvio tradidisset, quem illi ex Cardinalibus convivis redderet, qui Pontifex Max. futurus esset, puer Cardinali Medicæo obtulit, qui multo post ad Pontificatum Max. Pii Quarti nomine, ascendit, ejusque laudes, ad lyræ cantum, elegantissimis prosecutus est versibus; quod Cardinalis de industria factum, neque carmen illud extemporarium, sed accurate cogitateque compositum domoque allatum, existimans, ut ipse ludibrio haberetur, non leve commoti animi signum dedit; sed a Cardinalibus, id persancte negantibus, rogatus, ut experiretur, & argumentum, quod magis sibi placeret, in medium afferret; tum ipsum vere de pueri ingenio existimaturum; quod ab eo factum cum esset, ita puer eleganti carmine, ita verborum ac sententiarum luminibus illustri, rem sibi propositam explicavit, ut Cardinalis, summam in admirationem elatus, simulac factus est Pontifex, conquisito illi, & invento, Pontificiis in ædibus, honorificum locum, & quotidianum victum, magnifice præbuerit. Nam Hercules, Ferrariæ Dux, qui Marcello II, Pontificatum Max. gratulatum advenerat, & pueri ingenio mirabiliter delectatus fuerat, maximis propositis præmiis, eum Ferrariam attraxerat, & doctissimis viris, doctrinis omnibus excolendum formandumque tradiderat. At Pius Pontifex, primum illi humaniores has litteras in Gymnasio Rom. publice docendi munus attribuit, summa mortalium omni approbatione; adeo ut, quo die inciperet explicare orationem pro M. Marcello, tanti ad eum concursus, audiendi gratia, ex tota Vrbe fierent, ut quinque & viginti Cardinales, ob eandem causam, accederent; tum gymnasii ejusdem Rectorem, Camillo Perusco Alatriensium Episcopo, eum subrogavit. Hoc Pontifice vita functo, cum sanctioris vitæ studio incensus, totum se Philippo Nerio in disciplinam dedisset, ultro a Pio V. in demortui Pontificis lo-

cum suffecto, sacri Cardinalium collegii à secretis munus, ultro sibi delatum accepit; quem locum, quinque & viginti annos, summa integritatis prudentiæque cum laude tenuit. Papiensem Cathedram a Gregorio XIV, sibi oblatam, constantissime repudiavit. Sed tantum ingenii, probitatis, sapientiæque lumen, quia majus erat, quam ut uni tantum Reip. Christianæ parti colluceret; dignum profecto erat, quod altiori in loco collocatum, in universam Ecclesiam lucis suæ radios effunderet. Itaque Clemens VIII, qui singularia hominis merita nosset, cubiculo Pontificio, & sanctioribus brevibus eum præfecit; postremo, in sacro purpuratorum Patrum Senatu commemoratis ejus virtutibus, S. R. E. Cardinalem renunciavit. Ajunt, Alexandro Cardinali Montalto, qui ob leves nescio quas offensiunculas, contumax in Silvium fuerat, sæpius has voces excidisse, se neminem posthac, qui talari tunica & pallio uteretur, quantumvis humilem & abjectum, contemptui habiturum: nam posse fieri, ut quem contemneret, ac pro nihilo duceret, non ipsi modo par honore ac dignitate, verum etiam superior evaderet. Sed tandem vir longe clarissimus, perpetuis curis laboribusque confectus, cumque noctes aliquas, scribendis brevibus, totas evigilasset, lethalem in morbum incidit, cujus vim sustinere non potuit. Mortuus est anno ætatis suæ tertio & sexagesimo; qui annus, scansili annorum lege occidua, quam climacteras appellant, quam plurimos aufert. Genus orationis habuit, ut ex orationibus ejus apparet, liquidum, fusum, profluens, & a sententiarum ineptiis abhorrens. Scribenti, ita verba omnia, atque sententiæ veniebant in mentem, ita quæ essent apta sub acumen styli subibant, ut nulla, ejus scripta, litura fœdaret. Tradunt, qui ejus vitæ acta memoriæ ac literis prodiderunt, nullam eum mulierum notitiam habuisse, sed corpus animumque ab omni labe purum conservasse.

DOMI-

DOMINICVS TVSCVS.

IN Dominico Tuſco perſpicuum & apertum magis apparuit, in Vrbe omnium principe, non genere ſed virtute certari; ac novorum hominum induſtriæ, ad ſummam amplitudinem aditum patere. Hic, ex Caſtro Arano tenui, atque humili Regienſis Diœceſis pago primum Romæ, ad ſuſtentandam inopiam, parva mercede, tenuiſſimi cujusque negocia procuranda, tum pro aliis poſtulando, cum probitatem ac diligentiam ſuam omnibus probaſſet, paulatim ad majora negocia adhiberi cœptus eſt; adeo ut Clemens VIII, poſt graviſſimas provincias illi commiſſas, Vrbis regendæ munus demandarit; quo cum fide & integritate adminiſtrato, demum eum, ſummis laudibus ornatum, in auguſtiſſimum Patrum ampliſſimorum ſenatum adlegit: ac ne ad ſummum Pontificatus Max. verticem perveniret, ſermonis libertas obſtitit. Nam cum Leone XI, extincto, comitiis Pontificiis, de altero in ejus locum ſubrogando ageretur, & Cardinales complures ſuis ſuffragiis, ad eum eligendum, tanquam pedibus irent; intercesſit Cæſar Baronius, ac magna voce clamans, non decere, in Petri ſolio conſpici niſi eum, cujus ex ore verba accurata, gravia, ac ſummo Pontifice digna prodirent, eorum curſum retardavit; ſed cum magnis clamoribus & contentionibus a ſuffragatoribus ipſius res ageretur, tandem ejus cauſa victa eſt, ac de ſummi Pontificatus ſpe in perpetuum dejectus; quam ille repulſam incredibili magnitudine animi tulit, vel ob id ipſum Pontificatu maximo dignus, quod ejusdem ſibi e manibus elapſi deſiderio non magnopere commoveri viſus ſit. Nam continuo, ſumma animi alacritate, ad opus illud ingens Communium concluſionum, quod inchoaverat, abſolvendum typisque mandandum ſe contulit. Humiles & obſcuros homines, ad ſe venientes, humaniter excipiebat, eisque erat auctor, ut labori, ac juris civilis ſtudio, ſe naviter traderent; nam fore, ut eorum labores maximis præmiis compenſarentur. Ac de me, ajebat, exemplum, quod vobis ſit utile, ſumite. Ego,

ex vulgari caufidico, multis antea honoribus functus, Vrbis Gubernator, Epifcopus & Cardinalis evafi, ac nihil propius eft factum, quam ut Summus Pont. fierem. Decrepita ætate, annos natus prope nonaginta, de ædificanda fibi domo cœpit cogitare; quam, in ea parte Vrbis, quæ Mons Citorius vulgo appellatur, amœno, & ab arbitris remoto loco, multis privatis ædificiis emptis fubverfisque, faciendam ftatuendamque curavit; credo, quod exiftimaret, fe femper effe victurum: fed accidit, ut antea hominem terra ad fe reciperet, quam domui faftigium effet impofitum.

AVGVSTINVS OREGIVS.

PAri felicitate ufus Auguftinus Oregius, ex S. Sophia, ignobili pago in Flaminia, generis obfcuritatem fui, morum præftantia & ingenii fplendore illuftravit. Nam, qua erat animi celfitudine, fpretis humilioribus artibus, quibus facile ad victum neceffaria parantur, tanquam infra animi fui magnitudinem longiffimo intervallo locatis, admirabili liberalium difciplinarum amore, & in primis Philofophiæ & Theologiæ ftudio exarfit; quibus percipiendis excolendisque ita fuam operam dedit, ut illæ, non fere alterum æque fui cupidum nactæ, in fuorum arcanorum penetralia adducto, omnia ea capita patefecerint, unde flumina doctrinarum erumpunt; ex quarum fontibus expletus, ab Vrbano VIII, tum Cardinali, acri ingeniorum exiftimatore, accitus eft, ut quod de ejus pectore redundaret, in ipfum, fapientiæ item cupidum, refunderet; cujus doctrinæ abundantia ita fe expletum fenfit, ut poftquam purpureum capitis infigne, cum ex auro gemmisque conflata pontificia tiara, permutaffet, non fatis habuerit, eodem, quo antea, loco ac numero ipfum habere, fed tantam vim ingenii virtutisque, majori dignam theatro judicaverit. Itaque Bafilicæ Vaticanæ Canonicum Theologumque conftituit, & pecuniis, quæ ex Pontificis Romani mifericordia in pauperes erogantur, præfecit; poftremo in eum amplitudinis gradum hominem evexit, quo, præter Pontificatum, mox nullus eft

est in Ecclesia celsior, neque clarior; & quo Cardinalis eum locum, quo decet splendore ac magnificentia tueretur, Beneventanæ Archiepiscopalis cathedræ præposuit, unde magnam vim pecuniæ quotannis acciperet. Tantum sapientissimus Princeps virtuti, ab omnibus fere naturæ & fortunæ ornamentis nudæ, honorem habendum esse existimavit. Sed Beneventi, dum magis gregis sui commodis quam sibi consulit, vitam amisit; uno de sacra Theologia, atque altero tantum libro de immortalitate animæ ex Aristotelis sententia, editis.

FRATER THOMAS CAMPANELLA.

INter egregia doctorum hominum ingenia, duo clarissima familiæ Dominicanæ lumina, longe lateque eruditionis & doctrinæ radios diffudisse conspeximus; F. nimirum Thomam Campanellam, & F. Nicolaum Riccardium; sed prior F. Thomæ splendor nostros in se oculos atque ora convertit. Hic Styli, quod est Calabriæ oppidum, ortus, mature se intra Dominicanorum claustra conclusit; hoc est, annos natus non amplius tredecim; sed non minus celeriter eximii, ac supra humanæ conditionis vires ingenii, signa dedit. Nam cum Philosopho operam daret, quæ ab ipso accipiebat, continuo acumine eloquentiaque majore, aliis tradebat. Sed tanta vis ingenii non potuit diutius, angustiis unius cœnobii finibus contineri; longe majorem campum, in quo excurreret, exposcebat; ac primum proximas regiones, tum remotiores, nominis sui fama complevit. Nam magister, unde prima doctrinæ rudimenta acceperat, a fratribus Franciscanis, Conventualibus, ad publicas disputationes Cosentiam invitatus, cum subito implicitus morbo venire non potuisset, subrogavit suum in locum Thomam; qui ita præclare, ita docte, traditas sibi partes exegit, ut esset omnibus miraculo, ac Telesii, cujus ille ne nomen quidem audierat, ingenium in eum immigrasse diceretur: quo ille audito, ejus Philosophi librum intra paucos dies devoravit, ejusque philosophandi rationem penitus perspexit, ac probavit; nec mora, minus undecim mensibus, ad

Martæ librum, undecim annorum labore studioque contra Telesium exaratum, rescripsit. Cujus postea imprimendi gratia Neapolim cum venisset, atque e navi egressus, præter Ædem S. Mariæ Novæ Franciscanorum, ligneo utentium socco, transiret, ex turba euntium ac prætereuntium incensus est cupiditate cognoscendi, quid intus rei ageretur; atque disputationibus operam dari cognovit, in quibus cuivis contra disserendi facultas dabatur. Itaque sese certamini, una cum aliis, objecit, cœpitque ea, quæ tanquam firma ac rata ponebantur, tot argumentis, tam validis, tam apte arguteque conclusis, labefactare atque convellere, ut ovanti similis reductus sit domum a fratribus sui ordinis, ac postero die, & aliis deinceps multis, coactus sit in eruditam illam aciem certamenque descendere, unde semper, magna cum laude, victor discedebat. Illud vero sui nominis famam, supra quam dici potest, in immensum auxit, quod, cum in illis disputationibus, Theologorum quoddam placitum in contentionem certamenque deductum esset, ac multa docte arguteque in utramque partem essent allata, nescio quod docti cujusdam, ex suo ordine, senis dictum, utpote verum, cum plausu excepit, & in cælum laudibus extulit; at senex iratus: Tace sis, inquit, nec te immisce; de Theologicis hic rebus ambigitur, quas tu ne primoribus quidem labris attigisti. Quo hominis in primis iracundi dicto exarsit ille, nec tulit; Ac vide, inquit, quam ego sim harum rerum ignarus ac rudis, ut possim te decem annos in disciplina habere, ac postea adigere, ut fatearis, te nihil scire vel intelligere. Ac reprehensum senis illius argumentum, & sanctorum Patrum sacrarumque literarum testimoniis confirmatum, tanquam amentatam hastam, ità cœpit ingenii lacertis ac viribus intorquere, ut omnium concessu fuerit judicatum, a Campanella semper omnes, illo autem die etiam ipsum a sese superatum. Quæ victoria magnos illi, in omnem vitam, bellorum tumultus excitavit. Primum, a sene illo, cujus contumaciam retuderat, apud Quæsitores fidei accusatus, quod, tantam vim doctrinæ, cujus ne literam quidem didicisset, ex inferorum fontibus hau-

hauſtam ebibiſſet. Deinde Neapoli perduellionis reus factus, quod regnum iſtud hoſtibus prodere conatus eſſet. Cujus criminis ſuſpicione conjectus in carcerem, quinque & viginti in eo annos, omnibus confectus miſeriis exegit, & in primis ultimum vitæ diſcrimen adiit; cum quæſtione de eo quinque & triginta horis, dire ac crudeliter habita, omnes, circa ſedem, venæ arteriæque, tormentorum immanitate diffractæ, eam vim ſanguinis emiſerunt, ut ſiſti non poſſet; ad quæ tormenta eam animi fortitudinem attulit, ut ne vocem quidem unam emiſerit, docti ac ſapientis viri gravitate indignam. Sed demum, ex vinculis illis elapſus, cum novam ſibi tempeſtatem commoveri animadverteret, fugit in Galliam, tanquam in portum, Regi illi ac regni proceribus, quoad vixit, acceptiſſimus. Scripſit ingens opus, de reformatione ſcientiarum, decem in codices diviſum, quorum ſinguli, plures in partes diſtribuuntur; unde, nihil acutiſſimo ingenio homini tam fuiſſe propoſitum apparet, quam relictis veteribus viis, ad omnium ſcientiarum notitiam, novum atque directum iter aperire. Scripſit etiam alia permulta, partim edita, partim nondum impreſſa, quorum index a Iacobo Gaffarello recenſetur.

F. NICOLAVS RICCARDIVS.

QVis unquam exiſtimaſſet, in ſumma corporis pinguitudine, quæ, ne ad terram ſuo pondere rueret, bacillo ſuſtentanda erat, qualis Nicolao Riccardio contigit, latitare ſapientiam? Quis credidiſſet, in enormi capitis magnitudine, ſoliditate atque duritie, qua ſæpe ille nuces, & quod eſt in malo Perſico duri, uno ictu comminuebat, locum habere ingenii admirandum acumen? Fuit Nicolaus Riccardius, natione Italus, patria Ianuenſis, nobili loco natus, quamvis, ab ineunte ætate in Hiſpania educatus, ac liberalibus diſciplinis inſtitutus, ita Hiſpanice loqueretur, ut pro Hiſpano haberi poſſet. Inerat in eo magnum ingenium, eloquentiæ ſumma vis, memoria, quæ res, ab eo perceptas, ita fideli cuſtodia ſepiret, ut nunquam eas elabi pateretur.

teretur. Cujus memoriæ fiducia, de quacunque re propoſita, diſerte copioſeque dicebat ex tempore, & in familiaribus colloquiis, ac præſertim in concionibus, quas ad populum habebat, ea rerum ac ſententiarum copia redundabat, ut Philippus III, Rex Hiſpaniarum, qui ejus concionibus interfuerat, ob excellentis abundantiam doctrinæ, non hominem, ſed monſtrum potius hominis eum eſſe, palam multis audientibus, dixerit; quod illi cognomen ita adhæſit, ut nunquam exciderit, neque vulgo alio niſi monſtri nomine appellabatur. Sed cum tot rebus floreret, judicii tamen laude caruit; in quo ita interdum claudicabat, ut quæ ab eo a re aliena dicerentur, omnem ingenii commendationem everterent. Venit in Italiam, Hiſpania pulſus, ut ajunt, quod conſtantem, apud omnes gentes, ac præſertim apud ejus nationis homines, de innoxio Deiparæ Virginis conceptu ſententiam nimis acriter vehementerque oppugnaret. Denique Romam profectus, in urbe, vel potius in arce orbis terrarum, in luce omnium gentium, quo, quidquid eſt ubique præclarum ac laudabile, confluit, ingenii, eruditionis, eloquentiæ, doctrinæque ſuæ domicilium ſedemque conſtituit, & ſtatim animos hominum ad ſe, dicendi novitate, convertit; & ſimul ac auditum erat eum eſſe dicturum, locus in ſubſelliis occupabatur, templum complebatur; corona multiplex; ubi ſurgebat dicturus, continuo ſilentium; deinde crebræ aſſenſiones, multæ admirationes; genus dicendi acre, incitatum, ac vehemens; ſententiæ interdum magis acutæ quam graves, magis venuſtæ quam utiles, magis crebræ quam neceſſariæ; ea non parum ſæpe amplificandi gratia afferebat, quæ impietati, quam catholicæ veritati, propiora viderentur eſſe; quæ aut arguta verborum interpretatione, aut alia aliqua ingenii machinatione ab erroris calumnia vindicare, & ad id, quod volebat, conabatur attrahere. Hæc ingenioſis hominibus, juventuti præſertim, admirationi erant, doctis & cordatis hominibus non probabantur. Verum, dicente ipſo, hæc atque alia ejusmodi vitia, vocis magnitudo, orationis ubertas, dicentis alacritas, actionis ſplendor ac dignitas tegebat. At cum ſe

ad

ad ſcribendum conferret, hæc omnia, actionis præſidio nudata, ſeſe judicantium arbitrio offerebant; ut in commentario in Litanias, ab ipſo edito, apparet; in quo non pauca, temere ac perperam ſcripta, F. Thomas Campanella, perpetuus illius obtrectator, collegit, & in unum codicem retulit, typiſque mandandum curavit. Sed, omnium confeſſione, magnum exiſtimationis ſuæ damnum fecit in eo libello, quem paucis ante mortem annis edidit. Nam cum aſſiduam multorum annorum operam ſtudiumque collocaſſe diceretur in refellendis, quæ contra ſacrum Concilium in celebri vulgatoque libro ſcripta eſſent, cumque eximium aliquod opus ab eo, ſingulari doctrina & eruditione refertum, expectaretur; ecce tibi, ex tanta hominum expectatione, quam de ſe concitaverat, tanquam ex parturientium montium alvo, vix paucæ chartulæ, veluti ridiculus mus, prodiere. Magiſtri ſacri Palatii munus adminiſtravit; denique in locum F. Franciſci Nerii, ex cucullatorum familia concionatoris Pontificii, ab Vrbano VIII, ſuffectus eſt. Referunt aliqui, eſcæ hominem maxime fuiſſe; ſed non minorem illa ingentem corporis molem, quam gerebat, popoſciſſe, quæ multo cibo eſſet alenda. Alii vero, ut cibi vinique parciſſimum, eum laudant; ut in prandio, unico ſæpe ovo fuerit contentus; quod in homine tam pingui tamque obeſo, mirum atque incredibile videatur. Sed quoniam id mihi non plane compertum eſt, in medio relinquo. Id quidem certum eſt, eum apoplexia interiiſſe.

HIERONYMVS ALEANDER IVNIOR.

FOrum Iulii, optimorum ſemper ingeniorum, ad omnis eruditionis, ac præſertim ad poëticæ facultatis laudem efflorescentium, feraciſſimum extitit; atque, ut innumeros taceam, quos, ex ſuperiorum ſæculorum memoria, edidit, & in primis, ut Hieronymum, Io. Baptiſtam, & Cornelium fratres Amaltheos prætercam, quorum carmina ſuavitate, cultu, ac nitore, veterum poëtarum gloriæ proxima, in laudem & admiratio-

rationem sui ævi suspiciuntur; novissimo demum foetus ager ille fertilissimus Hieronymum Aleandrum juniorem extulit, Hieronymi Aleandri, Cardinalis Brundosini, omnis doctrinæ laude cumulatissimi, pronepotem, & Amaltheis, quos diximus, materna arctissima cognatione implicitum (fuit enim maternus illi avus Hieronymus.) Hic ingenio, eruditione, ac morum elegantia apprime præditus, non ita multis annis postquam Romam venit, in aulam Octavii Cardinalis Bandini exceptus, egregiam eidem, per viginti ferme annos, in scribendis epistolis operam navavit; & statim, quo erat in bonas litteras animo ac voluntate, Academiæ Humoristarum, tum primum nascenti, se totum addixit, in eaque perpetuis commentationibus sese exercuit, in ejusque *Impresam*, eruditissimum librum, vernacule scriptum, edidit. Adolescentulus antea in Caji Institutiones egregium commentarium typis mandandum curaverat, cum vix ex Jurisconsultorum disciplina prodiisset; tum Romæ, de suburbicariis Regionibus, adversus Anonymum hæreticum, librum, doctissime scriptum, emisit; antiquæ tabulæ marmoreæ, solis effigie symbolisque exculptæ, accuratam explicationem, atque ad Paulum Gualdum, Archipresbyterum Patavinum, expositionem argumentorum, in zona antiquæ tabulæ marmoreæ exculptorum attulit; præterea, edito optimorum carminum volumine, quid in ea facultate posset, ostendit; postremo, sumpto Adonidis Marini patrocinio, egregium illud poëma, adversus equitis Stiliani censuram, contumeliis plenam, tueri conatus est. Scribendi ejusdem ratio, tum in soluta oratione, tum in versibus, adeo erat pura, adeo elegans, adeo perspicua, ut sæpe ex me audiret, tum demum me mihimet doctum eruditumque videri, cum sua legerem, cum autem in aliorum scripta, qui se eloquentes dici vellent, incurrerem, tum plane me indoctum, omniumque rerum rudem agnoscere, eo quod verbum prorsus in illis nullum intelligerem. Vrbano VIII, ad Pontificatum Max. evecto, ipso adnitente Pontifice, ex Cardinalis Bandini domo, in aulam Barberinorum adductus, Francisco Cardinali Barberino, fratris Pontificis filio,

filio, traditus est, ab epistolis Latinis scribendis; quem etiam secutus est in Galliam, Legati jure ac nomine ad Regem illum missum. Sed qui itineris, tam longi, labores fortiter constanterque subiisset pertulissetque, vim morbi ferre non potuit, ex frequentibus concœnationibus compotationibusque cum amicis & contubernalibus aliquot suis contracti, quos inter convenerat, ut, tertio quoque die, mutuis se invicem conviviis exhilararent. Nam homini tenui & infirma valetudine, apud mensam plenam, necesse erat plus sumere, quam suus ferre stomachus posset. Mortuus, elatus est Academicorum Humoristarum humeris, atque, in ea Academia, de qua erat optime meritus, Francisci Cardinalis Barberini opera sumptuque, amplissimo funere cohonestatus.

HIERONYMVS PRÆTVS.

FRanciscum Cardinalem Barberinum, quem modo meminimus, in Hispaniam, sedis Apostolicæ Legatum, proficiscentem, cum Hieronymus Aleander, adversa valetudine impeditus, non posset prosequi; scribendarum epistolarum partes demandatæ sunt Hieronymo Præto Bononiensi, ex nobili vetustaque familia; qui statim ab excessu Gregorii XV, Pontificis ejusdem fratris filio relicto, cujus lateri honorarius custos fuerat additus, ad id, unde spes novæ utilitatis futuræ ostendebatur, vela dederat, hoc est, ad novos rerum dominos transierat. Verum, quasi præsagiret animo, illud sibi iter fore postremum, ante suum e vita discessum testamentum fecerat, & amicos ad unum omnes salutaverat, ac valere jusserat, quos nunquam postea se esse visurum affirmabat. Neque ejus prædictio vana evenit. Nam itineris labore molestiaque confectus, Barcinone diem obiit supremum. Erat homini ingenium satis acre, amœnum, & ad humaniores literas mire propensum. Adolescens juri civili operam dederat, ac magnam de se opinionem concitaverat. Nemo enim erat, qui eum nosset, qui non existimaret, magnum eum Jurisconsultum evasurum. Sed cum severiora hæc studia lene ac

mite

mite ejus ingenium respueret, humanissimas ac liberalissimas artes, ad quas natura ferebatur, toto pectore amplexus est, & in amore ac deliciis, usque ad extremum vitæ spiritum, habuit. Leguntur ejus rhythmi, sententiis ac translatis paulo audacioribus referti, sed adolescentium assensioni accommodati; e quibus omnibus ipse suæ Salmaci palmam dabat. Multæ præterea Academicæ disputationes sunt ab eo erudite eleganterque compositæ, & in his Commentarius, quo Comitis Rodulphi Campeggii poëma, de Virginis Deiparæ lacrimis, illustravit.

POMPEIVS CAIMVS.

EGregia atque præclara Pompeji Caimi Vtinensis, Medici atque Philosophi, omnium fere liberalium artium scientia majorem sibi apud omnes homines amorem & gratiam conciliasset, si non eam nimius sui amor, & contemptor aliorum animus corrupisset. Erat Græcis & Latinis literis doctus, poëticæ facultatis studiosus, philosophus, non unus e multis, sed prope singularis; rei medicæ peritissimus; ad cujus scientiam longum usum & exercitationem adjunxerat. Romam profectus, Rogerii Abbatis Tritonii, popularis sui, commendatione, ab Alexandro Card. Montalto, qui per eos dies medicum amiserat, magnis præmiis domum suam est invitatus; quæ res magnam illi existimationem apud omnes peperit. Nam summorum ac locupletum hominum, ancipiti morbo laborantium, curationibus cœptus est adhiberi, unde magnam vim pecuniæ fecit; & in gymnasio Romano Philosophiam docendi munus magnis stipendiis obtinuit; quo in munere aliquanto felicior, quam in curandis ægrotantium morbis, habebatur. Etenim contingebat, ut, ipso curante, multi extinguerentur; in quorum numerum venit Card. Montaltus, unde illi large vitæ alimenta suppeditabantur. Sed in hac arte, sicut in ceteris, fortuna dominatur; & vulgus, ubi bene curationem aliquam evenisse novit, continuo Medicum illum catum & doctum declarat; indoctum autem & rudem eum, cui

vertit

vertit mala. Desiderabatur interdum in eo judicium; quo deficiente aliquando, ad ineptias delabebatur: sed verum est, quod dicitur, nullam esse sapientiam sine aliqua mistione levitatis. Cardinali Montalto e vivis sublato, conducta est ejus opera a Rep. Veneta, ut, in Patavino gymnasio, medicæ facultatis præcepta traderet. Sed ante suum ab Vrbe discessum, a Paulo V, Pont. Max. in equitum aureatorum militiam adlectus est; qui honor, nisi summorum Principum oratoribus, non habetur. Patavii, ex ingenii æmulatione, cum Cæsare Cremonino simultates, sicut antea Romæ cum Iulio Cæsare Lagalla fecerat, suscepit exercuitque. Docturus discipulos, lectica usque in scholam se deferri jubebat. Decessit, multis præclaris ingenii sui monumentis relictis, atque bibliotheca sua Reip. Venetæ, testamento, legata.

FABIVS LEONIDA.

FAbius Leonida, in oppido S. Floræ ortus, poëta summus ab ineunte ætate, poëticæ facultatis studium, ad quod natura ferebatur, coluit, in eoque diligentissime se exercuit. Multa scripsit, tum Etrusco, tum Latino sermone, cum esset utriusque linguæ peritissimus; sed accurate, magno studio, magnoque labore. Nam in ea, quæ scripserat, severe, inquirens, ex Horatii præceptis decies & plusquam decies castigabat emendabatque, quo videlicet ad summam elegantiam summa etiam perspicuitas ac nitor accederet; & facile utramque assecutus est laudem. In rhythmis, in quibus aliquot annos, ceteris fere studiis omissis, multum operæ ac temporis posuit, cultu, nitore, elegantia, non video, cui suorum æqualium debeat cedere. Odæ, quibus plus operæ tribuit, proxime, neque admodum longo intervallo, proxime ad Horatii excellentiam accedunt; quas, cum in Academia Humoristarum, ex quorum numero erat, recitaret, magnam ingenii sui admirationem & plausum excitabat. Erat præterea ad omnes liberales artes a natura factus, ut quamcunque in partem ille se daret, in ea excelleret. Optime scienter-

que fidibus canere, eleganter psallere, in exarandis literis, elegantissimis characteribus uti; epistolas, sermonis elegantia, sententiarum gravitate, & convenienter eorum, ad quos mittebantur, dignitati, componere; in quibus scribendis, multis summis viris egregiam ac laudabilem operam navavit; in his Io. Baptistæ Raymundo, Cameræ Apost. Clerico, Benedicto Card. Iustiniano, Francisco Card. Boncompagno; a cujus se comitatu sejunxit, quia Neapolin cum illo, ad Archiepiscopalem illam cathedram traducto, ire noluit; seu pertæsus aulæ, seu ardentissimo poësis amore inflammatus; cui contraria est in primis aulæ occupatio, atque animus ambitionis labore districtus. Non tamen ejus meritis, ut plerisque aliis accidit, par fortuna respondit. Nam neque ad honores ascendit, neque ad mediocres saltem divitias opesque pervenit. Imo cum, relicto Cardinali Boncompagno, se posse putaret ex reditibus, quos ex aliquot sacerdotiis pensionis nomine exigebat, & ex nummis, quos ex pecuniis in fœnore collocatis capiebat, vitæ necessitatibus suppeditare, nihil factum est propius, quam ut debitorum improbitate fœnus & sortem amitteret. Postremo ad convertendos in Latinum sermonem, vario carminum genere, Davidis Psalmos, operam, studium, & laborem contulit; quo in studio occupatum vita defecit apoplexia subreptum, cum de eo Florentiam ad Io. Carolum Medicæum, magni Etruriæ Ducis Ferdinandi fratrem mittendo ageretur, ut eum optimus ille Princeps, bonorum ingeniorum studiosus, scribæ loco ad manum haberet.

IO. ZARATINVS CASTELLINIVS.

IO. Zaratinus Castellinius Io. Pauli Castellinii filius fuit, viri in Romani Pont. aula spectatissimi, quod omnium fere Germanorum Principum negocia, magna cum fidei & integritatis laude gerebat. Sed Io. Filius, statim a prima adolescentia, mire se ad humanitatis studia propensum ostendit; hinc omnes, quos norat, harum politissimarum artium cupidos adire, amicitia comprehendere, colere, tum, patre amisso, a quo ad jus civile

civile perdiscendum invitus compellebatur, a curis omnibus vacuus, illuc contendit, quo natura eum sua ferebat; ociumque in evolvendis veterum scriptorum libris omne consumpsit. Fuit vir acri judicio, non mediocri ingenio, idemque eruditus Latinis literis, antiquitatisque Romanæ litterate peritus; veterum autem inscriptionum erat adeo studiosus, ut in eis perquirendis interpretandisque pene mori videretur. Hinc fiebat, ut quoad Romæ vixerit, nullus fere dies fuerit paulo serenior, quin in aliquo prædio vel agro conspiceretur; ubi ex veterum villarum ruinis saxa vel lapides effoderentur; ut si quæ in eis tabulæ marmoreæ, Græcis vel Latinis notis insculptæ, inventæ essent, vel eas precio auferret, vel quod in eis scriptum esset, in sua pugillaria referret. Scripsit epigrammata, tum jocosa, tum gravia, multo sale leporeque conspersa, aliaque non parum multa plena eruditionis opuscula, quorum singula, ut tempus & occasio ferebat, impressoribus, typis excudenda, mandabantur; quæ si essent unum in corpus collecta, satis magnum volumen efficerent. Fuit maxima ex parte auctor Iconologiæ, quæ Cæsaris Ripæ nomine impressa, pictorum cælatorumque omnium manibus teritur. Vir nullus erat in Italia, eruditionis laude conspicuus, quicum illi aut amicitia non esset aut usus litterarum. Annum quintum supra trigesimum agentem evocavit ad se Faventia, natale parentis sui solum, post biennium remissurum; sed Vrbis ocium & amœnitas haud magno negocio hominem, ab honorum ambitione atque aulæ strepitu abhorrentem, retinuit, suasitque locum illum, ubi propter ingenium & eruditionem erat in honore ac precio, patria sede mutare. Itaque, relicta cogitatione Romam redeundi, ibi se in litteris abdidit, ac demum annos natus unum & septuaginta, simul scribendi & vivendi finem fecit, urinæ vitio interceptus: cujus reddendæ difficultate cum premeretur, atque esset necesse eam sæpius manu moliri, nec calculus, qui intus se opponeret, pelli posset; accidit, ut urina, relicto naturali itinere, novam sibi ad exeundum viam muniret; quo in loco cum sua vi & acrimonia ulcera & inflammationes excitasset, demum homini interitum attulit.

IO. BAPTISTA FENSONIVS.

VRbis Faventiæ mentio fecit, ut nobis veniret in mentem Io. Baptistæ Fensonii I. C. civis ejusdem clarissimi, quamquam ille se Barsichellæ ortum dicat, quod est Æmiliæ oppidum non ignobile, quodque semper multos Romam misit in omni virtutum genere præstantes viros; & nos eodem tempore in augustissimo Cardinalium collegio duos ex eodem oppido vidimus, eo loco ac munere dignissimos. Sed Faventia civem etiam eum suum agnoscit, qui non comitate & hilaritate, ut alii, sed tristitia & severitate commendatus, omnibus iis honoribus functus est, qui uxores habentibus patent. Nam primum Octavio Paravicino Cardinali, Germaniæ patrono, tum Scipioni Cardinali Burghesio, qui illo mortuo Germaniæ ejusdem patrocinium susceperat, a cognitionibus fuit; quo postea suffragante, ad urbanos magistratus ascendit, ac Princeps appellationum primo, nec ita multo post Vrbis Senator fuit; quem magistratum magnificentissimo apparatu adiit, & pompa, tota fere civitate in ejus spectaculum effusa. Sed tam propensæ in eum voluntatis hanc illi gratiam retulit, quod leges ejusdem municipales doctissimis commentariis illustravit; quem librum nemo est advocatus, nemo causarum patronus, nemo legulejus, quin habeat, legat, quin in reorum defensionibus utatur. In quo illud mirum accidit, quod sumptibus, qui in eo opere imprimendo fiebant, suppeditandis, insignem bibliothecam optimorum librorum copia refertam, tot annorum opera, studio, labore, sumptuque comparatam, quæque uni etiam oppido splendori ornamentoque posset esse, divendidit: tam multis libris, tamque præclaris, unicus illi liber constitit. Fuit homo tetricus, ambitiosus, honoris appetens, iracundus, magnus sui æstimator; quidquid dixerat, velut Apollinis oraculo profectum videri volebat. Sed homo catus, qui recte nosset aliis cavere, in suis negociis hebes ac tardus inveniebatur; quo factum est, ut extremo vitæ suæ tempore, arduis & contortis litibus, sua incuria & indili-

gentia excitatis, implicitus, ex ægritudine & articulari morbo decesserit.

HENRICVS FALCONIVS.

Dignus est Henricus Falconius Romanus, Academicus Humorista in primis, qui ob celeres ingenii alacris, prompti, & tanquam exultantis equuli, motus, posteritati tradatur. Hic mores adolescentis nunquam exuit; sed semper remansit idem. Nam quamvis annorum decursu ad summam senectutem pervenisset, neutiquam tamen extitit ingenio senex, neque ab iis studiis unquam exaruit, quibus ab adolescentia fuit imbutus: neque tamen quidquam ingenuo ac liberali homine indignum admisit; sed cum hominibus festivis & jucundis vivere, de amore ac rebus amœnis & voluptariis loqui, & quamvis esset lingua celeri & incitata, ac verborum non egens, suam tamen partem sermonis aliis relinquere, nemini oblocutor esse, sua aliis carmina recitare, aliorum audire, & si probabilia viderentur, verbis in cælum efferre, ediscere, aliisque ad cognoscendum proponere; sin autem minus probarentur, modice & caute reprehendere, & quidquid in eis desideraret exponere, amicis obsequi, adesse, opitulari; sed in primis (unde apud maledicos aliquos non belle audiebat) præclara juvenum ingenia, præsertim si essent cum formæ dignitate conjuncta, more Platonico adamare; ita tamen, ut nemo eum unquam cum ipsis ambulantem aspexerit. Præter eas horas, quas cibo somnoque dabat, nunquam domi se continebat. Noctu vel in amicorum ædes, quæ semper illi patebant, se recipiebat, ibique ad mediam noctem sermones cum illis protrahebat, vel solus in vicis ac foris obambulabat. Nulla nox tam magna turbulentaque tempestate fuit, quæ retinere eum domi valuerit, quin exiret foras, & sub ædium suggrundis & protectionibus ociose incederet. Et si major esset vis aquæ, quam possent tecta defendere, in aliquam porticum confugiebat, ibique tantisper manebat, dum vis imbrium sese remisisset. Nocturnarum autem vagationum comitem laternam, in eaque Vulcanum inclusum,

 habe-

habebat; cujus etiam usum amœno ac festivo carmine laudavit, quod hac sententia concludebatur; illi nimirum laternæ generi palmam tribuendam esse, quod esset longum, manubrio crasso, latereque pertuso. Interdiu vero semper habebat decretum aliquem locum, ubi amicis se daret, ubi si solus esset, vel aliquid legeret, vel commentaretur; ac, me puero, Ædes D. Mariæ super Minervam totos eum dies habebat: ac senem, ætate ac stranguriæ morbo confectum, quo periit, in tabernam aromatariam, in foro Rotundæ inter olitores & pomarios sitam, se recipiebat, nec duo & octuaginta annos natus, acerbissimisque stranguriæ doloribus vexatus, si quis invitasset, recusabat in cauponam commessatum ire, ibique se hilarissimum convivam exprornebat, ac risus, ludos, jocos, omnemque amœnitatem exercebat. Quæ puer a magistris didicerat, quæque a doctis viris in colloquiis acceperat, nunquam e memoria dimisit, sed constantissime retinuit, & cum res poscebat, in medium proferebat. Erat cavillator facetus, conviva commodus, in lacessendo respondendoque argutus; voce magna, canora, suavi, quæ suis versibus, cum eos recitabat, splendoris non parum arcesseret; multæ præterea in eo facetiæ, multi joci, magna exemplorum copia inerat. Iam inde ab ineunte ætate, omne suum studium atque omnem operam in scribendis rhythmis collocavit, & in eo præsertim rhythmorum genere se exercuit, quo venusta aliqua sententiola paucis versibus lepide arguteque concluditur; neque minimam in eo laudem meruit: & quoniam hoc genus carminis ductoribus gregum maxime aptum existimatur, unde etiam nomen accepit, ideo ipse se ex Falconio Falcum pastorem Viberinum fecerat; eoque se nomine vocari mirifice gaudebat.

IO. FRANCISCUS PAULUS.

TUlit etiam ætas hæc nostra alium, acuto, eleganti, facetoque ingenio, suavibus moribus, & admirabili facundia virum, Io. Franciscum Paulium Pisaurensem; in quo magnum fuit Academiæ Humoristarum orna-

ornamentum ac decus. Nam quoties insignis ille eruditorum cœtus in unum conveniebat, non patiebatur desiderari a se præsentiam suam; sed aderat semper, ferens secum novum aliquem ingenii sui fœtum; qui eo majore cum plausu excipiebatur, quod mira vocis suavitate, sono, & claritate commendatus veniebat ad aures; & quoniam semper illustrem aliquam sententiam non illepide conclusam continebat, ad extremum usque reservabatur, ut in animis audientium aculeos quasi quosdam relinqueret, quibus ad illuc redeundum incitarentur. Sed qualis fuerit ejus facultas, quæ scribendi ratio, perspici potest ex rhythmis, quos edidit; in quibus, quantavis sit actionis, apparet. Nam vocis auxilio destituti, multum de plausu illo, quo fuerunt excepti, deperdunt. Tanta erat in homine humanitas, tantus in jocando lepos, ut, ubi ille adesset, omnis tolleretur ab animis mœror atque tristitia. Principibus Sabellis, quoad vixit, perpetuam in scribendis epistolis operam præstitit: apud quos stranguria, ex scribendi labore & assiduitate contracta, interiit: eorundemque principum virorum, honoris & gratiæ causa, semel Triumvir conservandæ Vrbis fuit electus; qui honor illi delatus tum est, cum Thadæus Barberinus, Vrbani VIII fratris filius, declaratus Vrbis Præfectus, maxima pompa ac triumphanti similis, magistratum illum amplissimum adiit. Itaque ille conspectus est in auro, Præfecto proximus adequitare. Semper inanibus mulierum amoribus implicitus, nullum tempus ab his curis vacuum habuit; credo ab molliciem animi, vel ob frequentem ejus argumenti tractationem: & aliquando admonitus a me, ut ab ejusmodi nugis animum avocaret, negavit id a se fieri posse; se enim ita a puero assuefactum, ut sine amore nullam esse vitam duceret; quam tamen innocenter sic transigere se affirmaret: at eum arbitror, acerbissimis vesicæ doloribus exercitatum, de alia re potius, quam de mulierum amoribus, cogitare cœpisse.

M. ANTONIVS DE PROSPERIS.

NOn immerito aliquam apud posteros memoriam sui postulare videtur M. Antonius de Prosperis, Palliani, Campaniæ oppido natus, ob insignem memoriam, qua præstitit cunctis, qui una essent ætate. Fuit hic studio & voluntate philosophus, atque fere in omni victu cultuque, ut qui maxime, Cynicus. Habitavit Romæ in Subura, modicis ædibus, inter fæcem & quisquilias Vrbis, hoc est inter eos, quos Zingaros vocant; quos etiam in clientelam acceperat. Ædium earum forma hæc erat; Statim ab ostio aditus erat in cubiculum, ubi ipse prandebat, cœnabat, cubabat, aliaque omnia ad vitæ usum necessaria exequebatur; cubiculo adjunctum erat impluvium, ubi gallinas plures alebat; sequebatur deinde crypta, in qua ligna ad faciendum ignem, & vini optimi cadum inclusum habebat. Nulla erat illi lauta supellex; culcitra humi strata lectum præbebat; quam culcitram undique pulveris omnisque immunditiæ acervus, tanquam vallus munibat, ut gallinæ, quibus interdiu aditus in cubiculum patebat, haberent, quod possent unguibus scalpere. Pro bibliotheca erat fictile dolium, ubi libri nullo ordine dispositi jacebant; arcam, in qua vestes conderet, lignea gravicembali theca suppeditabat: nunquam ab ædibus sordes amovebat, nunquam parietibus dejiciebat operas aranearum, nunquam vasa ænea, rubigine obsita, in splendorem dabat, nullius ille famuli vel famulæ opellas conductas habebat, ipse sibi famulabatur, ipse sibi obsonabat, obsonia scindebat, ipse sibi cyathissabat, ipse sibi prandium coquebat, ipse ad ignem, qui in foculo cubiculi angulo hærenti lucebat, carnem vitulinam, pullos gallinaceos, turtures, aliasque aves veru infixas versabat. Nam hac una in re a Cynicorum disciplina, qui tenui ac parabili victu contenti erant, discedebat, & in Epicuri scholam transibat, quæ lepidis victibus corpus esse alendum docebat: neque erat quisquam, in quem melius Horatianum illud conveniret, *Epicuri de grege porcus*: nulla aderat mensa, quam torale insterneret, nulla mappa, qua os deter-

detergeret, sed coctos pullos, pugno comprehensos, tanquam accipiter, vorabat inambulans. Omnis aberat cyathus, quo potitaret; sed cyathi munus præstabat fictile poculum, eoque vinum, non unum e multis, sed vini florem, in sese invergebat. At si quando obsonium aliquod nitidiuscule curatum expetebat, emptum cauponi proximo tradebat, qui illud sibi in prandium cœnamve curaret. Erat optimorum piscium avidissimus: itaque cum primum advesperasceret, in forum piscarium cum linteolo sordidissimo, quod plenum auri, quasi puer crepundia, in collo pendens gerebat, properabat; ibique multos bilibres siluros, lupos, inter duos pontes captos, murænas, flutas, aliosque pisces in primis nobiles, quovis precio destinabat. Unde autem homo pauperculus tantam rem fecerit, qua posset suis sumptibus suppeditare, est operæ precium agnoscere. Liberioris vitæ, sed nulla re prorsus egentis, cupidus, hanc sibi munire ad id, cujus erat cupiens, viam instituit: cœpit in eruditorum conventibus versari, in amicorum colloquiis multa memoriter referre, jaciendisque ridiculis, dicacis memoriaque præstantis sibi viri nomen famamque conficere; qua fama impulsus Petrus Card. Aldobrandinus, qui tum Clemente VIII, ejus patruo, summo Pont. rerum potiebatur, suam eum in aulam excepit, ut a negociis feriatus, animi causa, vel insigne aliquod memoriæ signum dantem, vel argutum aliquod dictum tanquam jaculum mittentem audiret. Quem hominem utraque in re ita probavit, ut sacerdotio locuplete donaverit, unde multa centena aureorum quotannis acciperet. At malus, ubi se locupletatum vidit, Cardinali manum adiit, & ab aula ejusdem excessit. Sed ut ad ejus vitæ mores, unde paululum digressi sumus, revertamur; noctu pileis pluribus caput insertum, cervicali commendabat; quos pileos, ut capiti melius hærerent nec exciderent, sordido lino multisque maculis fœdo, mento alligabat. Audivi ex eo, cum diceret, ardentissimo se Chymicæ, quam vocant, artis amore, studioque flagrasse, sed contentum, auri conficiendi rationem, rem multis incredibilem, a se repertam, quamvis sumptu, qui non parvo intervallo lucrum excederet, studium

illud penitus abjecisse. Hæc ille. Sed mors, quæ æque mundulos ac venustulos, ut horridulos sordidulosque aggreditur, in suis eum sordibus, fato maturum oppressit.

M. ANTONIVS DE COMITIS.

PEr idem tempus Philosophus alter, M. Antonio de Comitis nomine, ob vivendi rationem, a communi hominum consuetudine usuque abhorrentem, non minus quam superior, sermo erat omnibus. Fuit quidem superiori illi M. Antonio, ætate ac philosophiæ studio, par prope ac gemellus; sed, ut variæ sunt hominum inter se voluntates, moribus longe dissimilis. Ille incomptus ac rudis, nihil æque ac sordes adamabat: hic comptus, elegans, nulla re ita gaudebat, ut mundiciis. Nullæ in laquearibus telæ aranearum conspiciebantur; nihil in pavimentis, quod oculos posset offendere; & si quam in eis paleam deprehendisset, sua manu collectam, in viam dejiciebat; nihil pulveris patiebatur in pileis vel in vestibus hærere; ac, si quid ad eas advolasset, statim excutia, eum ad usum facta, pellebat; ad hæc supellex elegans, vasa nitida, toralia, mappæque mundissimæ. Hac una in re cum illo Cynico congruebat, solitudinis nimirum amore: nullum enim virum, nullam mulierem, in famulatu habebat; ipse sibi erat imperator, ipse dominus, idem ipsemet sibi dicto audiens. Non tamen idcirco rem philosopho dignam existimabat, sordidis culinæ ministeriis manum admovere; sed mulierem vicinam conductam in id opus habebat, quæ cœnam ac prandium ipsi coctum in canistris afferret. Ac ne mulieris expectantis, dum pranderet vel cœnaret, mora solitudini ipsius fraus aliqua fieret, simul ac illa advenerat prandium afferens, eam statim cum canistro, in quo hesternæ cœnæ patinæ erant, dimittebat; quem etiam morem, cum cœna daretur, retinebat. Nulla unquam conditione adduci potuisset, ut ovum unum gallinæ, quæ in triviis ac stabulis fimo aliisque sordibus impletur, suum in ventrem immitteret; sed gallinas aliquot domi Martiis panibus alebat; & cum amicus aliquis,

aut

aut hospes, salutandi gratia domum ad ipsum veniebat, par illi ovorum, quæ ex gallinis suis acceperat, domo dabat, referens, quo pabulo alerentur. Fuit astrologus & mathematicus in primis; quæ res pene illi exitio fuit: atque in his studiis ætate confectus interiit.

VIRGILIVS CÆSARINVS.

Virgilius Cæsarinus patrem habuit Iulianum, civitatis Laviniæ Ducem, formæ dignitate atque præstantia in adolescentia cunctis sui ævi mortalibus superiorem. At Virgilii immaturo interitu damnum res Romanæ Latinæque literæ fecerunt. Nam si ille longius tempus ingenii augendi declarandique nactus esset, multa extarent in omni genere disciplinarum egregia ingenii ejusdem monimenta, quæ omnium sæculorum posteritas in honorem Romani nominis admiraretur. Sed in ipso ætatis flore e vivis sublatus, triste sui desiderium reliquit. Verum in ea ætate, qua alii studiorum curriculum ineunt, ille eorum spatium transcurrerat; adeo ut esset omnibus miraculo: & quod videri mirabilius debeat, non una tantum in re, sed in omnibus præstitit; nam Græce & Latine doctus, erat sagacissimus naturæ indagator, adeo ut nonnulla in philosophia invenisse diceretur, ab Aristotele ignorata; sacrarum divinarumque rerum scientissimus, cæli terræque dimensor certissimus, regionum terrestrium & maritimarum ex librorum lectione peritissimus, juris civilis & pontificii consultissimus, medicæ artis notitia, non mediocriter præditus, orator, poëta summus, denique nulla in re rudis, quæ quidem comprehendi scientia possit. Quæ res magno argumento sit, non deesse Romanis hominibus ingenium, sed studium & exercitationem; qua si uti vellent, facile cæteris nationibus præstarent. Robertus Card. Bellarminus, qui nihil temere affirmabat, non dubitabat eum cum Pico Mirandulano in comparatione conjungere; eique fuit auctor, ut quemadmodum ille adversus Mathematicos, qui dies natales hominum ad vim stellarum & Lunæ pertinere, quodque nobis adversi vel prosperi in vita contingit, ex cælo certo modo affecto,

affecto, compositisque sideribus provenire docent, doctissimum librum emiserat, in quo, nullam eorum mendaciis fidem esse adjungendam, convincit; ita etiam ipse, in ejus æmulationem gloriæ, libro elegantissime scripto, eorum commenta refelleret, qui non magis impie quam vane conantur ostendere, animos hominum una cum corporibus interire. Cui operi jam munus admoverat, & tam falsam tamque perniciosam doctrinam cœperat sacrarum litterarum testimoniis validisque rationibus oppugnare atque subvertere: sed tantam mors illi gloriam invidit, quæ non est passa, egregium illud opus, & plus uno mansurum sæculo, ad umbilicum perduci; cujus etiam injuria factum est, ut multa alia, egregie inchoata, non plane absoluta atque perfecta, ad posteros permanare potuerint. Æquum semper ad res adversas animum attulit; in ægrotationibus præsertim, quibus fere semper perpetuis atque gravissimis conflictatus est, se fortem exhibuit. Fuit duobus summis Pont. in primis carus, Gregorio XV, & Vrbano VIII; qui cubiculi Pontificii præfecto a se creato, purpuram destinaverat, idque tum ob excellens hominis ingenium singularemque doctrinam, tum ob castissimos ejus mores, rem omnibus sæculis admirabilem: nam summum ingenium, summamque eruditionem, sine aliqua admistione vitiorum vix reperiri contingit. Obiit florenti adhuc ætate: nondum enim trigesimum annum attigerat. Mortuum S. P. Q. R. tamquam civem optime de Rep. meritum, in Æde D. Mariæ Virg. Capitolinæ, justis exequiarum prosecutus est, eumque inter præstantes suæ civitatis viros immortalitati consecratum, docti oratoris voce celebrandum exornandumque curavit. Duo ejus poëmatia typis impressa circumferuntur; quorum uno Bohemicam Maximiliani Bojorum Ducis victoriam elegantissimis prosecutus est versibus; altero, quo alternis versibus longiusculis Isabellam Gesualdam, Nicolai Ludovicii sponsam, laudibus exornat.

OCTA-

OCTAVIUS RINUCCINUS.

VEterem ac multorum sæculorum spacio intermissum Comœdias & Tragœdias in scenis ad tibias vel fides decantandi morem, revocavit magna ex parte, Octavius Rinuccinus, nobilis poëta Florentinus: quamquam hanc sibi laudem vindicare videatur Æmilius Cavelerius, patricius Romanus, ac musicus elegantissimus; qui paucis ante annis dramatibus aliquot modos fecerat, perfeceratque, ut ab histrionibus musicis agerentur: verum tum dramatum argumentis, tum scenarum apparatu, tum actorum nobilitate, ita Octavii splendor, Æmilianæ laudis luminibus officit, ut solus ille hunc morem, jam diu intermissum, revocasse videatur. Etenim Iacobum Peram, aliosque præstantes modulatores, ex animi sui sententia nactus, quatuor nobilissimas fabulas, verborum ac sententiarum luminibus longe clarissimas, magno Italiæ totius plausu dedit, Daphnim, Eurydicem, Arethusam, Ariadnam: cujus a Iasone derelictæ querimoniam, ob summam ejus elegantiam, nemo fuit in tota Italia paulo præstantior modulator, quin suam in ea modulanda industriam experiri nollent: scenarum vero apparatus, Magnorum Etruriæ Ducum aliorumque Principum virorum sumptu & magnificentia, supra quam dici potest, eximius, omnem ex tota Italia nobilitatem ad se attraxit. Nam versis frontibus, scenæ, modo camporum viriditates, modo æquoris immensitatem, modo hortorum amœnitates, modo ex improviso (cælo nubibus, etiam ad terrorem, obducto) imbres, ac tempestates, modo felices beatorum sedes, modo æterna inferorum supplicia referebant: cernebantur arbores, diductis sponte corticibus, pulcras ex se virgines, tanquam fœtus aliquos edere, tum sylvæ, quæ repente extiterant. Faunos, Satyros, Dryades, Napeas dare, flumina & fontes, Nymphas, atque alia longe his admirabiliora, nullius ante illud tempus oculis subjecta proferre. Luculente & polite rem, quam susceperat, versibus explicabat, dulcibus, atque perspicuis. Forma fuit eleganti, natura, quæ mediocrem aliquanto

quando excederet, sed decora, membrisque inter se aptè cohærentibus, facie honesta, ore modesto, & quod dignitatis multum haberet, moribus elegantissimis, præstanti facundia: quibus corporis animique dotibus, & versuum suorum elegantia fretus, illustres genere & forma mulieres sectabatur, eorumque sibi voluntates allicere conabatur. Mariam Medicæam, Galliæ Reginam, non majori ambitione quam vanitate adamavit: quam etiam, honoris gratia, prosecutus est euntem in Galliam. Sed postea reversus in Italiam, omissis amatoriis nugis, ad quas erat mire propensus, tandem ad se rediit; quæque ratione antea non perspexerat, satietate abjecit, experiendo contempsit, totumque ad pietatis amorem & studium animum contulit: in quo demum Florentiæ diem obiit extremum.

ANDREAS SALVADORVS.

FVit Andreas Salvadorus poëtarum omnium scenicorum, Hetrusca lingua loquentium, quos quidem noverim, maxime ad Musicorum ingenia, & ad unguem, ut dicitur, factus. Non enim scenica cujusquam poëmata circumferuntur, in quorum versibus modulandis, melius possint, quid illi in suo artificio valeant, exprimere. Sunt illa tenerrima, dulcissima, lepidissima, quæ voluptatem afferant: sunt variis & illustribus carminum generibus, tanquam coloribus, distincta, quæ satietatem & fastidium abigant. Tria egregia in primis dramata edidit, nimirum Medoram, Floram, & quod ceteris præstat, D. Vrsulam; in quibus omnes lepores, omnes Veneres, omnes poëtici flores, omnes deliciæ, venustatesque cernuntur, & in quibus populo ad spectandum dandis, more suo, Magni Hetruriæ duces sumptus, regali magnificentia dignos fecere. Sed in hoc genere, summæ Andreæ felicitati adscribitur, quod eum actorem sortitus sit, quo nemo, neque nostra neque patrum memoria, toto orbe terrarum præstantior est auditus; Equitem nimirum Lauretum Victorium Spoletinum; de cujus laudibus nulla unquam ætas conticescet: ejus vox clara, dulcis, canora, non exprimens verba putidius,

putidius, sed ad animi atque aurium voluptatem apte atque distincte proferens, suavitas in pronunciando, & canendi in primis artifex ratio, peculiarem ejus poëmatibus vim, & quandam quasi divinitatem addidit; adeo ut alio actore, cum pene divina vis illa defecisset, vix eadem visa essent. Sed magno omnium poëticæ facultatis studiosorum hominum dolore, adhuc florenti ætate, in sua patria, immatura morte decessit.

GABRIEL CHIABRERA.

QVod a nemine mortalium antehac creditum est, ut quisquam posset Pindaricæ laudis æmulator existere, id magna omnium literatorum cum admiratione, Gabrieli Chiabreræ, patritio Savonensi, contigisse conspicitur: adeo ut vel Pindari animus, Pythagoræo veluti commento, in eum immigrasse, vel Pindarus ipse Hetrusca lingua loquens, revixisse videatur. Verum tantæ laudis adeptæ famam longe copiosius ac melius egregia ac prope divina ejusdem carmina, in omnes terrarum oras, in omnis posteritatis memoriam, ad æternitatem nominis, quam cujusquam oratio, diffundent. Forma fuit corporis ejusmodi, quæ ejus ingenii pulcritudini minime responderet. Quis enim, qui ejus faciem aspexisset, arbitratus esset, ex illius ore subnigro, tetrico, invenusto, tam candidula, tam vinula, tam venustula carmina posse prodire? Vixit usque ad extremam senectutem; ac demum Savonæ, in complexu suorum popularium & amicorum, est mortuus.

ANTONIVS QVÆRENGVS.

ANtonius Quærengus Patavinus, quoniam totum fere vitæ suæ tempus in populi Romani, hoc est, in totius orbis terræ conspectu, & in aulæ luce consumpsit, magnum & clarum; in poëtis & oratoribus sui ævi, nomen obtinuit. Etenim Roma, elegans ingeniorum spectatrix, simul ac eum aspexit, ita sibi devinxit, ut fere nunquam a se divelli sit passa; admirabili hominis ingenio, humanissimis his litteris exculto, atque

omni

omni digna homine nobili ab eo percepta doctrina, mirabiliter capta; cujus ingenii doctrinæque commendatione fuit summis, omnique dignitate Principibus viris arctissimo egregiæ cujusdam consuetudinis nexu devinctus; iis præsertim, apud quos litterarum studia vigebant, ut Aquavivæ, Farnesio, Estensi, S. Susannæ Cardinalibus. Vbi ipse aderat, nullus erat sermo, nisi de litteris. Nam homini, abundanti doctrina, admirabili ingenio, memoria summa, acerrimo judicio, omnia veniebant in mentem, quæ propositi sermonis ratio deposceret; quo fiebat, ut nemo ab ejus colloquio, nisi doctior eruditiorque, discederet. Erat præterea comis, facundus, narrator facetus, conviva commodus, in jaciendo mittendoque ridiculo, non illo scurrili & inurbano, sed docto, gravi ingenuoque homine digno, jucundus. Incredibile memoratu est, quantum vim rerum, intelligentia comprehensam, habuerit, quæ, tanquam ad oraculum scientiarum omnium, omnes cupidos literarum ad se trahebat; quos, qua erat humanitate atque sapientia, docendo instituendoque, præsertim extremo ætatis suæ tempore, infirmissimaque valetudine, domum suam a solitudine vindicabat. Clemens VIII, hominum æstimator acerrimus, collegii Cardinalium a secretis munus, tanquam ingenii illius viribus aptum, illi commisit; quæ provincia, cum augustissimi illius senatus acta, decreta, Latinis litteris sint tradenda, insuper ejus nomine ad Reges & Resp. epistolæ dandæ, non nisi doctis, eruditis, ac prudentibus viris, & eloquentiæ in primis laude clarissimis, demandari consuevit. At dum in eo munere summa cum laude versatur, insigne Patavinæ ecclesiæ sacerdotium, vetere rectore vita functo, possessore destituitur; cumque de successore mittendo ageretur, visum est Pont. summo, in demortui locum subrogare Quærengum, ut multis aureorum centenis, quæ ex eo quotannis capiebantur, una cum suis frueretur. Sed tam egregia optimi in ipsum Principis voluntas longe illi gratior accidisset, si non tantum in eo Vrbis desiderium invenisset: quod cum ferre non posset, reversus Romam, totum potentioribus amicis colendis ornandisque se tradidit. Accepit a Farnesianis Princi-

Principibus, Alexandri Ducis res gestas Latine scribendi provinciam. Sed quia magnæ operæ magnique laboris res erat, cujus erat impatiens, ea repudiata, hanc aliis laudem reliquit. Paulus V, in aulam accitum, Io. Baptistæ Victorio, sororis filio, quem honoribus destinaverat, tanquam Phœnicem alterum, de quo Homerus ait, a Pelio patre Achilli juveni datum, lateris comitem, morum censorem, ac vitæ magistrum ac dominum addidit. Neque in eo erudiendo operæ pepercit suæ; crebro illud admonens, eam esse rectam ad honores viam, quæ laboribus suscipiendis, ac prætermittendis voluptatibus, avunculi sui impressa vestigiis, extaret. Duo edidit præstantissimorum carminum volumina, quorum unum Hetruscos rhythmos complectitur, Latina poëmata alterum; ex quibus existimari de hominis facultate in utroque carminum genere potest. Mihi quidem videtur, verborum splendore, sententiarum luminibus, poëticis floribus, posse cum veteribus poëtis aliquem locum habere. Mortuus est Romæ, nonagenario major.

IACOBVS MAZONIVS.

SI Iacobo Mazonio Cæsenati par ingenio ætas contigisset, non fuisset ille quidem illustrior, sed pluribus egregiis doctissimi hominis ingenii monumentis litterarum studia abundarent. Annos enim natus non amplius quinquaginta, vivendi finem fecit. Nullum fere est in Italia celebre gymnasium, ubi ille Aristotelis libros de moribus interpretatus non sit, vel aliud quidpiam ad philosophiam pertinens non docuerit, Maceratense, Cæsenaticum, Pisanum, Romanum; quod docendi munus, qua ætate alii apud magistros exercentur, ipse persolvit. Nec mirum: nam cursim, non ut alii pedetentim, longum disciplinarum omnium spacium excurrerat. Annos natus tredecim, traditus est a patre Sebastiano Regulo, humaniorum litterarum magistro, qui Bononiæ ludum aperuerat, ab eoque celeriter, doctior quam ipse erat, dimissus, profectus est Patavium, tanquam ad mercatum omnium bonarum

 artium,

artium, atque ad Pendasii & Paniorolæ, qui longe clarissimi, per id tempus, Philosophiæ & Legum antistites habebantur, se, auctoritatem ductumque applicuit; apud quos quantum profecerit, unicum Pendasii testimonium ostendit, qui oppugnatus ab Archangelo Philosopho, cum multi se ejus propugnatores futuros pollicerentur, non alteri quam Mazonio defensionem suam esse committendam statuit. Duodevigesimum agens annum Patavio reversus est domum; ubi illud primum de se specimen edidit, in quo, qui illum nossent, exhorrescerent, qui vero suo ex ingenio ceteros æstimant, cachinnos efferrent. Nam centum & nonaginta septem, supra quinque millia, Platonis & Aristotelis placita, quorum ille libros diligentissime legerat, memoriæque mandaverat libello edito, in controversiam disceptationemque deduxerat, ut si quis vellet contra illa differere, in scholarum frequentiam, tanquam in pulverem & solem descenderet, secumque, ut pugnantium mos est, manum consereret, fortiterque dimicaret; fore enim, ut cujusvis argumentorum tela strenue exciperet repelleretque, ac Platonem & Aristotelem recte locutos esse defenderet. Ac primum Bononiam, studiorum matrem, locum certaminis esse voluit, doctoresque omnes in contentionem disceptationemque vocavit: sed cum responsum accepisset, fas esse nemini disciplinarum doctoribus litterarium bellum indicere, nisi cui Philosophorum Theologorumque libros publice interpretandi facultas tributa esset, dedit operam, ut in Doctorum earum facultatum numerum veniret; qui interrogatus a F. Cyrillo Servita, summo Theologo, qui tum studiis illis præerat, quot annos Theologiæ dedisset, respondit, menses non amplius sex in eo studio se contrivisse: sed cum gravissimis ab eo verbis, hominis audacia atque temeritas cohiberetur, quod sex mensium labore, eo speraret ascendere, quo alter, qui paucis diebus ante rejectus, ut indignus eo loco ac numero fuerat, septem annorum studio pervenire non potuisset; Fac, Mazonius inquit, periculum, & si minus idoneus tibi videbor, quiescam, ac cogitatione ista desistam; expertus est ille, atque omnibus eum in rebus, quæ quidem essent

in Theologiæ ac Philosophiæ artibus, eruditum ac doctum invenit: quamobrem continuo illi animum explevit: ac de ceterorum magistrorum sententia, doctoris locum ac nomen attribuit. Ad omnia, quæ ponerentur in percontando, homo abundanti doctrina, copiose respondebat ex tempore, Gorgiæ Leontini more, non eadem elatione animi, qua ille, qui princeps, ex omnibus, ut traditur, ausus est in conventu poscere, qua de re quisque vellet audire, sed ingenio studioque majore. Nullam enim rem defendit, quam non probarit; nullam oppugnavit, quam non everterit. Vt etiam Torquatum Tassum, brevi argutaque argumentatione inclusum, fateri coëgerit, poëmatis Ariosti argumentum, non multiplex & varium, sed esse simplex & unum. Neque id incredibile videri debet in eo, cui nihil uspiam consignatum est litteris, quod non legisset, nihil legisset, quod comprehensum memoria non contineret, unde tanquam ex promptuario aliquo, cum esset opus, singula proferret, & suo quæque loco collocaret. Quamobrem fiebat, ut in disputationibus, cum auctoritatibus decertandum esset, integras ex sanctorum Patrum, Platonis, Aristotelis, aliorumque doctorum hominum libris, paginas ita memoriter referret, ut ne unam quidem syllabam peccaret. Ea res in primis animos virorum principum incendit studio ejus visendi, cum eo amicitias conjungendi, ac domos suas, tanti viri ornamento, decorandi: sed Petrus Card. Aldobrandinus, qui tum potiebatur, tandem a Ferdinando magno Hetruriæ Duce impetravit, ut Romam mitteretur. Dici verbis non potest, quam eum Cardinalis carum habuerit, ut ejus ingenio delectatus sit, ut officiis beneficiisque eum omnibus ornaverit, sua illi consilia credere, in oculis eum habere, solum ex familiaribus sibi convivam abducere: nam tenui ac parabili cibo contentus erat; mille aureorum stipendio conducere, ut Aristotelis de Philosophia libros in Gymnasio Romano extra ordinem interpretaretur. Sed tanta Principis gratia fuit ejus saluti incommoda maxime. Nam jussus ab eo se Ferrariam sequi, quo ad bellum proficiscebatur, ibi demum est lethali morbo, ex cruditate contracto, con-

 sumptus.

sumptus. Ac simul ac nuncius de immaturo ejus interitu Romam pervenit, memini, mihi aulicum in primis nobilem, multis audientibus, dicere, Mazonium, ob perpetuos studiorum labores, qui multum stomacho detrahunt, parce admodum ac tenuiter usum esse cibo ac potione, atque hanc perpetuam ejus vitæ consuetudinem fuisse; verum Romam adductum, inter aulæ plausus, & crebras invitationes ad prandia opipara, & pollucibiles cœnas, largius se epulis vinoque onerare cœpisse, quam tenues imbecilli ejus stomachi vires ferrent, idque lethalis ejus morbi causam attulisse. Ajunt, etiam Magnum Hetruriæ Ducem Ferdinandum, cum vehementissimis Card. Aldobrandini precibus expugnatus, permitteret eum Romam abire, his vocibus prosecutum fuisse abeuntem: I felix, sed vereor, ne tempestiva aulæ tibi blandientis convivia frugalissimum te mihi virum eripiant; ejusque audita morte exclamasse: Verum evenit, quod præsagiebat mihi animus, importunos istos tui admiratores non antea quieturos, quam tibi vitam ademissent. Dantis poëtæ patrocinium, adversus Castravillam, a quo oppugnabatur, duobus editis voluminibus, docte eruditeque suscepit: in quibus cum occasione oblata, Francisci Patritii viri doctissimi dictum quoddam ad reprehendendum arripuisset, non tulit ille, sed, edito in Mazonium libro, ab ejusdem reprehensionibus sententiam suam vindicare conatus est; qua re sic Mazonius exarsit, ut novo volumine loca centum demonstraverit, in quæ ille delapsus, in insigni aliquo ad reprehendendum vitio reperiretur. Sed dum Patritius alio libro, se nunquam esse prolapsum, sed recto semper gradu stetisse, ostendit, alterius contra ipsum voluminis edendi Mazonio causam objecit; ac nisi Patritius scribendi finem fecisset, nullus inter ipsos, neque accusandi, neque respondendi modus extitisset. Postremo post multas orationes a se editas, anno ante quam excessit e vita, egregium volumen emisit, in quo doctissime eruditissimeque concludit, Platonis & Aristotelis inventa, ab uno eodemque sapientiæ jugo, veluti plura ex uno capite flumina, derivari, atque defluere, ac propterea mire inter se convenire, congruereque.

POM-

POMPEIVS GARIGLIANVS.

MAzonii, de quo diximus, gloriam magna ex parte æmulari visus est Pompejus Garиglianus, Capuanæ Ecclesiæ Canonicus: huic enim idem propositum erat atque illi, nimirum ut omnia legeret, omnia sciret, omnia meminisset, neque minimam apud omnes adeptus est laudem. Nam, de quacunque re proposita, dicebat ex tempore, ita docte, ita erudite, ita subtiliter, ut omnes, vehementer delectati, admirarentur: verum fere semper omnia vernaculo sermone effundebat: etenim pure, dilucide, eleganterque Latine dicendi scribendique laude caruit. Memoria erat tanta, quantam in nemine, quem quidem noverim, me vidisse memini. Totum Platonem, Aristotelem, Hippocratem, Galenum, Themistium, D. Thomam, aliosque, penitus noverat, ut eorum, non modo sententias, sed verba ipsa, cum esset opus, admirabili laude memoriæ referret. Sed tanta vis virtutis, atque ingenii, exiguis Capuanæ urbis finibus inclusa, diutius quam necesse fuerat peregrinata, abfuit ab oculis aulæ Romanæ, quæ par ejus meritis theatrum. Itaque postremis Pontificatus Pauli V annis in Vrbem se contulit; ubi hominis ingenium simul aspectum & probatum est. Dicebat sæpe in Academia Humoristarum, more suo, ex tempore, summa Academicorum aliorumque frequentia: inde emanavit ejus nominis fama in totam civitatem. Nemo erat Cardinalis, nemo vir princeps, nemo paulo litterarum cupidior, quin eum videre cuperet, alloqui, audire, quin domum suam invitaret; sed ut eum in sua familia haberet, præter Andream Card. Perettum, contigit nemini, idque me præsertim operam dante, cujus ille ingenio mire delectabatur, tantoque alumno se jactabat efferebatque. Fuit etiam Francisco Card. Barberino admirabilis, cui in gymnasio Romano publice Philosophiam docendi munus demandandum curaverat. A quo etiam, Card. Peretto vita functo, exceptus fuisset in suam familiam, & opibus & honoribus auctus; sed miser, die quodam, mane, in suo lecto inventus est mortuus, subita,

ita, ut creditur, morte correptus; cum vespere, hilaris ac bene cœnatus, cubitum isset: neque aliquem æternæ suæ salutis dubitandi locum reliquit, cum esset vir probus, ac pridie ejus diei in Æde sacra S. Spiritus in Saxia rem divinam fecisset. Innumera fere sunt quæ scripsit, quæque typis mandare decreverat; sed unum edidit de nobilitate libellum lingua vernacula, & alterum Latina, quo aliquot Platonis Dialogos interpretatione sua illustrare conatur; sed tanta rerum verborumque obscuritate, ut non tam lucem Platoni afferre, quam tenebras obducere voluisse videatur; cui, Card. Bellarminum, qui ab eo librum acceperat, respondisse ferunt, se quidem Platonis, si minus omnia, aliquid saltem intelligentia arripere, cum vero ad sua commentaria se conferret, verbum prorsus nullum intelligere.

GABRIEL BOMBASIUS.

Gabriel Bombasius, Ludovici Areosti, poëtæ clarissimi, consanguineus, patriam habuit Regium Lepidi; nobili in ea loco natus, forma, oratione, moribus, vitæ proposito erat ad omnia aulæ munia factus ad unguem; ita tamen, ut ab aulicorum vitiis animum semper vacuum ac purum conservaverit: nunquam enim induxit animum cuiquam palam assentari; sed simplici ac modesta oratione sententiam aperiebat suam: quod fuisse arbitror causæ, cur suis æqualibus multis inferior honoribus ac divitiis extiterit: nullam in quemquam tragulam injecit, neminem ex occulto ac de insidiis, honore vel commodo quopiam evertit; nullius unquam laudibus, tacendo vel maligne laudando, detraxit. Forma fuit egregia, statura medioeri, quamvis, proportione membrorum, longioris speciem præberet; cultu corporis, etiam ad superstitionem eleganti; adeo ut sarcinatorem non alium conduceret, nisi qui esset optimus atque carissimus: sermone facundus, moribus suavis, jucundus, comis, ita tamen, ut ad comitatem semper aliquid influeret gravitatis: & quamvis ad summam fere senectutem pervenisset, ab omnibus tamen iis vitiis abfuit, quibus odiosa esse senectus alteri solet: non

non erat adversus adolescentes iniquus, non difficilis, non querulus, non oblocutor alteri in sermonibus, minime sputator, screator, muccidus; nullum adolescentiæ vel juventutis tempus sibi vacuum ab amoribus dedit; nec nisi admodum sero exaruit ex amœnis rebus ac voluptariis; in quibus amoribus se felicem fuisse narrabat; si tamen felicitas ac non potius summa infelicitas est atque miseria, in his rebus esse felicem. Sed contra erat iracundus, elatus, impatiens injuriarum, nec vilis æstimator sui. In aula Octavii Farnesii, Parmæ & Placentiæ Ducis, non postremum inter nobiles viros locum obtinuit, sed editum atque honestum: nam missus est ab eodem Duce, ad Remp. Venetam, maximis de rebus, Orator; atque Odoardi nepotis lateri, qui postea Cardinalis fuit, vitæ morumque custos honorarius additus. Erat scriptor tragœdiarum præstans, ut judicare licet ex iis, quos reliquit, Lucretiam Romanam, & Alidorum; & in notandis animadvertendisque vitiis & instituendo docendoque prudentissimus; edidit laudationem Latinam, quam habuit in funere Octavii Farnesii, plenam prudentiæ. Denique Romæ, morbo renum, ex intemperantia fortasse adolescentiæ, vel ex itinerum labore contracto, quod frequentius urinam redderet, quam corporis necessitas posceret, neque illa pura, sed multo sanguine permista, profflueret. Itaque, die quodam, a prandio, cum rhedam popoſciſſet, qua per Vrbem, animi gratia, vectaretur, jamque esset in eo, ut illam inscenderet, morte extinctus subita est.

SCIPIO COBELLVTIVS.

QVi vitæ totius fructum in percipiendis voluptatibus ponunt, ac miseros & infelici astro natos eos vocant, qui ita vivunt, ut voluptates omnes aspernentur, quos non quies, non remissio animi, non æqualium studia, non convivia delectent, qui nihil expetendum ducunt, nisi quod est cum laude ac virtute conjunctum; ii profecto Scipionem Cobellutium, si quemquam alium, Deo suo irato, ortum esse fateantur necesse est; qui, ab ineunte ætate, spretis & contemptis iis, quæ sua-

via in vita putantur, directum ad laudem iter arripuit; quod quia cum labore percurritur, tanquam desertum, scrupusum, ac vepribus obsitum, a plerisque defugitur. Natus est Viterbii, quo die, parente ad consulatum ejus urbis evecto, tota ejusdem domus, redundabat hilaritate lætitiaque. Inde prima illa pucrili institutione excultus, Romam se contulit, exceptusque in collegium Nardinum, in scholis Patrum Soc. Iesu, eloquentiæ ac Philosophiæ studiis operam dedit; quibus jam satis instructus, ad jus civile cognoscendum, laborem & industriam attulit; & post aliquot annorum studium in gymnasio Romano amplissimam Iuris utriusque interpretandi facultatem obtinuit; qua accepta, continuo, quod didicerat, ad utilitatem Reip. contulit; ac primum Alexandro Glorierio, annonæ præfecto, tum Card. Asculano: qui progressurus honoribus longius putabatur, in causis cognoscendis operam navavit; nunquam cum plebeis & indoctis hominibus amicitias jungebat, sed illustrium doctorumque virorum familiaritates studiose consectabatur, eos colere, iis se dedere, eosque tueri obsequio. Si latinam epistolam scripsisset, si cuipiam, consulenti de jure, consilium dedisset, laudis appetentissimus, illud continuo divulgandum, ac multorum manibus tradendum commendandumque curabat; quo, per hanc rationem, eloquentis doctique in primis viri famam nomenque collegit, omnia summa sperans. Habuit orationem ad Clementem VIII, primo Quadragesimalium jejuniorum die, luculentam illam quidem, sed quam minime actio commendaret, in qua fere sunt omnia. Etenim voce gestuque nihil omnino valebat; accedebat statura, pusillæ propior, corpus gracile, vultus non ita elegans ac venustus; in quo tamen oculi vivaciores inessent, unde nescio quod lumen emicaret, quod illi decus & auctoritatem adjungeret. In primis, egregiæ cujusdam probitatis doctrinæque opinione, arcte sibi Pompejum Card. Arigonum obstrinxit, magnæ apud Paulum V, auctoritatis & gratiæ; cujus præsertim consilio, initio sui Pontificatus, Remp. administrabat. Itaque Marcello Vestrio, qui multis summis Pont. fuerat a Brevibus, mortuo, cum multi maximis oneri-

bus

bus functi, optimeque de Rep. meriti, tanto muneri, ob honorem & utilitatem, quam habet adjunctam, imminere viderentur, perfecit Cardinalis, ut ille ceteris competitoribus anteferretur. Ab hoc auditu januaque patefacta, non fuit illi difficile ad sacræ honorem purpuræ pervenire. Nam cum ratione muneris, quod gerebat, esset fere quotidie Pontifex adeundus, qui in Cardinalibus eligendis vix e domi suæ penetralibus exibat, ita ejus sibi voluntatem conciliavit, ut se in Cardinalium collegium, cunctis sane admirantibus, cooptatum aspexerit. In id igitur fastigium evectus, nihil habuit antiquius, quam ut illud vitæ sanctimonia & in omni victu cultuque modestia tueretur; & in primis se doctis & honestis viris deditum ostendebat, in his præclara externorum hominum ingenia amplectebatur, eorum inopiæ, suis sumptibus, suppeditabat. Itaque domum ejus, literatorum frequentia celebrari, nullis sermonibus percrepare, nisi qui vel de literis essent, vel de sacra, Ecclesiæ temporum, historia, qua mirifice delectari videbatur, vel de fide propaganda, vel, de sublevandis catholicis, Turcarum & Hæreticorum immanitate oppressis, ut etiam Christianis in Hungaria, sævissima Turcarum dominatione, ad extremum omnium miseriarum adductis, centenos quotannis aureos nummos, de suo mittendos portandosque curaverit. Fuit, magna ex parte, auctor constitutionis, de eligendo summo Pont. a Gregorio XV editæ. Cardinalis factus, ita diligens corporis sui curator evaserat, ut qui antea, hieme & æstate summa, in imbribus, in sole, totam urbem pedibus perreptare solebat, postea æstate media, caloribus maximis, nullo, ne levis quidem auræ sibilo, obstrepente aëre, lectica ab omni parte tecta, inclusum se ferri juberet, ne videlicet damni quidquam a frigore ventisque contraheret. Narrabat mihi Andreas Card. Perettus, Albani Episcopus, cum diœcesim suam, ex Ecclesiasticarum legum præscripto, magna ventorum vi, agitato commotoque cœlo, cum paucis, obiret inter illos saltus ac nemora, occurisse obviam Cardinali Susannæ, (hoc enim nomine se appellari volebat) credo ut experiretur, num impetus furoresque ventorum, mentis æstu

animique tempestatibus, quibus tunc fortasse conflictabatur, sæviores existerent; idque paucis ante illius mortem mensibus contigisse narrabat, in extrema ejus valetudine, cum lethale ulcus, brachio innatum, resecandum curaret, neque id medicus, sine acerbissimo dolore contingere posse prædiceret: non minori animi fortitudine ac robore, brachium, ut ulcus cæderetur, tradidit, quam Marcus, ut varices secarentur, crus præbuit, ac medico: seca, inquit, ut lubet, nam Christi Martyres multo his sunt acerbiora atque graviora perpessi. Moriens, duobus se plurimum debere, multis audientibus, dixit, Paulo Quinto, qui eum purpuræ honore ipsum cohonestaret, ex reliquorum hominum numero exemerat, & cuidam alteri, cujus artibus, de summi Pontificatus spe fuerat dejectus.

TORQVATVS TASSVS.

QVod olim ab Alexandro Macedone de Homeri versibus dictum fuisse narratur, nimirum grandiores eos esse, quam ut cani possint ad lyram; id non incommode ad Torquati Tassi, poëtæ hujus sæculi multorumque aliorum facile principis, laudes posse transferri videtur: videlicet, eas esse majores angustioresque, quam ut oratoris dulcis ac suavis, tanquam fidium voce referri possint. Sed quemadmodum Homeri versus, ex maximi omnium Regis sententia, tubarum sonitum clangoremque poscebant: ita Torquati laudes summum, grandiloquum, ac tragicum plane scriptorem, tanquam tubæ cantum efflagitant, qui earum magnitudini amplitudinique respondeat. Vbi autem tanta vis eloquentiæ, quæ Torquati laudibus par sit, præterquam in ipso Torquato inveniri possit, non video; cujus vocis, etiam cum maledicit, ea est dignitas, majestas, ac prope divinitas, ut nemo sanus inveniatur, qui non malit esse in ejus poëmate Thersites, quam in aliorum Achilles. Longe enim honoratior ab illo vituperatus, quam ab aliis laudatus, discederet. Quamobrem, cum omnis noster in eo laudando labor inanis sit futurus, contenti erimus ejus tantum nomen referre: eo enim audito conti-

continuo ingens innumerabilium pene laudum numerus, audientium animis se inferet. Atque eo magis id mihi ejus laudes reticendi consilium placet, quod præclara fere omnium hujus ævi hominum ingenia, in eo, tum soluta oratione, tum versibus, celebrando efferendoque, magna cum laude, versata esse dicantur.

PVBLIVS FONTANA.

Felix illa tellus, Bergomum videlicet, quæ gloriosissimam illam arborem edidit, unde germen, de quo diximus, prodiit, quod semper virens, semperque floridum, patulis diffusum ramis, totum terrarum orbem amplectitur; in cujus umbra festivissimus Musarum chorus, ad Phœbi testudinem, perpetuas in orbem choreas exercet. Illa, inquam, tellus aliud poëticæ facultatis decus eximium, admirabili fœcunditatis laude, produxit, quod S. P. Q. Bergomatis nomen in omnis posteritatis memoriam propagavit; Publium nimirum Fontanam. Hic Palusci, quod est agri Bergomatis oppidum, natus, ad poësim & ad Virgilianum scribendi genus ferebatur; sed quod habuit a natura bonum, legendis poëtis, tum veteribus, tum novis, auxit, illudque arte studioque limavit. Grandis erat verbis, illustris sententiis, frequens translatis, compositione verborum sublimis ac magnus, in primis in Delphinide, quod opus præ aliis elaboratum emisit. Styli majestas amplitudoque ita vocem attollit, ita in altum se effert, ita classicum quodammodo canit, ut Virgiliana tuba, quasi hæreditario ad eum jure, pervenisse videatur, & si contingeret, ut cum iis, qui nostra patrumque memoria, poëtarum principes extiterunt, in contentionem de principatu veniret, profecto in inveniendis rebus, iisque verborum sententiarumque luminibus illustrandis, omnique apparatu poëtico instruendis, non Pontanos, non Vidas, non Fracastorios, non Sannazarios, non alium quemque metueret. Verum tanta vis ingenii, tanta virtus, domesticis contenta finibus, nunquam peregrinata abfuit ab oculis suorum civium. Cur autem ejus nominis fama, præpetibus per aëra pennis vecta, non

Romam

Romam contenderit, non Italiam peragrarit, non Alpes transcendens, non maria transmittens, in exterarum nationum luce versata sit, incredibili hominis modestiæ fertur acceptum; quæ sibi scriptisque suis angustos Bergomi Brixiæque terminos, quibus se clauderent tenerentque, præscripsit. Neque tamen omnino theatri Romani plausu caruit. Etenim elegans illud carmen, quo Torquati Tassi laudes in cælum extulerat, contra præscriptum, circumdatos sibi cancellos egrediens, & occultis, ut ita dicam, itineribus Romam veniens, multorum principum virorum, & in primis Cynthii Card, Aldobrandini, Clementis VIII, sororis filii, studia commovit, ut videre eum vellent, alloqui, ex eoque splendorem nomini atque ornamentum ipsorum aulæ constituere. Sed homo natura quietissimus, ac libertatis amator, cui idem erat propositum ac Regibus, ut ne qua re egeret, ac ne cui obtemperaret, sicut Ithacam suam Vlysses immortalitati anteposuit, ita ipse patrii ocium soli amœnitatemque Vrbis celebritati aulæque opibus prætulit; ipse sui ipsius erat dominus; ipse libidinibus suis imperabat; quas ita semper intra rationis cancellos cohibitas habuit, ut nunquam in re aliqua turpi, vel vetita, eas labi permiserit. In perpetua oppidi sui animarum custodia vigiliaque manebat, quarum æternæ salutis solicitudinem curamque, ex eo quo fungebatur sacerdotio, susceperat. Quod vero a confessionibus excipiendis, a concionibus habendis, quibus hominum animos a vitiis avocare & ad virtutis amorem conabatur impellere, reliquum erat ocii, libenter vel in litterarum studiis collocabat, vel horti cujusdam sui cultioni tradebat; ubi quam plurimas salubres herbas, quarum erat studiosissimus, sua conseverat manu. Sed non parum sæpe fiebat, ut ab honesto illo ocio publica Bergomatis Brixianæque Reip. voce deductus, ad plura atque gravissima, pertinentia ad literarum studia negocia procuranda, traduceretur; in quibus ita utilem, ita diligentem, ita fidelem navavit illis operam, ut publico earum civitatum testimonio, multis etiam grati in eum animi significationibus editis, laudatus ornatusque discesserit. Sed celerius, quam meruerat ea virtus, ea humanitas,

manitas, illudque dignum immortalitate ingenium, morte sublatum, perpetuam popularibus suis, eisque qui illum noverant, dolendi flendique materiam reliquit; cum duo & sexaginta complesset annos, pluribus egregiis operibus, vario carminum genere, sed præsertim heroico, scriptis; quæ partim ipse ediderat, partim sua vel librarii manu scripta, domi continebat: sed hæc omnia, in unum corpus collecta, & pro temporum ratione disposita, M. Antonius Foppa Bergomas, de litteratis viris optime meritus, brevi typis impressa, ad Italici nominis gloriam, ad patriæ decus, & ad æternam popularis sui memoriam, exteris nationibus, ad quos nondum illius nominis fama pervenit, legenda ac penitus cognoscenda committet.

VINCENTIVS GRAMIGNA.

Dignus plane est, qui in omnium sæculorum memoria vigeat, Vincentius Gramigna, nulli sui ævi literatorum, ingenio & eruditione, inferior. Hic Prati, nobili Hetruriæ oppido, natus, unde non exiguus optimorum ingeniorum numerus exiit, tum ad omnia summa, tum ad intelligentiam perceptionemque scientiarum, est a natura factus procreatusque. Neque inertia ac cessatione tantum illius in se munus, inane atque irritum passus est esse; sed studio & exercitatione jam inde a puero, quo ille ferebat, se impellendum perducendumque permisit. Quamobrem est assecutus, ut in Platonis atque Aristotelis Philosophia plane perfectus existeret. Illud de eo narratur, quod cum in prima fere adolescentia sermoni inter amicos de literis orto supervenisset, nec difficili & contorto argumento, in disserendo, satis ex sententia occurrisset, pudore ac verecundia (quod est ingenui nec instrenui animi signum) usque eo correptus est, ut perpetuo trium annorum silentio, inscitiam suam multaverit; quo tempore totus in literis abditus, Philosophorum libris evolvendis diligenterque legendis se tradidit, ac fidissimis eorundem interpretibus, tanquam ducibus ad intima atque arcana utriusque Philosophiæ, de natura scilicet, & de moribus,

ribus, penetralia pervenire contendit. Triennii igitur silentio, sibi in inscitiæ pœnam indicto, prorsus elapso, continuo id, quod didicerat ex domestica & umbratili illa exercitatione, in doctorum hominum conventus ac colloquia, tanquam in pulverem & solem, eduxit; ubi de unaquaque re argute subtiliterque disserendo, nihil esse in omnium doctrinarum thesauris ita sepositum & ita reconditum, quod ejus notitiam elaberetur, ostendit. Deinde tanto rerum instrumento apparatuque, pluribus ex artibus studiisque collecto, instructus, ad scribendum se contulit, multaque tum soluta oratione, tum versibus edidit, patrio sermone composita, quæ in admirationem ejusdem ingenii doctrinæque suspiciuntur. Neque tanta hominis virtus in desidiosa quadam literarum tractatione, tanquam in hortulis quievit suis: neque in eis recubans molliter ac delicate, avocavit se a Rep. & a rebus agendis; sed cum virtus præsertim in actione consistat, tum Neapoli, tum Romæ, multis Principibus viris, & Cardinalibus in primis, in maximis gravissimisque aulæ negociis procurandis, usque eo industriam, diligentiam, fidemque probavit suam, ut omnium judicio, non magis in tractandis literis, quam in negociis agendis, excellens haberetur: sed illis præcipue in scribendis epistolis operam navavit; neque unquam literarum studia intermisit, quamvis interdum epistolarum acervis, quibus respondendum esset, propemodum obrui videretur. Nam ita erat felix in scribendo, ut sententiæ ac verba, quibus illæ explicarentur, sponte sua atque incredibili celeritate sub acumen styli subirent; neque tot operis, aliorum voluntati & commodo traditis, neque perpetuis triginta annorum laboribus, neque intimis summorum Principum amicitiis, assecutus est tantum, ut ex eo posset vesperi suo sibique, ut dicitur, vivere. Causa ei paupertatis, sicut plerisque, probitas fuit, non enim poterat animum inducere, aut imperare ipsemet sibi quidquam cuipiam assentari: tum tristitia atque severitas, quam præ se ferebat in vultu, dabat iis, qui non essent experti, occasionem suspicandi, eum esse amicum minus suavem & commodum; sed expertis, nihil eo videbatur humanius

neque

neque jucundius: & amicitias, quas semel cum aliquo susceperat, quippe quas non lucrum, non ambitio, non vitiorum societas conciliaverat, sed virtutis amor studiumque conjunxerat, usque ad extremum spiritum integras illibatasque conservavit. Verum & operarum aulicarum, & potentiorum amicorum obsequii cultusque hanc demum mercedem retulit, ut lethalem in morbum incideret, qui cum, multis mensibus conflictatus, ejus vim superare non potuit. Et sane per eos, quos tanto studio, tanta diligentia, tanta fide coluerat, licuisset illi vel sub dio, vel in nosocomio aliquo, vitam finire, nisi M. Antonii Foppæ, omnis elegantia doctrinæ exculti, favor, tanquam secundus aliquis flatus, amici ratem, agitatam ac pene summersam fluctibus, impulisset in portum. Hic regalis animi juvenis, litteratorum cupidissimus, bonorum studiosissimus, amicorum amicissimus, raro constantis amicitiæ exemplo, ægrum illum suam in domum deferendum, suo in lecto collocandum, atque omnibus in rebus honorifice liberaliterque habendum, curavit. Vt non alias clarius enituerit, verum esse, quod dicitur, desertam futuram hominis vitam, nullius cinctam amicitiæ præsidio. Hic igitur adversus Gramignæ casus tam humaniter a Foppa sublevatus, ejus memoriam nominis in posterorum animis acrius vehementiusque defiget: atque Vincentius Gramigna notior erit M. Antonio Foppa amico, quam tot suis quantumvis egregiis ac præclaris operibus. Ex quibus, quatuor sermonum volumina, unum orationum, atque alia non parum multa opuscula, impressa cernuntur: at rhythmi, in quibus mira Hetrusci sermonis puritas ac nitor elucet, nondum impressori sunt traditi.

IVLIVS CÆSAR BAGNIOLVS.

IVlius Cæsar Bagniolus, Bagnacabali in Æmilia natus, Michaelis Peretti Venafri Principis aulam, si quisquam alius, illustravit. Etenim ea erat præstantissimi illius ingenii claritas, ut non unius tantum Principis aulæ, sed universæ civitati posset lumen ac splendorem

rem afferre. Neque tantum suum bonum ignoravit vir ille Princeps, qui animi magnitudine, vitæ elegantia, splendore, liberalitate, munificentia, dum vixit, (si Alexandrum Cardinalem Montaltum ejus fratrem excipias) parem habuit neminem. Nam & in præcipua ædium suarum parte locum illi, ubi commode habitaret attribuit, atque ipsi suisque affatim quotidie, quod ederent, præbuit, tum locuples sacerdotium contulit, unde multa quotannis aureorum centena statim acciperet, eodemque mortuo, tanquam desperaret se posse invenire alterum, qui cum illo æquari conferrique posset in scribendis epistolis negociisque tractandis (nam utraque in re egregia ejus opera utebatur) neminem hoc honore ac titulo cohonestavit, sed tantum aliquos scribarum loco ad manum habuit, quibus litteras scribendas committeret. Fuit ob acumen judicii, quo plurimum præstabat, scriptorum aliorum existimator metuendus ac prudens; non enim erat tinctus literis, sed imbutus expletusque, adeo ut totus ex iis compositus conflatusque dici posse videretur. Platonis & Aristotelis doctrinam non a limine, ut plerique, salutaverat, sed ad intima ejus cubilia pervenerat, totamque accurate diligenterque lustraverat. Eam vero Aristotelis Philosophiæ partem, quæ est de moribus, de Rep. de Rhetorica, de Poëtica, ita noverat, ita de iis rebus accurate, diserte, docte, scienterque dicebat, ut cum eum audires, nihil Aristotelis vel cujusvis alterius Philosophi libros desiderares. Sed in primis præstantissimum ingenium contulit ad Poësim Hetruscam, in qua, ut leviter dicam, cuivis ætatis suæ par fuit, qui in eo studio elaborarit; nimium tamen inquirebat in se, atque ipse sese observans, nunquam, ut Polignotus alter, a tabula manum dimovebat. Multa scripsit egregia, sed Tragœdiam in primis, quam Aragonenses nuncupavit, & Iudicium Paridis. In quibus nihil est, quod quisquam possit reprehendere, præter nimis exactam exquisitamque in eis expoliendis excolendisque curam ac diligentiam, & quod mirabilius videatur, præter nimiam eorum pulcritudinem & venustatem. Nam ita verborum sententiarumque luminibus illustrantur, ut nullus umbris

bris locus relinquatur. Mortuus est senex, cum aliquot ante ejus obitum diebus, non obscurum futuræ mortis signum dedisset. Nam nimia gracilitate attenuatus, & pallore candori simili suffusus, a succo & sanguine, quo vita sustentatur, se fuisse destitutum significabat.

FRANCISCVS PANICAROLA.

SI nobis sit in animo, mandare huic libro omnes, qui operibus editis nomen suum posteritati commendarunt, ex singulis religiosorum ordinum familiis; tam multi se offerrent, ut iis referendis nullus unquam futurus sit finis. Quamobrem, eorum præconio, familiarum suarum scriptoribus relicto, paucos ex iis eligemus, quorum virtutis fama, effractis angustiis unius privatæ domus claustris, longe lateque sese diffudit, jamque iisdem, quibus orbis terrarum, cæli regionibus continetur. Quos inter primum oculos in se convertit Franciscus Panicarola, Mediolanensis, nobili genere natus, qui præpetibus ingenii sui pennis in sublime se efferens, latiore per gloriæ campum gyro alas extendit. De quo si quis dixerit, tanto eum ingenio fuisse, ut quæcunque sunt in liberalibus disciplinis posita, intelligentia comprehenderit, si quis commemoraverit, tanta eum industria studioque extitisse, ut omnes omnium libros, quorum numerus iniri vix potest, quorumque indicibus legendis vel longa unius hominis vita sufficiat, diligenter evolverit, ac notis in eorum marginibus adscriptis illustraverit, si quis asseruerit, tantam in homine memoriam fuisse, ut quæcunque audivisset, legisset, vidisset, tanquam clavis, ne exciderent, in ea defixa reliquerit; si quis affirmaverit, ita eum dicendi gloria præ ceteris floruisse, ut cum auditum esset, eum esse dicturum (sicut de Demosthene, in judicio Ctesiphontis, proditum memoriæ est) audiendi gratia, ex tota Italia concursus fierent, si quis narraverit, tantam tamque præjudicatam in omnium animis de singulari & eximia hominis eloquentia opinionem hæsisse, ut publice a civitatibus ad Rom. Pontificem oratores ad eum postulandum mitterentur; hic, inquam, qui omnia

hæc illi vindicare non dubitaret, Latine, non oratorie, loqueretur. Omnibus enim hisce in rebus admirationes & clamores efficiebat. Cur autem tanta vis ingenii eloquentiæque intra unius Franciscani, arctioris disciplinæ, ordinis septa sese concluserit, causæ afferuntur in primis duæ. Narrabat mihi Card. Bellarminus, qui una secum in comitatu Henrici Cardinalis Cajetani profectus fuerat in Galliam, eum eloquentiæ suæ conscium, per hanc rationem voluisse omnes, qui tum in concionibus dominarentur, de adepta dicendi gloria dejicere, quod neminem futurum sibi parem arbitraretur. Alter vero, se a Paricarola ipso audisse affirmabat, immaturam adolescentis cujusdam sibi carissimi mortem, humanæ vitæ statum, miserum atque caducum, sibi in oculis defixisse, ac vim attulisse, ut in saccum cinerum sese conjiceret: hoc enim, cinericiam illam vestem, quam induerat, nomine, appellabat. Celerius multo, quam per ætatem liceret, cœptus est adhiberi ad conciones ad populum habendas. Tanta illi erat in voce suavitas, in motu venustas, in gestu ars, quæ omnia formæ etiam dignitas commendabat, ut sola hæc, sine aliis rebus, possent tenere hominum cœtus, mentes allicere, atque in sui amorem impellere. Genus orationis liquidum, fusum, profluens, nusquam insistens, sed, magna ex parte, calamistris inustum, ac quæsito colore illitum, tum prædulcium sententiarum flosculis aspersum, licentius se efferebat, quam divinarum rerum, quarum interpres erat, sanctitas posceret. In prooemiis vero, tanquam non modo liceret, verum etiam necesse esset, omnis oratoria supellex palam exponebatur. In eis paria paribus relata, & similiter conclusa, eodemque pacto cadentia, denique omnis elaborata concinnitas, manifesto ad aucupium aurium quæsita deprehendebatur; quæ omnia vulgi plausu & clamoribus excipiebantur, sed doctis & cordatis viris, non probabantur. Quoties ego puer parentem vidi meum, gravem virum & doctum, tum irridentem, tum etiam irascentem & stomachantem! Ac Muretus ipse in suis ad Senecæ epistolas notis, se continere non potuit, quin, suppresso nomine, in illud ejus phaleratum, comptum, fucatum-

catumque dicendi genus, acri ac vehementi oratione inveheret. Verum illud cuivis hominum generi, summis, mediis, infimis placebat: & cum ille esset dicturus, antequam aurora illucesceret, loca in subselliis occupabantur, & quo tempore in Æde sacra B. M. Virginis, quæ est in Capitolio, concionabatur, vir quidam nobilis, qui ejus eloquentiam ad insaniam adamabat, cum serius, jam locis omnibus obsessis, advenisset, atque humilibus ac demissis precibus impetrasset ab eo, ut se in suggestum sequi pateretur, ibi ad ejus pedes accubans, usque a principio concionis ad finem non cessavit ejus soccis oscula figere. Tres per id tempus, in concionibus, dicendi laude florebant, Panicarola, Toletus, &, ex fratrum cucullatorum ordine, Lupus; cumque tria videantur esse, quæ orator efficere debeat, ut doceat, ut delectet, ut moveat, docendi laus, omnium concessu, Toleto tribuebatur; Panicarolæ, ut animos eorum, qui audirent, devinciret voluptate; Lupo, ut permoveret atque incitaret animos, &, quocunque vellet, impelleret, neque quidquam frequentius in sermonibus vulgi versabatur, nisi illud, Lupus movet, Toletus docet, Panicarola delectat. Sed quamvis ejus oratio omni lepore atque deliciis afflueret, in illo tamen ornatu suberat incredibilis vis atque ordo rerum, plenus artis & industriæ. Nam cum aliquem Evangelii locum explicandum suscepisset, in eo, quod proposuerat, hærebat; quæque a sacris divinarum rerum interpretibus in eam sententiam scripta essent, distincte, explicate, abundanter & illuminate, afferebat in medium; quam facultatem ei dabat incredibilis memoria, qua, tum natura, tum arte pollebat, & studiorum assiduitas. Nam ex omnibus singulorum dierum horis duodenas, literarum studiis, ternas nocturnis diurnisque horariis precibus recitandis, semihoram cibo dabat, reliquum tempus somno deberi arbitrabatur. Ætate provectus, & Astensis Episcopus factus, magna ex parte mutavit rationem dicendi; suaque ab oratione cincinnulis fucoque detractis, genus illud dicendi assumpsit, quod auctoritatis haberet magis, & muneri, quod gerebat, aptius esse videretur. Mortuus est Asti, sexto & quadragesimo ætatis

suæ anno. Immaturæ ejus mortis causam sustinet, ut ex Card. Bellarmino audivi, frequens edulium, quo se largius implebat, quam naturalis calor, longâ studiorum consuetudine, attenuatus imminutusque pateretur. Si singula sint enumeranda, quæ scripsit, jam codex unus esset implendus. Sed quæ frequentius teruntur hominum manibus, sunt plura ejus concionum volumina, liber in Calvinum scriptus, Demetrius Phalereus.

ROBERTVS BELLARMINVS.

DVos, singulari ingenio, sanctissimis moribus, & incredibili eruditione viros hæc nostra ætas in amplissimo purpuratorum patrum collegio, in purpura ostroque conspexit; quorum utrumque plus ad purpuram splendoris attulisse, quam ab ea accepisse, est in confesso apud omnes; nimirum Robertum Bellarminum Politianum, & Cæsarem Baronium Soranum. Ac prior, Marcelli II sororis filius, tum singulari parentum studio, a quibus Patavium mittebatur, ut idoneus quamprimum honoribus fieret, tum stirpis commendatione, utpote Marcelli Pont. Max. progenies, tum præclaræ ad virtutem indolis bono, quippe sanctissimus, tum singularis eruditionis merito, nempe doctissimus, tum incredibili in eum plurium summ. Pont. voluntate, qui Marcello Pont. ejus avunculo se plurimum debere profitebantur, & quod omnes omnium conatus superat, divinæ providentiæ decreto, ad honorem purpuræ vocatus, atque adeo attractus cum esset, incredibili, humana omnia despicientis animi magnitudine, relicto itinere, in quod compellebatur, eo cursum arripuit, unde nullus ad honores capessendos, flatus ostenderetur. Namque annos undeviginti natus, Sodalitati Iesu nomen dedit, ubi omnes ad honores obstructi interclusique sunt aditus. Deinde Innocentium IX, qui auctoritate sua posset quascunque quantumvis septas occlusasque ad honores vias aperire ac patefacere, quique statuisset, primis Cardinalium comitiis, in amplissimum illum ordinem eum cooptare, eo multis precibus ac lacrimis impulit, ut fide data sponderet, se neque proximis

mis neque aliis deinceps comitiis aliquam ipsius rationem habiturum. Sed nulla fugæ ratio, adversus æterna persequentis Dei consilia; omnisque itineris cujusque, quantumvis deserti, avii, alieni exitus, in id demum evadit, ad quod te ille vocaverit. Nam Clemens VIII Robertum, ex honorum fuga retractum, reluctantem, seque purpuræ subtrahentem, validis Pontificii imperii habenis repressit, & ad id fastigium attraxit, ad quod recusabat accedere. Venit in Societatem Iesu adolescens, ut diximus, omnium fere disciplinarum rudis; sed incredibilis quædam ingenii magnitudo non magnopere desideravit alterius in se erudiendo laborem atque industriam; sed prope a se ipso doctus eruditusque, antea magister aliorum extitit, quam cujusquam discipulus fuerit. Atque, ut ceteras disciplinas prætercam, Rhetoricam nimirum, quam Florentiæ docuit, concionandi artem quam celerrime, nullo monstrante, exercuit; nonne in vestibulum Theologiæ, doctrinarum omnium maximæ præstantissimæque, vix pedem intulit, cum alios cœpit ad intima ejus penetralia perducere? Etenim unum pæne annum ejus disciplinæ studio dederat, cum Lovanii, ad eam percipiendam, septem annis dux aliis fuit ac magister, & doctissimas disertissimasque de rebus divinis, Latino sermone, frequenter conciones ad populum habuit. Sed cum Lovanii sæpissime, vario morborum genere conflictatus, aërem minus sibi salubrem fuisset expertus, accitus Romam, in collegio suæ societatis doctor eximius auditores suos, quorum magnus ad eum numerus confluebat, per annos undecim ad Theologiæ sacrarumque literarum perceptionem instituit; ubi etiam nomen suum æternitatis memoriæ consecravit, editis adversus nostri temporis Hæreticos pluribus controversiarum libris, quibus misere eos perculit, prostravit, afflixit, unde tanquam ex perenni fonte infinita propemodum ejus laudandi materies, quasi flumen erumpit; ad quos oppugnandos tametsi, quotquot sunt ubique terrarum catholicæ Religionis hostes, contractis in unum copiis, aciem instruant, educant, impellant, nihil illis nocent, sed in illis confutandis ipsi suis se jaculis feriunt, confodiunt, perimunt; ut non tanta

F 3 cum

cum libris illis, quanta secum, videatur esse contentio. Sed tantum sanctitatis doctrinæque lumen non decebat in unius domi angulo delitescere, sed excelsum editumque locum deposcebat, unde cæca vitiorum, errorumque nocte persusis (pulsis ab eorum oculis tenebris) virtutis formam, quavis specie pulcriorem ostenderet. Quamobrem tantum bonum non posse diutius Reip. Christianæ deberi, existimavit Clemens VIII, & in proximo sibi dignitatis gradu, ut antea diximus, locoque constituit; ac deinceps, quo honestius locum illum dignitatis tueri posset, pinguem ac prædivitem Capuanam Ecclesiam aliis sacerdotiis addidit, quibus eum locupletaverat. At, si quæratur, cur Bellarminus inter multos sacerdotes, quasi inter minora sidera, solis cujusdam instar, habuisse existimetur; statim occurret, quid respondeatur, si ad eos radios, ipsa solis luce clariores, quibus effulsit, mentis oculorum acies intendatur. Ad quænam, inquies, in Bellarmino, tanquam in sole aliquo ad radiorum similitudinem diriguntur? Ista nimirum, primum tanquam lethale aliquod piaculum existimasse, plus uno sacerdotio habere; aç propterea ex aureorum quatuordecim millibus, quæ quotannis ex pluribus sacerdotiis capiebat, sex tantum sibi retinuisse, quibus parce & modeste se & familiam suam aleret, reliqua millia octo, una cum sacerdotiis, unde prodibant, a sese, tanquam onus aliquod suis viribus impar, abjecisse, ne ejus pondere onustus, ac per abrupta viarum iter faciens, deorsum attraheretur, atque pessum iret, tum omnem, de consanguineis, cognatis, de fratris filiis, patrui animum ejecisse, deinde nihil de suis reditibus parsisse, ut eos divites faceret, tum nullam cogitationem habuisse aut auri aut argenti avaritiam, aut amœnitatum ad delectationem; nam forum Rotundæ, domui suæ proximum, vineam suam appellare consueverat; aut supellectilis ad luxuriem, aut ædificiorum ad magnificentiam; sed modesto ac parabili victu cultuque contentum, vitæ sanctimonia ac frugalitate sibi laudem, purpuræ splendorem, ordini ornamentum accersisse; deinde recte subductis expensi & accepti rationibus, quidquid ex domesticis sumptibus superesset, in paupe-

res

res erogari mandasse; denique commissas sibi oves, sua præsentia destitutas, nunquam esse passum existere. Cum igitur hæc clariori, in ejus laudibus, luce præfulgeant, ex iisque nomini immortalitatem suo & gloriam comparaverit, jam cogimur fateri, quæ sint illis contraria, videlicet sacerdotia sacerdotiis coacervare, insano suorum amore flagrare, nullum in eis locupletandis neque modum neque finem facere, domos in urbium modum ædificare; villas, signis, tabulis pictis, atque omni regali opulentia refertas, excitare; quodque ex quotidianis sumptibus superest, aut in fœnore ponere, aut in novis fundis collocare, veram in se laudem non habere, ac propterea sermonibus iniquorum ansam præbere. Decessit Romæ nono ac septuagesimo ætatis suæ anno, ex gravi diutinoque morbo, cum proxima superiori æstate in ea ædium Vaticanarum parte habitasset, quæ pestilentibus austri flatibus opponitur. Statura fuit pusillæ proxima, collo brevi, nec sane nimis eleganti forma; quamvis ejus animi ingeniique probitas pulcritudoque in ore emicaret. Magis quam quisquam alius, id quod volebat, pure, dilucide, propriis aptisque vocabulis explicabat; inventis rebus ita verba respondebant, ut nullam in ejus scriptis lituram deprehenderes; quamquam diligenter loquendi laude caruit. Reliquit libros controversiarum, quibus præsertim sibi purpuræ honorem & gloriam reperit, tum conciones, responsionem & apologiam ad Iacobum Angliæ Regem, deinde de scriptoribus Ecclesiasticis volumen, Davidici Psalterii interpretationem, ac postremis vitæ suæ annis, de gemitu columbæ, de arte bene moriendi, aliaque opuscula edidit, scripta dulcissime.

CÆSAR BARONIVS.

QVod tanto Ecclesiæ Catholicæ utilitas, Rei literariæ decus, orbi Christiano lumen, ab Cæsaris Baronii Ecclesiastica historia contigerit, S. Philippo Nerio, congregationis Oratorii fundatori referendum est acceptum. Eo enim auctore impulsoreque, tanto oneri humeros suppo suit, cujus magnitudini gravitatique cujusvis

jusvis ingenii, quantumvis validissimi, vires succubuissent: verum semel illud strenue fortiterque susceptum, usque ad extremum vitæ spiritum, magna æternaque cum nominis sui laude, sustinuit. Res a parvis initiis, ut magnæ plerunque res solent, orta, fere in immensum excrevit. Erat in eo, antequam opus aggrederetur, doctrina mediocris, eruditio vulgaris, Latine scribendi usus propemodum nullus: sed ab his tam exiguis seminibus, in Ecclesiæ solum jactis, ac cælestis gratiæ imbribus irrigatis, tantus truncus, tantique rami excitati procreatique sunt, ut nulli earum arborum, quibus cælestis patris familias vinea se jactat, neque proceritate, neque viriditate, neque bonorum fructuum copia, cedere videatur. Tantas, ingenium meditando, doctrina legendo, stylus scribendo, vires accepit. Ac stylus non ille quidem elegantissimus, sed neque admodum inquinatus, verum gravis, ac sine cincinnulis fucoque puerili; qualis omnino Christianum scriptorem, ac de rebus maximis atque gravissimis loquentem decet. Tanti operis inchoandi perficiendique causa fuit provincia illi a S. P. Philippo tradita, de rebus gestis Ecclesiæ, jam inde usque ab ejusdem nascentis incunabulis, in Æde nova B. M. V. in Vallicella referendis. Etenim, inter egregia ejus Congregationis instituta, hic mos obtinuit, ut ex iis quatuor, qui quot diebus de rebus divinis verba faciunt, unus Ecclesiasticam historiam, audientium frequentiæ, quæ nunquam deest, exponat. Itaque omnibus legendis scriptoribus, tum Græcis tum Latinis, tum sacris tum prophanis, tum veteribus tum novis, tum typis impressis, tum nondum editis, omnium Ecclesiæ temporum historiam complexus est animo, eamque, Dei ope ac Philippi precibus adjutus, æternis literarum monumentis consignare constituit. Atque, cum me in ejus scripta, mente & cogitatione conjicio, plane vehementer exhorreo, neque satis assequi intelligentia possum, unde homini, in excipiendis confessionibus, in sermonibus habendis, in sacrosancto Missæ sacrificio faciendo, in horariis precibus recitandis, in rebus suis naturæ ac necessitati tradendis occupato, tantum spacii contigerit, ut infinitam vim rerum ac varietatem, per

infinitos

infinitos pene libros dissipatam atque dispersam, colligeret, intelligentia comprehenderet, de unaquaque earum judicaret, ac denique literis docte accurateque mandarit. Equidem quocunque cogitatione me flecto, nihil aliud comperio, nisi opus Ecclesiæ inprimis necessarium, non potuisse nisi præcipuo divini Numinis instinctu, auxilio, atque adeo miraculo suscipi, expoliri, atque ad absolutionem, perfectionemque perduci. Multa, partim levia, partim nugatoria, partim a veritate prorsus aliena, sive hominum injuria, sive Ethnicorum perfidia, sive Hæreticorum fraude, in Ecclesiasticam historiam irrepserant, magno Christianorum cum detrimento; quæ ille omnia, sua illa mirifica ad refellendum consuetudine usus, inscitiæ, fraudis, falsitatisque coarguit ac convincit: atque a Christo nato orsus usque ad Innocentii III tempora historiam perduxit. Sed id quoque ætatis nostræ lumen longe clarissimum, in primis dignum, quod editiore in loco fulgeret, Clemens VIII, invitum atque repugnantem, ad purpuræ culmen attraxit, & Vaticanæ Bibliothecæ præfecit; ad quem gradum honoris tantam animi æquitatem & modestiam attulit, ut nunquam reliquerit ueque abjecerit obedientiam, quam Rectori congregationis suæ præstiterat, neque deposuerit clavem cubiculi sui, quo se in illud posset, si ita æternæ salutis suæ ratio deposceret, deposita purpura, rursus includere. Sed primo nihil fuit illi antiquius, quam ut Nerei & Acchilei sacram Ædem, quæ sibi forte contigerat, collapsam soloque æquatam restitueret, in eamque eorundem sanctorum & Flaviæ Domitillæ ossa, ex Æde D. Adriani, solemni ritu maximisque cæremoniis deferenda curaret. Sedis autem Apostolicæ dignitatis majestatisque tuendæ, ita erat acer propugnator, ut contra ejus minuendæ auctores nullam potentiæ, amicitiæ, gratiæque rationem haberet, nihil, cujusquam periculi metu perterreretur; adeo ut diuturna Regum maximorum imperia adversus sedis Apostolicæ decus, non dubitaverit scriptis suis labefactare atque convellere. Sed multo magis studium in eam sedem suum comitiis pontificiis declaravit: nam Leone XI extincto, tum Cardinalium multorum, qui

novi Pontificis eligendi cauſa conclavi tenebantur, voluntates in unum conſpirarent, qui minus illi oneri idoneus habebatur, jamque pene in eo eſſet, ut in Petri ſolio collocatus, Pontifex ſalutaretur; reſtitit ille, & clara voce, ſe nunquam ſuffragio ſuo tantum illi honorem delaturum dixit, nec niſi coactum electioni illorum aſſenſionem ſuam præbiturum; & quo teſtatior eſſet ejus rei memoria, non recuſare quo minus in annales Eccleſiaſticos referretur, ſe omnium poſtremum, quoniam aliter fieri non poſſet, ſuam cum ceteris patribus voluntatem conjunxiſſe. Neque his vocibus nihil eſt actum: nam continuo rerum commutatio facta eſt; illoque relicto, ſua Patres ſtudia in Cardinalem Burgheſium contulerunt, eumque Pont. Max. Pauli V nomine, declararunt. At Baronii objurgationes eo majorem vim habebant, quod cum procero eſſet corpore, inerat in ejus vultu illepido, inamœno, triſtis ſeveritas; inter cujus quaſi nubes, haud ſcio, an ullus unquam riſus emicare viſus ſit. Obiit tabe, ex aſſiduo ſtudiorum labore concepta; qua ita cibos omnes faſtidiebat, ut nullum eſſet tam nitidum, tam delicatum, tam lepide ſuaviterque conditum obſonium, ut poſſet in ejus ætate morboque confecto ſtomacho, edendi appetitum excitare; immo cum ad cœnam vel prandium vocabatur, tanquam ad ſupplicium ſe rapi dicebat. Præter annales Eccleſiaſticos, reliquit doctiſſimas ad Martyrologium Romanum notas, quibus illud mire illuſtravit.

GVLIELMVS ALANVS.

DVobus ſuperioribus Eccleſiæ luminibus jure adjiciendus videtur Gulielmus Alanus, ſingulare in Angliæ Catholicæ religionis monimentum. Hic vir egregius generis ſplendore, morum probitate, doctrinæque præſtantia, ad hæc, laboribus ſuſceptis, periculiſque pro catholica Religione aditis, meruit, ut a Sixto V ſolus, non obſervatis legitimis, ut ſolebat, comitiorum diebus, in collegium Cardinalium cooptaretur. Etenim ab ineunte ætate, cum eſſet præſtanti corporis forma, quæ magnum eſſe ſolet ad libidines incitamentum,

tum,

tum, cumque Oxoniam ad excolendum optimis disciplinis animum missus, longe a parentum custodia, posset dare aliquod tempus ad ludum ætatis; eo robore animi, atque ea indole virtutis & continentiæ fuit, ut respueret omnes voluptates, atque integrum ab omni labe animum conservaverit. Deinde cum impiis hæreticorum doctrinis, ac minacibus reginæ Elisabethæ edictis, quæ, in suo Regno, sacrorum principem se dici volebat, vehementissime in Anglia Catholica religio oppugnaretur, perterritis ceteris (quantum unius vocis & ingenii viribus potuit obsisti) solus in aciem prodiit, & furentium adversariorum impetus strenue fortiterque excepit, partim alios cohortando, ut in Rom. Pontificis fide manerent, partim eos, qui defecerant & ad Hæreticorum castra transierant, revocando, tum libris, de purgatorio igne, de sacerdotio, de indulgentiis, aliisque operibus editis, adversariorum errores refellendo: sed, miraculo audaciæ, primum obstupefacti, tum inflammati ira adversarii, quod unus ceteris exemplo, ad ineundum cum ipsis prælium, fuisset; undique in eum tela conjecerunt, quæ ille fugæ præsidio devitavit, & incolumis Lovanium ad suos, hoc est, ad Catholicos, se contulit. Neque tamen *ibi* quieti somnoque se dedit, sed tanquam miles animosus ac fortis, mutata veste ac nomine, veluti ex occulto ac de insidiis, ad stationes hostium, hoc est, in Angliam venit, ibique multa prælia præclara fecit, videlicet multos in catholicorum castra reduxit, ac quodam die minimum absuit, quin caperetur; sed illi, cui ejus capiendi partes erant traditæ, qui probe eum noverat, & cum eo etiam nocte illa convivium inierat, glaucoma ob oculos Deus objecit; eoque hominem adduxit, ut quem ante oculos haberet, tanquam ignotum præteriret. At Alanus, ab hoc aditu januaque divinitus patefacta, ex inimicorum manibus elapsus, variis temporibus, variisque in locis, nova collegia instituit, quo Angli, Religionis causa, patria domoque pulsi, confugerent, atque unde omnia ad vitæ usum necessaria peterent, ac bonis artibus instituti complures, tanquam auxiliares copiæ, iis subsidio mitterentur, qui in Anglia pro avita fide certarent. Ac primum Duaci, ubi ejus opera

opera non vulgari mercede ad docendam Theologiam conducta fuerat, celebrem domum excitavit, in qua etiam doctissimos libros scripsit, de imaginibus, de prædestinatione, de sacramentis; tum Romæ. Postremo, Duaco, ab armata hæreticorum militum manu, una cum alumnis expulsus, Remos concedens, & Guisiorum Principum beneficentia adjutus, ad ducentos convocavit, quibus annos circiter quatuordecim præfuit; quorum unus, maximis ab eo beneficiis affectus, pessimo ingrati animi exemplo, venenum eidem, ac ceteris sodalibus suis, eorundem necandorum causa, paravit; ut scilicet collegium totum, cum ejus moderatore atque Rectore, una cœna, ea peste imbuta, deleret: ac nisi per eum ipsum, qui paraverat, pœnitentia ductum, res patuisset, pessimum facinus patratum foret: neque ita multo post, nihil propius est factum, quam ut sicarii cujusdam scelere opprimeretur, missi ad eum interficiendum ab Angliæ Magistratibus, crebris illius Romam itionibus, & collegiis tot locis excitatis, vehementer exterritis, & novæ Anglicanæ religioni exitium metuentibus. Itaque in catholicos, quos ceperant, quæstiones exercere, sævire, omnia barbaræ crudelitatis exempla edere, in his clarissimum illud innocentiæ, ingenii, doctrinæque lumen, extinctum jacuit, Edmundus nimirum Campianus, qui primus ex Patribus Soc. Iesu in Angliam ruentis Catholicæ Religionis, pro viribus, sustentandæ gratia transmiserat; qui equuleo primum tortus, tum suspensus sectusque fuit; quo scelere nullum ætas nostra tetrius vidit, neque dignius cujus a conspectu sol ipse recederet. Sed cum ob hanc immanissimam crudelitatem pessime illi apud omnes audirent, conati sunt religionis causa, læsæ Majestatis crimen obtendere, asserentes, jure in eos animadversum esse, quos Reginæ capiti pestem & exitium comparasse constaret: quod ab illis crimen Alanus novo volumine propulsavit, & veram impiorum hominum crudelitatis causam aperuit. At ille, tot laboribus periculisque defunctus, evocatus est Romam a Patribus Soc. Iesu, quos inter, & alumnos collegii Anglicani, ejus præsertim opera, in domo hospitali suæ nationis, Gregorii XIII auctoritate

tate fundati, maximæ discordiæ intercedebant; ut eas videlicet oratione sua, atque adeo aspectu ipso, sedaret ac tolleret. Sed paulo post, quam ad Vrbem venit, præter omnium expectationem, atque ipso ne suspicante quidem, a Sixto V Cardinalis declaratur; ut scilicet tanti viri claritate novum amplissimo illi ordini splendorem & decus acquireret: quæ electio magnam Romæ mercatorum rebus perturbationem attulit. Nam fiebant tum temporis a mercatoribus sponsiones, quæ postea summorum Pont. decretis sublatæ sunt: mercator enim, accepta ab aliquo pecunia, majore vel minore, prout ille, de cujus honore sponsio fiebat, majore vel minore apud Pontificem Max. gratia valebat, suo chirographo spondebat, se centum aureos enumeraturum, si ille, cujus nomen in eo chirographo erat adscriptum, proximis futuris comitiis Cardinalis creatus esset. Quamobrem Alano, cujus ne nomen quidem in foro argentario auditum unquam esset, ex improviso, nec observata, ut diximus, temporum ratione, in Cardinalium collegium cooptato, qui sponsiones illas nundinati fuerant, quorum pene infinitus erat numerus, maximæ pecuniæ jacturam fecerunt. Sed magna profecto, Alani cooptatione, augustissimo illi ordini, decoris ornamentique facta est accessio; quippe cui ejus opera, doctrina, atque industria, maximo pluribus in rebus usui erat. Sed tantum illi bonum non licuit esse admodum diuturnum; nam aliquot post annis, interclusis urinæ meatibus, ea illi fluere desiit; ac XVII Kal. Octob. anni M D XCIV, ætatis suæ secundo & sexagesimo, magno patriæ suæ damno & bonorum omnium mœrore decessit.

THOMAS BOZIVS.

Thomas Bozius Eugubinus, Congregationis Oratorii, in scribenda historia non certis quibusdam finibus se continuit, ut Baronius; sed liberum & apertum sibi campum esse voluit, in quo posset excurrere. Etenim Baronius, ab initio rerum Ecclesiasticarum, res omnes singulorum annorum, literis mandavit; Thomas vero,

vero, longe majora amplexus animo, omnium monimenta temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum, in historiam contulit, ut vel ex hoc uno existimare de hominis sapientia liceat. Quid enim illi novum, quid incognitum inauditumque potuit esse, qui ut de Trogo Pompejo Iustinus inquit, Herculea audacia orbem terrarum aggressus, singula ex eo, quæ inde usque ab ejus incunabulis digna cognitione extitissent, excerpsit, ac divisa temporibus, ac miro ordine collocata ad cognoscendum proposuit? Et quamvis non admodum senex sit mortuus, tamen processisse longius ætate videtur, quam Nestor, vel quivis alius eorum, qui longissime omnium vitæ terminos protulerunt. Nam si tantum unusquisque temporis ad vivendum habuisse videtur, quantum se in omnium sæculorum memoriam mente studioque conjecerit, quid prohibet dicere, tot annos habuisse Bozium, quot anni a mundi ortu usque ad suam ætatem numerantur, cum ea, quæ in singulis ætatibus contigerint, in historiis, animo, tanquam oculis inspiciendo, iis quodammodo interfuisse, & cum hominibus illis pariter vixisse videatur? Deinde cuinam, prope dixerim, magis Ecclesia se debere fateatur, quam illi, qui pro ejus incolumitate adversus hæreticorum factiones, eam delere cupientium, omnes ingenii sui vires, tanquam copias eduxit? Nam cum hostes Ecclesiæ, eam esse rem cæcam, & ab oculorum judicio remotam intra divinæ mentis arcana, includi, contendunt, quid aliud faciunt, nisi Ecclesiæ nomen retinent, rem ipsam ab oculis abigunt, ac prope in nihilum redigunt? At ille, edito doctissimo libro, signa & notas ostendit, quibus eam, qui vellent, aspicerent, ac manu tenerent, docetque eandem, quamvis conspicuam, quamvis insigni pulcritudine præditam, sub eorum tantum aspectum non cadere, qui densissimis errorum tenebris circumfusi, sua nocte delectantur, & in veritatis lucem venire contemnunt. Sumpsit etiam pro Christiana Religione adversus Nicolaum Macchiavellum, aliosque politicos, quos vocant, bellum, quorum insana regnandi libido quasdam sibi leges finxit, quibus Deus e mundo tollatur; quas ille leges est infringere

atque

atque abolere conatus, ac demonstrare, illud tantum regnum esse stabile atque perpetuum, quod caritate ac benevolentia civium septum atque munitum cum divinis jussis mandatisque conveniat. Pugnavit autem contra Macchiavellum duobus insignibus operibus, uno de ruinis Gentium & Regnorum, altero de antiquo & novo Italiæ statu. Scripsit de imperio virtutum, de robore bellico, de jure status: sed Annalium antiquitatum, ingens opus, in decem volumina divisum, duæ tantum partes impressæ cernuntur; reliquæ apud Franciscum fratrem, una cum aliis egregiis doctissimi viri fœtibus asservantur; quibus (si facultas & vita suppeditaverit) edendis, suam fratri benevolentiam, vel potius pietatem præstabit.

BAPTISTA GVARINVS.

CElebris, toto orbe terrarum, Ferrariensium Ducum aulæ gloria, illustrium, generis divitiarumque splendore, virorum multitudine prædita, optimorum ingeniorum omniumque præstantissimarum artium facultate principum copia referta, scenarum magnificentia, ludicrorum equestrium certaminum gloria, sumptuosis frequentium conviviorum apparatibus nobilis, nulla unquam in hominum animis oblivione delebitur. Sed eorum in primis Ducum nominibus, tubarum duarum, Areosti scilicet & Tassi, Homero Virgilioque non inferiorum, cantu in cælum elatis, omnis posteritatis aures personabunt. Verum ex illa aula, unde tanquam ex officina aliqua tubæ illæ prodierunt, pastoralis etiam Baptistæ Guarini fistula exiit, quæ suavitate, lepore, tenerorum amorum deliciis, atque omnibus ad capiendos animos illecebris, quarumvis tubarum famam exæquet. Hujus enim Eclogæ, Pastori fido nomine, ea est claritas, ea celebritas, ut nullæ sint manus, quibus illa non teratur, nulli sint oculi, quibus non legatur, nulla sit ætas, sive puerorum, sive adolescentium, sive juvenum, sive senum, nullus sexus, sive virorum, sive mulierum, in quorum sinu non gestetur, nullus hominum ordo, sive nobilium, sive tenuiorum, nul-

lum

lum genus, sive doctorum, sive rudium, in quorum domibus non inveniatur, nullæ impressorum officinæ, ubi illa fere quotannis typis non mandetur, nulla nationum, quantumvis barbararum diversitas, in quarum sermonem conversa, non legatur: morum fortasse integritati non utilis: etenim in ejus dulcedine suavitateque, tanquam in infesto Sirenis mari, in quo etiam Vlysses erravit, virgines nuptæque complures pudicitiæ naufragium fecisse dicuntur; sed legentium e manibus extorqueri non potuit: nec defuerunt præstantia doctorum hominum ingenia, quæ stantem ejus gloriam suis censuris tanquam machinis conata sunt oppugnare atque subvertere; sed omnis eorum labor in irritum recidit, immo ejus splendor illorum clamoribus exagitatus, quasi vehementibus impulsa flatibus tæda, clarius enituit. Multum etiam, ut ex orationibus ejus apparet, dicendi laude præstitit, ob quam ab Alphonso II Ferrariæ Duce, in multis ac nobilibus legationibus est adhibitus; ad Remp. Venetam, ubi cum patres illi amplissimi, in senatu suo verba facientem, magis quam alium quemquam Italica lingua loquentem, sunt admirati; ad Henricum Valesium tum Poloniæ Regem; ad Gregorium XIII, ut illi, de more, Alphonsi Ducis nomine, adeptum Pontificatum Max. gratularetur; & rursus, eadem de causa, post Alphonsi mortem, ad Paulum V, a patria missus; ad quod munus nonnisi nobilissimus & eloquentissimus quisque deligitur. Ejus etiam opera idem Alphonsus usus est in scribendis epistolis, in quo munere tantum valuit, ut etiam de eo elegantissimum librum, qui Secretarius inscribitur, ediderit. Nulla fuit in Italia paulo illustrior Academia, quæ non summa ambitione ab eo expetierit, ut nomen suum ad ipsius Academicorum numerum adscriberet. Sed Academiam Humoristarum dilexit ex omnibus plurimum; in qua semper princeps, sponsam eam suam appellabat, quæ non exiguam illius in se amori gratiam retulit. Nam & in parentis eum loco dilexit, ejusque adhuc superstitis imaginem, magna in tabula, summi artificis manu depictam, & corona aurea ornatam, in loco Academiæ posuit; & mortuum maxima pompa, egregiis suorum

ſuorum ingeniorum carminibus, & funebri oratione laudavit. Semper cum adverſa fortuna iniquorum odio conflictatus, (non enim malevoli tanto viro deeſſe poterant) demum cum Venetias, litium quarundam cauſa veniſſet, & ad cauponem divertiſſet, ibi ſenio curisque confectus, exceſſit e vita.

MARSILIVS CAGNATVS.

IN progignendis elegantiſſimis hominum ingeniis, ad præſtantiſſimas omnes artes a natura factis, Veronæ civitas ſemper felix eſt habita. Itaque quæ olim Catullum, ac paulo ſupra noſtram memoriam Fracaſtorium aliosque genuerat, hac ætate Marſilium Cagnatum, magni nominis medicum, edidit. Hic domi omnibus his literis, quibus ætas puerilis informari ad humanitatem ſolet, eruditus, Italicas Athenas, hoc eſt, Patavium, petiit. Sed Deus illi propitius Iacobum Zabarellam objecit, præſtantiſſimum tum temporis in eo gymnaſio philoſophum; quo doctore Philoſophiam didicit, cujus rei cauſa Patavium ſeſe contulerat: verum quia ejus omnis in philoſophico illo ſpacio curſus & labor ad Medicinam, Philoſophiæ quaſi quadam cognatione proximam, feſtinabat, tanquam ad metam, Romam contendit, ſeque Alexandro Petronio in diſciplinam tradidit, ad quem tum medicæ facultatis primæ, omnium conceſſu, deferebantur. In cujus ſchola quinquennium verſatus, ita ab ejus doctiſſimis ſermonibus exercitationibusque diſceſſit, ut celeriter in principum medicorum numerum pervenerit, neque ullum eſſet morbi genus ita arduum, ita anceps, quod non ejus dignum cura videretur. Cujus induſtriæ ego maximum documentum hoc habeo, quod ſtatim a Patribus Soc. Ieſu, viris doctiſſimis, & in exiſtimando de cujusque ingenio acutiſſimis, ejus opera conducta eſt, neque alio, quoad ille vixit, medico ſunt uſi: deinde, quod ad docendam Philoſophiam Medicinamque, in gymnaſio Romano, magnis præmiis evocatus eſt: quo in munere obeundo, mirum illud accidit, quod cum in communi hominum conſuetudine uſuque ea eſſet frontis ſeveri-

tate triſtitiaque, ea oris taciturnitate atque ſilentio, ut nullum ab eo hilaritatis ſignum, nullum pene verbum elici poſſet, ita tamen erat in docendo facundus, ita elegans, ut mirarentur omnes, locorum mutatione, tantam in homine diſſimilitudinem morum exiſtere. Sed dabat hanc illi facultatem magnitudo doctrinæ, qua pectus repletum habebat. Nam Græce Latineque doctus, omnium Philoſophorum placita, omnium temporum hiſtoriam, complexus erat, unde, cum eſſet opus, plura proferret, quibus auditorum animos ab illius triſtitia doctrinæ, quam docebat, paulisper ad hilaritatem voluptatemque traduceret. Sed. in curandis aliorum morbis ita peritus ac ſagax, non potuit unicum maſculæ prolis filium, in gravem morbum ex incontinentia prolapſum, ex ancipiti eripere, ſed ruentem ad interitum, ſua etiam ope adjuvit, ſive fato aliquo, ſive adoleſcentis culpa, quem pudore deterritum, parenti veras morbi cauſas puduit aperire. Verum ea animi conſtantia, labentis familiæ ſuæ caſum ſuſtinuit, ut conceptum intus dolorem, non in lacrimas, non in voces effuderit, ſed elegantiſſima elegia dolenter oſtenderit, quanta, ex filii interitu, malorum moles in ſuam domum irruiſſet. Demum aliquanto poſt ipſe quoque, annum agens nonum ſupra ſexageſimum, emigravit e vita. Objectum eſt illi, quod morbos in longum traheret: at hæc fortaſſe fuit ægri cujuspiam querela, cui erat moleſtum, ſe diutius affixum lecto teneri. Scripſit de ſalubritate aëris Romani, de humano partu, de ratione curandi flores in urbe, de aqua Tiberina, & alia opuſcula, quæ unico volumine continentur. Edidit libros de continentia in victu, & de exercitio, ſeorſim a ceteris opuſculis impreſſos.

M. ANTONIVS BONCIARIVS.

Hic Peruſii, a vulgaribus, ut ipſe de ſe fatetur, opificibus ortus, cujus quippe avus coriariam, pater ſutoriam, in adoleſcentia fecerat, generis obſcuritatem ſui literarum ſplendore illuſtravit. Gloriatur in ſuis ad amicos literis, ſe M. Antonii Mureti auditorem fuiſſe;

Sir-

Sirleti & Cornei Cardinalium commendatione eidem traditum; neque fallitur in gloriando: nam multo est gloriosius, se Mureto in disciplinam, quam multis ad docendum dedisse. Mureto extincto, duos clarissimos viros, qui tum humanissimis his studiis præerant, in primis coluit Franciscum Bencium, & Io. Petrum Maffejum, duo Soc. Jesu in hoc genere studiorum lumina longe clarissima; a quorum recta scribendi ratione utinam, qui postea secuti sunt, nunquam recessissent; etenim eloquentia sua in sede consisteret, nec tumidam, elatam, & insolentia ac constructione verborum excæcatam, tum ineptiis sententiarum deformatam orationem, suum in regnum irrupisse quereretur. Sed Bonciarius, a Mureti disciplina profectus, totum vitæ suæ tempus alios docendo instituendoque consumpsit. Primum in seminario Perusino admodum adolescens, & postquam robustior est factus, in gymnasio ejusdem civitatis, Rhetoricam, quæque ad bonas literas pertinent, docuit: postremo, in collegio, cui ad extremum usque spiritum præfuit, docendi munus exercuit, sed jam luminibus captus, ac debilibus articulari morbo membris omnibus, quorum pene usum amiserat; qui morbus illi tam tetros cruciatus ciebat, ut nocte quadam, ut ipse scribit, ea oculi tunica, quam medici corneam vocant, sponte diffracta sit, ac pupilla, uvæ grano similis, sua sede evulsa conciderit, ea doloris acerbitate, quæ verbis explicari non possit: verum ita fortis fuit in perferendo, ut cum maxime excruciaretur, nullam vocem sapientis gravitate indignam emiserit, nullum in vultu, minus æqui in calamitatibus animi signum ostenderit. Multa scripsit eleganter planeque Latine, tum soluta oratione, tum versibus. Extant epistolæ, ad plures tum literarum nobilitate tum generis splendore viros clarissimos datæ; in his ad Vbertum Vbaldinum, antea quam a Paulo V cooptatus, in Cardinalium numerum veniret; circumfertur de arte Grammatica liber. Refert in suis epistolis, susceptam a sese delatam de viris illustribus scribendi provinciam, qui per annos quadringentos Perusiæ armorum vel litterarum gloria floruerunt. Ex iis quæ prosequutus est versibus, hæc feruntur in primis,
 Tri-

Triumphus augustus, sive de Sanctis Perusii translatis lib. IV, Seraphidos libri III, multaque alia poëmatia tum jocosa, tum gravia. Multos docuit; in his parentem suum, Mariotto nomine, cum annos septem & quadraginta natus, uxore amissa, se Soc. Jesu vellet adjungere, ab eaque repelleretur, quod literarum Latinarum ignarus, sacris initiari non posset.

CLAVDIVS ACHILLINVS.

QVod nunquam in stirpibus vel frugibus accidit, ut plus virium virtutisque concipiant, quam quantum in seminibus, unde emerserint, subest, id in hominum genere sæpissime usu venire videmus: cum nimirum parentibus filii, avis nepotes, magnitudine animi, ingenii, fortitudinis, longo intervallo præcurrant. Adfuit quidem in tota Achillina familia, tanquam in semine, amussitata ad virtutem indoles: non cessavit illa, aliquot abhinc sæculis, clarissimos in omni virtutum genere viros efferre: vidit paulo hac nostra superior ætas Alexandrum Achillinum, Claudii avum, docentem Patavii Philosophiam, & admirata est hominis ingenium, eruditionem, doctrinam: viderunt alia alios tempora, virtutis stimulis incitatos, celeri ad gloriam cursu contendere. Sed talis virtus, qualis in Claudio se extulit, nullius est oculis unquam accepta. Etenim natura, ad hujus nostri sæculi bonum, cupido, ut ita dicam, animo omnia sua in eum munera contulisse, aliis verò, quantumvis egregiis, parca tribuisse manu videtur. Nam Claudium, a primo natalis ejus die, suis cumulatum bonis, usque ad extremum diem vitæ perduxit. Nam primum clarissimum illi natalis soli splendorem attribuit, Bononiam scilicet; tum antiquam generis nobilitatem, utpote in Achillina familia nato; ac præstantem corporis formam dedit, quæ nimirum ejus esset domicilium ingenii, cujus illa magnitudini non certos unius scientiæ terminos, quos intra suas vires exerceret, præscripsisset, sed cui omnium disciplinarum, omnium facultatum, omnium elegantissimarum artium campum aperuisset, in quo illa vagari, excurrere, atque illa sui ipsius

ipſius documenta poſſet edere, in quibus hæc ætas voces, plauſus, clamores extolleret, omnisque poſteritatis memoria admiraretur, exclamaret, horreret. Et ſane non minus exigua ejus virtuti ſcena debebatur, quæ, non uni tantum civitati, non uni provinciæ, ſed univerſo terrarum orbi, futura ſpectaculo eſſet. Itaque omnes in eum, tanquam unum in locum, rerum plurimarum ſcientiæ convenerunt. Nam philoſophus fuit ſummus, Theologus maximus, Mathematicus excellens, Iuriſconſultus eximius, orator eloquentiſſimus, Poëta propemodum ſingularis: grandis erat verbis, immenſus translatis, nobilis ſententiis, quæ acres vibranteſque, in audientium ſenſus invaderent, irrumperent, penetrarent, in eiſque aculeos quaſi quoſdam relinquerent; quibus rebus fiebat, ut vix ab eo vel epiſtola aliqua, vel rhythmus, vel epigramma, vel quiſpiam alius illuſtris ingenii ſui fœtus exiſſet, cum ab iis, qui circa ipſum tanquam in inſidiis erant, ex occulto intercipiebatur, deſcribebatur, ac non parum ſæpe typis impreſſum, pluribus exemplis, per totam Italiam atque alius etiam orbis terræ partes, divulgabatur: & interdum accidit, ut antea ille, partus ſuos in hominum manus veniſſe, in eiſque tanquam adoleviſſe conſpiceret, quam a ſe fuiſſe editos intelligeret. Et quo nihil eorum, quæ ſcripſerat, felicitati deeſſet, benigna præ ceteris illi parens natura ſummam addidit canoræ vocis ſuavitatem, gratiſſimum in pronunciando ſonum, plenum artis geſtum, motum corporis cum ſummo lepore ac venuſtate conjunctum; multæ præterea erant in homine facetiæ, multus in jocando lepos, multa in laceſſendo reſpondendoque argutiæ. Atque ne totum literarum ſtudiis addictum, avocaſſe eum a negociis atque a Rep. videretur, hæc quoque in re, ſicut in ceteris benigna natura magnam illi in rebus agendis dexteritatem, ſolertiam, prudentiamque conceſſit, quæ Card. Ludoviſio, poſtea Gregorio XV, magno uſui fuit. Adeo ut illa, dona eidem ſua, ut diximus, non modio, neque trimodio, ſed ipſo, ut ajunt, horreo demenſa tradiderit, nec, ſi ipſe fingere vellet, plura bona reminiſci, vel majora poſſet conſequi, quam quæ ſibi natura tribuerat. Fortuna etiam ipſa (quamvis

vis ejus meritis angustius) non illi parum indulsit; nam tantum opum ac divitiarum attribuit, non solum quantum esset Philosopho satis, qui parvo contentus, in re tenuissima vivit, sed etiam ut suis facultatibus posset familiæ splendorem, suique ipsius dignitatem, sine cujusquam ope, tueri; tum villam magnificentissimam dedit, Saxo nomine, quæ passuum millibus non amplius decem Bononia abest, in quam, ubi Vrbis odium ipsum ceperat, secederet, ubi secum, ut dicitur, viveret, ubi se literis abderet; postremo, quasi auctarium quoddam, singulis annis millena & quingentena aureorum addidit, quæ Iuris Civilis in Parmensi gymnasio, docendi gratia, Principis Farnesii liberalitate capiebat; qui honor in ea civitate habitus est ante ipsum nemini. Sed quod divitiis omnibus præstat, ad Principum virorum amicitiam, ita facilem illi aditum aperuit, ut cunctis Italiæ proceribus, nihil esset eo carius, nihil jucundius, & Vrbanus VIII in primis, qui dum Card. sedis Apostolicæ Legati nomine, Bononiam administrabat, suavissimis ejus moribus captus, in oculis eum semper habuerat, factus Pont. quoties usus venerat, officiis beneficiisque omnibus exornavit. Suos rhythmos edidit, unam ad Augustinum Mascardum epistolam Italice, plures Latinas ad Iacobum Gaufridum V. C. dedit. Scripsit etiam ad Vrbanum VIII Vindicias, secundum fidem eorum, qui Andream Casalem mortuum asserebant, in cujus nomen quidam, qui Romæ in vinculis habebatur, ut ipsi dicebant, invaserat. Nobilissimum Epigramma Hetruscum Christianissimi Regis nomini inscriptum emisit, quo illi Casalis arcem ex prima illa obsidione liberatam gratulatur; quod Epigramma, a quodam Hispanarum partium non insulso poëta in ridiculum conversum, satis facete illuditur. Sed accidit, ut illud dignum immortalitate ingenium, quemadmodum hæc ætas coluit, dilexit, admirata est, ita etiam, quod minime volebat, defleret extinctum, sexto & sexagesimo ætatis ejusdem anno, lethali morbo sublatum.

F. ALE-

F. ALEXANDER VBALDINVS.

MAgnum apud omnes F. Alexandro Vbaldino, ex Carmelitarum discalceatorum familia, doctæ eruditæque sanctitatis nomen obtinuit Manualis pauperum liber; in quo signa & notas ostendit sex & triginta locorum, quibus cognitis ille sibi ipse, qui vellet, thesaurus ad locupletandum spiritualibus divitiis animum foderet, & id, quod vellet, parvulo labore, nullo errore inveniret. Sed eum, magis quam aliud quodvis præstantis ingenii opus, præclarum illud facinus in cælum evexit, quo edito æternam nominis sui memoriam reddidit; nam cum Leoni XI Pont. Max. arctissimo cognationis nexu implicaretur, quod esset matri suæ avunculus, tamen eo ipso die, quo renunciatus est Pontifex, regali plane contumacia, a magnitudine, humana omnia despicientis animi ducta, calcatis honoribus, qui se ipsi ultro offerebant, fastigiumque submittebant, quos alii per ignes ferrumque petunt, intra Carmelitæ Discalceatorum fratrum familiæ claustra se abdidit; ad quæ, quia cuncti opibus & honoribus obstructi sunt aditus, spem illis omnem, ad se persequendum adimeret. Nec exiguam a Deo, ex spretis atque contemptis ejus inanis gloriæ splendoribus, qui vix illuxerunt cum extincti sunt, mercedem accepit. Nam cum adeo tenui esset valetudine, stomachoque adeo imbecillo, ut ab eduliis fere omnibus perniciem damnumque metueret, corpore adeo delicato, ut quodvis illi stratum, quantumvis molle, duriusculum videretur, frigoris vero adeo impatiens, ut æstate media ternis tibialibus crura contegeret; tantum illi Deus robur, & firmitudinem valetudinis addidit, ut nullum cibi genus respueret, quo socii uterentur, & in culcitra stramentitia, tanquam in pluma cubaret, ac frigidissimo anni tempore nudis pedibus cruribusque incederet: &, quod videri mirabilius debeat, qui jam jam mori videbatur, in hoc tam duro vitæ genere quinque & viginti confecit annos; longius etiam processurus ætate, nisi pœnis ultro susceptis, nimium in se ipse asper ac sæviens, cecidisset in cursu.

G 4 MAR-

MARCELLVS MACEDONIVS.

REgia Neapolis civitas, inclitum Parthenopes Sirenis sepulcrum, optimos semper poëtas tanquam Sirenes edidit, suavissimo cantu aëra mulcentes, ut ab ea, quam inclusam visceribus continet, velut ex semine, tot suave canentium fœtus prodiisse videantur. Atque, ut de Ioviano Pontano, de Actio Sincero, de Victoria Columna, de Bernardino Rota, Aloysio Transillo, Io. Baptista Marino, aliisque taceam; nuper Marcellum Macedonium, admirabili fœcunditatis laude produxit; qui suavissimo vocis suæ cantu, hominum aures mire detinuit. Ac primo, sicut nova Siren, hoc rerum humanarum mari navigantibus infesta, visus est illecebrosis mortalium amorum carminibus velle eos perdere, & in profundum æternæ mortis abstrahere. Sed postea divina ope ab hujus procellosi, tumidi, & importuosi pelagi fluctibus abreptus, & tutum in locum adductus, pleniore plectro, ac suaviori voce, Superum laudibus referendis eos, quos antea instituerat perdere, in salutis portum est conatus arripere. Adolescens elegantissimis rhythmis, & omni lepore ac suavitate refertis, suos amores, sive veros sive fictos, cecinit; quos deinde rhythmos quidam vel cognatus vel amicus edidit, eosdemque legendi potestatem omnibus fecit; deinde ab his inanissimis mortalium & in cinerem abeuntium formarum cupiditatibus, ac veros rerum cælestium amores animum transferens, arctissimum Carmelitæ Discalceatorum familiæ institutum amplexus est; ibique D. Catharinæ, virginitatis ac martyrii laudibus insignis, res gestas, nobilissimo poëmate prosecutus est. Verum, cum in eo ordine aliquot annos magna sanctitatis cum laude vixisset, & concionator non in postremis, corruptos hominum mores ad sanitatem revocare, eloquenti & caritatis studio incensa oratione, non destitisset, nondum senex, Deo, cui dicaverat, animam reddidit; magna eruditis viris, & poëticæ facultatis studiosis, ejus poëmatis inspiciundi cupiditate relicta; cui religiosorum suorum claustris, tan-

quam

quam tenebris clauso, nondum communis usuram lucis contigit capere.

F. ANGELVS ROCCA.

SAcrarium Apostolicum, abhinc trecentis & eo amplius annis, Augustinianæ Eremitarum familiæ custodiæ tutelæque commissum, multos præstantes viros habuit, qui eum locum splendore doctrinæ illustrarunt. Sed ex his ætate nostra F. Angelus Rocca Camers enituit clarius quam ceteri, vel saltem dignus est præ ceteris, cui sacrarium illud, ejusque recte administrandi ratio, immortales gratias agat: neminem enim video, cui illam plus debere sit æquum: solus enim omnia, quæ ad eam provinciam, cui tot annos magna cum laude præfuit, pertinent, Chronhistoria sua docte eleganterque prosequitur. Fuit antiqua plane probitate senex, & in tenui pusilloque corpore, salis plurimum inerat: nam multiplici rerum scientia pectus compleverat; Philosophiæ ac Theologiæ adeo erat peritus, ut anteaquam ad provinciam illam capessendam accederet, a Priore generali sui ordinis, eas facultates docendi munus, magistri nomine, acceperit: tum Græcis & Latinis doctus, omnem tenebat Ecclesiasticæ antiquitatis eruditionem, humanioribus vero literis elegantius erat excultus, quam cucullati homines plerumque solent; a quibus, cum nullam fere huic studio operam tribuant, eloquentiæ laus non admodum expectatur. Nam & observationes in sex libros elegantiarum Laurentii Vallæ, & observationes Latinæ linguæ, de occultis ejusdem locis, ac de scribendis epistolis, libros edidit. Sed sua illi fortuna, in Æde Pontificia, habitationem Aldo Manutio proximam tribuit, qui cum, ea quæ vellet, jure vicinitatis communicare, multumque ab eo auxilii referre posset. Ob quas virtutes a Clemente VIII Tagastensem episcopatum obtinuit; qui honor, præter nomen, nihil omnino administrationis ac solicitudinis habet: ea enim civitas, D. Augustini natalibus inclita, a Turcarum Tyranno, dominatu regio premitur. Multa scripsit, quorum numerus, quoniam ab eo in ultima

sua Chronhistoria recensetur, hunc nobis ea referendi laborem adimere voluisse videtur. Illud vero est, de quo, non unius tantum Urbis cives, sed omnium nationum populi, maximo se illi beneficio obstricti esse fateantur; ea nimirum insignis bibliotheca, quam omnium cujusvis professionis librorum copia refertissimam, cunctis, qui vellent adire, in cœnobio S. Augustini, Romæ, Angelica nomine appellatam, aperuit, in quo egregium suum erga bonas artes, erga cupidos literarum, studium & voluntatem expressit. Demum quoniam nihil est hic æternum, decurso ætatis suæ spacio, ex sacrario Pontificio, ad cælestem Ierusalem, ut ejus merita persuadent, evolavit.

PETRUS LA-SENA.

OMnia fere nobis, a transalpinis regionibus missa, bonorum ingeniorum semina, & in Italiæ quasi solo, nec inculto, nec derelicto, (ut est multorum opinio,) sata, non minus uberes ex se fructus extulerunt, quam fruges in optimam segetem datæ. Cujus rei testes locupletissimi plures possent adduci, qui ex Germania, vel ex Gallia, tum orti, tum oriundi, in fertilissimo Italiæ quasi agro, sub ejusque felicissimo cælo, benignis semper astris ad ingenii fructuum procreationem influenti, tanquam consiti, a stirpis suæ bono non degeneraverunt. Sed in primis ejus rei fidem facit Petrus A L'a-Sena; qui a patre ex Nortmannia profecto, Neapoli procreatus, in eam arboris proceritatem excrevit, ut semper viridantibus & fructuum ubertate incurvescentibus ramis, pulcerrimo Italiæ campo hilaritatem decusque maximum afferat. Hic, ad mitiores Musas a natura propensus, a Grammaticorum scholis, cum vix ex ephebis excessisset, compulsus est a parentibus in horridas Iurisconsultorum, barbare inquinateque loquentium, regiones: sed quoniam feliciores plantæ, quovis eas transferas, ibi radices agunt, & uberes fructus reddunt, eos in jure civili profectus fecerat, ut omnium, qui essent Neapoli, consultissimus haberetur. Sed, quod est admirabile, singulari ingenui atque ab omnis

omnis lucri cupiditate abhorrentis animi exemplo iis, qui, a litibus oppugnati, in patrocinii sui tutelam præsidiumque confugissent, non mercenariam, sed gratuitam operam dabat. Sed non parum sæpe fiebat, ut a naturali sua inclinatione, ab illa studiorum horriditate & a strepitu fori abreptus, ad humanissimas & elegantissimas literas, tanquam in hortum aliquem abstraheretur. Itaque, ut aliquis suæ, in earum amœnitatem, tanquam secessionis, fructus constaret; doctissimum Homeri Nepenthis, seu de abluendo luctu, omnis politioris humanitatis reconditiorisque doctrinæ copia refertum librum, composuit. Sed parentibus fato suo functis, liberius ac frequentius cœpit in his politissimis studiis versari, ex eisque, una cum doctissimis Neapolitanorum, voluptatem suam explere: & quoniam Græcæ linguæ non plus attigerat, quam quantum prima illa puerili institutione potuisset, se Petro Arcudio in disciplinam dedit; a quo ad ejus sermonis capita fontesque perductus est, unde, quantum docto in primis homini satis esset, hauriret. Nullius pene sermonis fuit expers: nam plurium notitia linguarum, universæ eruditionis oram omnem lustrare cupienti, utilius nihil esse dignoscitur. Sed jam pene ab agendis causis defessus, infirma præsertim valetudine, ægre, ob amorem patriæ dulcemque amicorum consuetudinem, persuasus est a Io. Iacobo Buccardo Parisiensi, quem Neapoli commorantem, eorundem communione studiorum, sibi devinxerat, ut a judiciis causisque discederet, & in Romanum ocium tranquillitatemque descenderet. At Romæ cum esset, & in Vaticanis ædibus, ab eodem Buccardo hospitio acceptus, habitaret, ita intemperanter se dare literis cœpit, ut multa somno, ciboque, quem semel in die parce admodum tenuiterque capiebat, ac cæteris naturæ necessitatibus denegaret: quocirca brevi, semianni unius spatio, multa opera Neapoli, ab ipso egregie inchoata, & a Buccardo, qui ejus vitam scripsit, enumerata, absolvit perfecitque. Fuit autem in eo non solum ingenium, sed oratorium etiam ingenium, quod duobus orationibus ostendit, habitis ab eo in Academia Græca Basiliana; in quibus disputationem a Criticis de lin-

lingua Hellenistica commotam, in utramque partem differendo, docte copiosequ tractavit. At quisnam ornatus, qui flos, quod lumen orationis, in suo Cleombroto desideratur? Verum infinitum scribendi cogitandique laborem, cui se subjecerat, cum ferre non posset, ejus magnitudine oppressus, interiit, in ipso adhuc ætatis flore: nondum enim quadragesimum sextum annum excesserat moriens. Singulis amicis suis singula Cleombroti a se compositi exempla testamento legavit, Francisco Card. Barberino, suas de lingua Hellenistica orationes, Francisco Mariæ Brancatio Card. Historiam Gynicam nondum impressam.

HIERONYMVS MORICVCIVS.

IAnum fortunæ, quod est urbs in litore Adriatici maris posita, Hieronymi Moricucii patria fuit: verum illa, cui veterum superstitio, opes, honores, ac divitias, quibus vellet, dandi vel adimendi jus potestatemque concesserat; civem suum, quantumvis egregium, non hilari benignoque vultu respexit. Nam, cum ætatem, ambitionis labore districtam, in Romanæ aulæ tanquam area, ad aucupium honorum divitiarumque, totam contrivisset, nihil adeptus est aliud, nisi ut Vlpiano Vlpio, Novocomensi Episcopo, magnis muneribus functo, ac postremo Gregorii XV Datario in scribendis epistolis operam navaret. Nec mirum vel novum videri hoc debeat: nam illa oculis, ut est in fabulis, capta, dignos præteriit, & indignos plerumque, bonorum præmiis & honoribus afficit. Sed Deus æquum & patientem illi animum tribuit, quem adversæ suæ fortunæ objiceret. Nam simile monstri videtur, quod Vlpiani, optimi quidem sanctissimique viri, sed impotentis, iracundi, & truculenti animi, mores, usque ad ejus excessum, pati potuerit. Fuit Hieronymus vir gravis, prudens, atque optimis disciplinis excultus, re ad bene dicendum scribendumque necessaria, quod scribendi recte sapere est principium & fons: scribebat, in utraque lingua, tum soluta oratione, tum versibus, elegantissime. Neque quamcunque sibi oblatam ingenii augendi

gendi & declarandi occasionem non avide semper arripuit. Nam frequens in eruditorum & illustrium virorum cœtibus & in Academiis fuit; ac frequentior in iis, in quibus ingenii sui lumen clarius posset enitescere: ut apud Cardinalem Saubaudiæ, & apud Gregorium XV, qui novo sæculi nostri exemplo, Vaticanam Academiam instituerat; quo Pontifice audiente, magno Cardinalium, ac doctorum hominum concursu, una cum Nicolao Riccardio, cognomento Monstro, & Claudio Achillino, aliisque doctissimis viris, verba fecit, & rhythmos atque epigrammata, quæ scripserat, recitavit: neque tot suis lucubrationibus, quas, iis in areis ad opum honorumque aucupium tanquam cibum offuderat, quidquam capere potuit præter infirmissimam corporis valetudinem; cum qua in patriam cum se recepisset, acerbissimis podagræ doloribus excruciatus interiit; nullis adhuc editis libris, quibus ingenii ejusdem memoria in posterum tempus propagetur.

BALTHASAR ANSIDEVS.

QVantam vim habeat virtus, & quantos amores sui excitare in hominum animis valeat, non multis abhinc annis in Balthásare Ansideo factum est palam. Hic Perusii nobili genere natus, ac, tum parentum diligentia, tum magis sua sponte, in omni genere honestarum artium, ac præsertim Græcis & Latinis literis institutus, non solum oratione, jucundissimæque suæ consuetudinis dulcedine, verum etiam aspectu ipso, ubi mire probitas elucebat, potuit cunctos adigere, ut se diligerent. Mira fuit in eo Latini sermonis puritas & elegantia, quæque, non longo intervallo, proxime ad eruditam Ciceronis ætatem accederet; quæ puritas, vitiosa atque corrupta sæculi nostri consuetudine, falsa atque inani altæ atque exaggeratæ orationis opinione, depravata, tanquam humilis & abjecta, negligitur. Multas ad amicos epistolas dedit, cultu atque nitore refertas, in his ad Robertum Vbaldinum, tunc adolescentem, summo ingenio summaque spe præditum, ac postea Cardinalem, & ad Vgonem ejus fratrem, doctrinæ

ac

ac sanctitatis laude præclarum, nunc Vaticanæ Apostolorum principis Basilicæ Archidiaconum, & Canonicum. Causa conjungendæ cum eis amicitiæ fuit egregia in illis fratribus ad virtutem indoles, & nusquam voluptatum illecebris interruptus ad laudem cursus: hi tunc Perusii, una cum ipsorum parente, qui Quæstorium pro Camera Apostolica Vmbriæ Provinciæ munus administrabat, commorabantur, quo tempore in Perusino gymnasio humaniores ille literas docebat; quo facilius potuit adolescentium, eloquentiæ studio flagrantium, benevolentiam ad se attrahere. Sed quoniam erudita vox ejus, erat frequentioris conventus auribus digna, ea Perusium Pisæ spoliarunt, ut gymnasium suum ornarent. Sed tantum illis bonum, diuturnum esse non licuit. Nam a Paulo V evocatus est Romam, ac bibliothecæ Vaticanæ custos datus; ad quod officium nemo solet admitti, nisi doctrina, fide, & industria cognita. Neque ultimum in Pontificis gratia locum tenuit, sed propemodum summum. Nam quoties Pontifex in senatu Cardinalium vel sententias rogaturus esset, vel verba facturus, quæ cogitaverat, familiarissime cum eo communicabat, atque, ob suavissimos ejus mores, elegantiamque doctrinæ, plures sæpe horas traducebat, neque in Cardinalium comitiis ejus rationem non habuisset, si longior illi vita suppeditasset; sed præproperus ejus exitus tantum illi honorem ademit.

MVTIVS RICERIVS.

VEram atque germanam Virgilii poëtarum principis imitandi rationem assecutus esse videtur Mutius Ricerius Camers, in suis omnibus poëmatibus, sed in illis duobus maxime, quorum uno Tusculanæ Aldobrandinorum villæ magnificentiam, & adjecta illi nemora, porticus, columnas, infinitamque propemodum vim aquæ, ad irrigandum eum locum, ex apertis montium visceribus ductam, decidentes vastis e fontibus imbres, vel amnes potius, aliaque ludentis ibidem artis miracula, docte eleganterque prosequitur; altero, quo Pauli V Pont. Max. sacellum, in Æde B. M. V. ad Nives in

in Exquiliis positæ, ædificatum, & intectos in eo preciosiorum marmorum crustis parietes, refertos extantibus ac prominentibus, auroque interlitis, figuris, fornices, signa, columnas, aurum, argentum, aliaque regalis opulentiæ ornamenta, elegantissimis versibus, tanquam coloribus depicta, penę oculis subjicit. Sed illi scribendi laborem diutius ferre non placuit. Quod si studio & exercitatione, quod erat in ipso naturale bonum, alere atque augere voluisset, profecto ad summam poëticæ facultatis laudem pervenisset. Sed quantum detraxit ex studio, tantum amisit ex gloria. Omnia fere scripsit antea quam fortuna ipsi arridente, ad opes perveniret: sed postea collegii Cardinalium a secretis munus adeptus, ac divitiis locupletatus, omne poësis studium & cogitationem abjecit, atque in rerum abundantia voluit beatius, ut ipse putabat, vivere, crebroque proverbii loco illud usurpabat, avem pinguem non solere canere. Magna ille, in omni sermone, libertate atque licentia uti; quæ reprehensione digna essent, in odium vituperationemque vocare, nemini parcere, omnia sua consilia, omnes intimas animi cogitationes cuivis aperire, atque in propatulo habere; quæ ab aulæ ambitione, & ab his moribus, quibus nunc utimur, maxime aliena existimantur: nam falsos fieri, atque aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, summa prudentia ducitur. Erat in primis facetus ac dicax; sed quoniam nulla temporis habita ratione, nulla dicacitatis moderatione ac temperantia adhibita, faceti ac dicacis hominis famam quærebat, in scurrilitatis vitium non parum sæpe delabebatur. Cum his igitur moribus, nullum honoris gradum ascendit altiorem eo, in quo primus ille fortunæ favor eum collocaverat; in quo demum vita defecit.

AVGV-

AVGVSTINVS MASCARDVS.

NOn minimum, ſine dubio, Auguſtino Maſcardo ornamentum, ac decus, vetus apud Ligures proſapia, ex qua ortus eſt, attulit: ſed longe illi majus nomen atque ſplendorem, ingenii claritas & nobilitas peperit, qua non eam modo Liguſtici maris oram, unde prodiit, ſed Italiam, Romam, atque adeo ſæculum noſtrum nova luce complevit. Fuit egregie ad humaniores literas natus atque etiam factus a natura; ad quas, ſtatim a puero, ſuum omne ſtudium, induſtriam, atque operam contulit, in eiſque perfectus evaſit. Neque tamen alias graviores diſciplinas non attigit, ſed, quamdiu in Societate Jeſu vixit, iis pectus explevit, ab eiſque magnam ſibi, ad dicendi copiam, ſuppellectilem comparavit: quo fit, ut ejus ſcripta non magis verborum quam rerum numero abundare videantur. Verum omnium in ſe oculos Hetruſci ſermonis in primis novitate convertit, qui ſermo ita ejus eſt proprius, ut, quemadmodum a Marco Tullio Tullianum, a Saluſtio Saluſtianum, dicendi genus eſt ortum, ita etiam a peculiari ipſius dicendi ſcribendique ratione, novum genus, Maſcardio nomine, deducatur. Etenim in ejus orationem omnes virtutes conveniunt, quæ cadere in ſummam ac perfectam eloquentiam poſſunt: eſt enim translatis frequens, ſententiis celebris, verborum luminibus ſplendida, compoſitione ſuavis, majeſtate ſublimis, ſine arrogantia gravis, ſine vanitatis ſuſpicione, elata, ſine cincinnis, fucoque puerili, ornata atque compoſita. Hoc igitur, tot tantiſque laudibus referto, orationis genere, doctiſſimos in Tabulam Cebetis commentarios edidit; orationes, ſermoneſque ſcripſit, quæ omnia unico volumine comprehenſa continentur; compoſuit librum de arte hiſtorica, ea eruditione ac rerum maximarum copia ac varietate completum redundantemque, ut omnes ſuperiores, qui in hoc genere elaborarunt, ſuperaſſe cenſeatur. Aloyſii vero Fliſci conjuratio, ſimul ut aſpecta, eo clamore & plauſu excepta eſt, ut ſtatim in Gallicum Hiſpanicumque ſermonem converſa, ad exteras nationes com-

commearit, quo videlicet ii, qui nulla nobiscum linguæ ejusdem societate continentur, in tam eruditi operis communionem partemque veniret. Atque utinam, sicut ingenii forma in ejus scriptis elucet, ita etiam actionis ejusdem dignitas exprimi potuisset: nihil profecto esset, quod majores sui amores excitaret; tantum in ea præstabat. Ita enim eam, motu corporis, gestu, vultu, vocis moderatione, ac varietate moderabatur, ut a Roscii vel Æsopi schola, non ab eorum disciplina profectus videretur, qui omnia, non tam agere, quam canere consueverunt. Quibus laudibus ita Urbano VIII Pont. Max. in probandis hominum ingeniis moroso atque difficili, satis fecit, ut inter cubicularios honorarios eum semper habuerit, atque annuo quingentorum aureorum stipendio donaverit, ut in gymnasio Rom. rectum illud ad eloquentiam iter, in quo ipse tanta cum laude versatus esset, aperiret. Atque utinam secundiore prudentiæ ac sanctitatis fama fuisset, nec in hac parte vitæ, ut fama est, claudicasset; profecto ad egregias ejus virtutes hæc quoque præstantissimā omnium laus accessisset. Sed homo in re familiari negligens, profusus, nulla pecuniæ accessione suppeditare suis sumptibus poterat; in suis nummis nunquam, in ære alieno semper; &, quod mireris magis, nunquam certis ac conductis ædibus habitavit, sed incertis atque precariis. Postremo tabe confectus, sua in patria non ita longum vitæ suæ cursum confecit.

IO. ANTONIVS BOVIVS.

Sanctissimum amicitiæ vinculum, quo nullum in terris arctius inveniri potest, tunc inexplicabili nodo connectitur, cum illud non ambitio, non cupiditas, non quæstus, sed virtutis amor adstrinxit. Nullum enim gluten ad amicitias conglutinandas tenacius existit, quam eorundem voluntas societasque studiorum. Nihil est enim virtute pulcrius, nihil amabilius, nihil quod magis ad conjungendos animos valeat. Hæc autem cum in F. Io. Antonio Bovio, Carmelita, admirabilis existeret; ita Aloysii Card. Capponi ad se animum rapuit, ut

eo amicitiæ nexu se illi implicaret, quem, nisi mors, nemo dirimeret. Verum quantæ in Jo. Antonio literæ, quanta vis doctrinæ, quanta disciplinarum omnium notitia inesset, ut cetera alia argumenta desiderarentur, illud solum, hæc prope infinita in eo extitisse, convinceret, quod in tanta doctorum hominum copia, atque ad omnium doctrinarum gloriam efflorescentium, Romæ præsertim, Card. Capponus, quem diximus, acerrimo vir judicio, singulari prudentia, admirabili ingenio, & incredibili naturæ indole ad liberalissimarum artium studia propensus eum potissimum elegerit, ut ipso duce atque magistro ad ipsos Philosophiæ & Theologiæ fontes, quorum antea rivulos sectatus fuerat, perveniret, ibique discendi sitim, qua erat incensus, expleret: nec iis fontibus inventis, ab ejus consuetudine divelli, quoad vixit, potuit; tanquam si illa scientiarum flumina, non a magistris atque inventoribus earum, sed ab illius pectore, tanquam a capite fluerent, ac proinde metueret, ne ab illo divulsus, neque doctissimis illius sermonibus irrigatus, quidquid in ipso facultatis esset, aresceret. Quo sapientissimi viri de ejus virtute judicio magis quam aliqua alia doctrinæ fama, clarus exstitit. Quantum autem illi Paulus V. tribueret, quantumque in ejus ingenii viribus, Christianæ Reip. præsidii constitutum esse arbitraretur, in dubiis illis ac difficillimis sedis Apostolicæ temporibus declaravit; cum videlicet a sceleratis hominibus, libris editis tanquam mucronibus Ecclesiasticæ libertatis auctoritatisque jugulum peteretur; cumque ab iis, qui quasi tutores fideles ac boni esse deberent, tanquam a nefariis prædonibus, ejus diriperetur patrimonium dignitatis. Nam cum propugnatores acres ac fortes multi non deessent, eo in primis defensore usus est, atque unum præsertim ex omnibus elegit, quem contra adversariorum conatus opponeret, quemque in armatas illorum acies immitteret, qui fortiter eorum tela exciperet, repelleret, retunderet. Neque tantam de se Pontificis spem & opinionem fefellit. Etenim duobus libris, magno studio magnoque labore confectis, tanquam armis instructus, singulare cum illo certamen inivit, qui eorum, qui Pontificiam auctoritatem

tem oppugnabant, insaniæ, non se comitem adjunxerat, sed ducem præbuerat, quique eorum, qui magno invidiæ incendio excitato, cuncta delere cupiebant, tanquam faces prætulerat. Sed paulo ante, singulare suæ doctrinæ specimen ediderat; tum nimirum, cum grave de divinæ gratiæ auxiliis, Dominicanos inter & Soc. Iesu patres, orta lis esset: nam cum Clementis VIII. voluntas propenso in Dominicanorum sententiam animo ferri videretur; magis quam quisquam alius, ejus properantis cursum retinuit, multisque rationibus inhibuit, ne pro Dominicanis sententiam diceret. Verum, tot inter doctrinarum radios, non minus probitatis ejusdem lumen enituit. Nam de Disciplina regulari librum, Hispanice compositum, in Italicum sermonem transtulit, summo animi dimissionis exemplo; quod cum in acri atque attenta rerum maximarum meditatione defixus hæreret, ad hanc humilitatem descenderet, quo iis rem gratam faceret, qui arctioris vitæ studio flagrarent. At tanta vis virtutis major erat, quam ut unius religiosæ familiæ claustra tenerent: quocirca Paulus V. latiorem illi campum, in quo excurrere posset, aperuit; hoc est, Molphetanæ Ecclesiæ gubernacula tradidit; quæ Card. Capponi, a cujus nutu pendebat, consilio & auctoritate accepit; atque in assidua ovium suarum vigilia manens, tanquam pastor bonus occubuit.

BALDVS CATANEVS.

BAldus Cataneus, Aretinus, dignus plane fuit, qui Athenis, Socratis & Platonis ætate, nasceretur ac viveret. Nam Socratico pene more, adolescentes amabat, in quibus ingenii ac virtutis igniculi eniteret, eosque præsertim, qui ad poesis Etruscæ amorem ferrentur; eorum ille studia acrius inflammabat, & currentibus calcaria, ut dicitur, addebat. Erat ipse eleganti ingenio, & ad amœniora studia accommodato; in jaciendis vero ridiculis argutisque dictis ita prompto ac celeri, ut dictum, prius emissum, quam ut excogitari ab eo potuisset, intelligeres. Adolescens & juvenis, animi causa, & cum æqualibus suis, ingenuis ac liberis hominibus, in

agendis comœdiis multum operæ posuit; ac bajuli Vallis Tellinæ partes fere illi semper demandabantur; quas ita bajulis moribus, vultu, gestu, oratione imitandis exequebatur, ut cachinnos spectantium commoveret: accedebat, quod cum scapulis paulo extantibus ac prominentibus esset, ad ferenda onera factus videbatur; & quia testudinis formam referebant, festis Bacchanalibus, cum per urbem personatus incederet, joci causâ interrogatus a quodam, quanti testudo? crepitu magno edito, vide, inquit, primum, num tibi placeat sonus. Florebant tum temporis Romæ, ad poëticæ facultatis laudem hi, atque una fere omnes ætate, Aurelius Ursus, Porphyrius Felicianus, eques, Alexander Guarnellus, Antonius Ongarus, Nicolaus Angelius, Antonius Decius Hortinus, Christophorus Castellettus, atque idem Baldus, qui arcto amicitiæ vinculo inter se constricti, mutuam in suis negociis sibi invicem operam dabant. Sed Baldo cum Christophoro Castelletto magis res erat, quo cum, Bacchanalibus una cum opifice quodam gladiorum, humili quidem genere sed ingenio alto generosoque, Stoppino cognomine, qui hominis Galli, Gallico accentu male Italice loquentis, ad risum movendum, partes agebat, personatus, ad fidium cantum elegantes mulierum formas extemporariis versibus laudabat. Sed cum ætatis calor deferbuisset, omissis nugis, sacris initiatus est, & a Sixto V, Alexandro Card. Montalto, neptis suæ filio, magister datus; a quo brevi, pingui sacerdotio, in Basilica a Damaso Pont. D. Laurentio dicata, locupletatus est. Habuit atque edidit Latini Ursini, celebris copiarum ducis, & Sixti V funebres laudationes Latinas, & alteram ad Cardinales orationem, cum Urbano VII mortuo, novi Pont. eligendi causa conclave ingrederentur. Inchoaverat Etrusco carmine Argonauticam, ac se Torquatum Tassum carminis majestate elegantiaque superaturum esse jactabat: sed tam elegans poëma, quoniam non facile se labori tradebat, morte interceptus, non potuit absolvere.

LATI-

LATINVS DONIVS.

Latinus Donius, Romæ natus, sed ex Æmilia oriundus, aliquem, nec postremum in poëtis nostri sæculi locum ac numerum tenuit. Multa edidit, tum Latinis tum Etruscis versibus scripta pure, dilucide, docte eleganterque, nullisque sententiarum ineptiis claudicantia; quæ dispersa ac dissipata, vix inveniuntur: quod si, amici vel eruditi cujuspiam opera, collecta, & in unum volumen illigata conspicerentur, unita atque composita quam sejuncta atque disjuncta validius atque robustius temporis injuriis obsisterent, & longius in ævum, nominis illius famam propagarent. Verum majore, dum vixit, in admiratione & laude fuisset, si vita, si mores, si deformitas denique, non omnem commendationem ingenii evertisset. Etenim in pusillulum, turpiculum, distortulum illud corpus (nam erat insigni gibbo deforme) multas natura virtutes, vitiis admistas, tanquam in enorme maleque tornatum vasculum infuderat. Ac bene cum eo actum fuisset, si non a vitiis virtutes superatæ discessissent. Fuit enim procax, obscœnus; ac turpibus versiculis crebro scribendis divulgandisque, mores suos fateri videbatur; præterea dicax, argutus, mordax, nec in verbis tantum, verum etiam in scriptis. Sed dicacitatis suæ pœnas dedit: nam cum vir probus ex clara Religiosorum hominum familia ab eo, quem domi, cui ipse præerat, finibus, ob suspicionem, quod cujusdam pudicitiam tentaret, quantum posset, arceret, insigniter vulneratus fuisset in facie; tantum miseri hominis calamitatem libellis, domi ejusdem parietis affixis, est conatus illudere: quamobrem, hoc crimine comprehensus, in vincula ductus est, atque diuturni carceris squalore ac tenebris maceratus, vix ultimi supplicii pœnam evasit; itaque custodia dimissus, dedit operam, ut in aliquem cucullatorum ordinem exciperetur, ex iis, qui in victu, vestitu, ac ceteris in rebus, largius liberaliusque se tractant: sed ab omnibus, quamvis egregius, ob insignem corporis turpitudinem exclusus est ac rejectus. Sed cum in ea calamitate, qua fuerat perfunctus, facultatibus

fere omnibus profusis, incertis sedibus vagaretur, ob ingenii præstantiam non tenui stipendio conducta est ejus opera ad scribendas epistolas, ab Honuphrio Sanctacrucio V.C. qui per eos dies celebrem domi suæ eruditorum hominum Academiam instituerat, eumque semper ad manum habuit: infelicibus sane auspiciis: nam eo, sive sua voluntate, sive coacto, arcana Domini sui prodente, magna tanto incendio, quo ille miser conflagravit, alimenta suppeditavisse narratur. Sed rursus vagum, ac suarum rerum incertum Janua excepit, perspectoque hominis ingenio, in honore habuit; & fato functum magnifico funere, corona, ex duabus virgulis lauri facta redimitum, qui honor poëtis deberi existimatur, extulit.

ALEXANDER GVARNELLVS.

IN hoc rursus manifeste apparet, Romani generis hominibus neque oratorium neque poëticum ingenium deesse, ab eisque omnia summa expectari, si tanquam ager fertilis, studio & exercitatione excolantur. Nam Alexander Guarnellus, a Duce Sabaudiæ, honorariæ sanctorum Mauritii & Lazari militiæ insignibus decoratus, mirificam habuit, ad eloquentiam & ad poësim maxime, indolem; quod licet ex iis versibus intelligere, quos Etrusco sermone composuit; quibus ea inest elegantia cultusque, ut in suo genere proxime ad veterum Latinorum poëtarum laudem videantur accedere. Neque tam elegans hominis virtus Alexandrum Card. Farnesium, Pauli III Pont. Max. nepotem latuit; qui ejus semper in scribendis epistolis usus est opera; quod maximo omnibus argumento esse debet, quantum ille ingenii bonitate præstiterit. Etenim vir ille princeps, omnium ætatis suæ sapientissimus, qui in eo erat omni studio & cogitatione intentus, ut domi suæ delibatos ingeniorum flores haberet; munera illa, quæ industriæ debentur, nunquam gratiæ tribuit, neque propterea minus idoneos adhibebat, quod amicorum commendatione sibi traditi essent; sed semper optimos eligebat. Verum Alexander, cum aliquandiu prospera usus esset va-

valetudine, demum a calculis, in renibus abditis, urinæ meatibus interclusis, omnem ejus reddendæ facultatem amisit: quamobrem cum ejus salus a medicis conclamata esset, atque ipse, videns, prudens, sciensque ad interitum pergeret, non tradidit se angori ac desperationi, neque quidquam nobili doctoque viro indignum edidit; sed incredibili magnitudine animi, suis ipse pedibus singulas amicorum ædes obivit, eisque omnia ea officia persolvit, quæ præstari consueverunt ab iis, qui longum suscepturi sunt iter; tum Gregorii XIII pedibus advolutus, demisse humiliterque & intimo animi dolore, ex injuriis divinæ majestati illatis, concepto, plenam peccatorum suorum veniam sibi largiri poposcit. At Pontifex ea hominis constantia ac pietate commotus, non tenuisse lacrimas dicitur, eique humanissimis verbis animum explevit: nec mora, domum reversus, hilari ac imperturbato vultu, eo concessit, quo naturæ eum necessitas vocabat, & in Æde S. Spiritus in Saxia situs est, in sepulcro ab Octavio filio eleganter extructo.

ALEXANDER BVRGIVS.

ALexander Burgius, Modiliani, Ameliæ oppido, natus est; ubi etiam insigne sacerdotium, Prioris auctoritate ac nomine obtinuit, unde vulgo, suppresso nomine & cognomine, Prior Modiliani nuncupabatur. Magnum, inter literatos sui temporis, docti eruditique viri nomen obtinuit; nec injuria: nam egregie omnibus liberalibus disciplinis instructus, tum Græce Latineque doctus fuit: præterea memoria tanta, ut quoties inter eruditos, quibus cum fere quotidie a prandio, rheda vectus, animi causa per urbem circumferebatur, ortus esset sermo de literis, omnia ex ea, quibus propositæ quæstioni satisfaceret, tanquam ex promptuaria cella, sine ulla mora depromeret. Id unum illi vitium objiciebatur, quod nimis eruditi famam affectaret: nam obvios in via amicos, sententia aliqua, aut verbis ex Ciceronis Epistolis desumptis, salvere jubebat: unde apud eos, qui cum non nossent, pædagogi

speciem non poterat effugere. Sed duo in primis magnam illi apud omnes existimationem & decus peperere: primum vitæ dignitas, & inveterata, sive potius præjudicata, de ejus probitate opinio, quod videlicet ita ab ineunte ætate rectum ad virtutem iter tenuisset, ut ulla unquam in re ab religione officii non declinasset: quamobrem magna danda est opera adolescentibus, ut virtutibus persequendis, contrariisque vitiis fugiendis, probi viri famam sibi tueantur ac firment: nam meminerint, ejus, in quo tum peccarint, æternam in eis, vel certe diuturnam, valituram opinionem improbitatis. Deinde multum illi ad probi doctique viri famam contulit perpetuus cum Gabriele Cardinali Palæotto usus consuetudoque; ea enim erat hominis claritas, tantus virtutum omnium splendor ac dignitas, ut nihil cuiquam ad existimationem honestius posset accidere, quam sciri, aliquam sibi cum eo amicitiæ necessitudinem intercedere. At Cardinalis, in illis doctissimis libris, quos edidit, Alexandri opera usus est utili, ejusque existimantis arbitrio cuncta, quæ scripserat, subjiciebat. Sed a Cardinalis eum domo, ubi pene altus educatusque fuerat, non autem ab amicitia, distraxit atque sejunxit collegii Cardinalium a secretis munus, Antonii Quærengi ab Vrbe discessu, ipsi delatum. Nefas enim habetur, eum qui tali præditus sit honore, in cujusquam Cardinalis familia censeri. Verum ejus virtus, paulo editiore in loco posita, clarius cœpit elucescere; adeo ut majori provincia digna haberetur. Quamobrem a Petro Cardinali Aldobrandino, Clementis VIII fratris filio, quem penes totius Reip. summa tum erat, ad graviora negocia adhiberi cœptus est; tanta cum illius approbatione, ut multorum in se invidiam commoverit: erat enim omnium opinio, quoniam tantum apud illum auctoritate & gratia valeret, processurum eum esse honoribus longius; eoque magis, quod in pontificia Biturgiæ, seu ut nunc vocant S. Sepulcri, cathedra collocatus fuerat. Sed nova initæ ab eodem cum viro quodam principe amicitiæ suspicio, in curriculo honorum versantem evertit. Nam tum primum mos ille inolevit, ut qui in alterius vel Cardinalis vel viri principis amici-

amicitiæ suspicionem incidisset, continuo honoribus indignus haberetur. Itaque, quoad vixit Clemens VIII, a negociis aulæ feriatus, in Magni Etruriæ Ducis clientela quievit. Eo mortuo, a Leone XI, qui illi in Pontificatu Max. successerat, datus est Octaviano Mediceo, fratris ipsius filio, vitæ morumque moderator ac magister: sed provinciam tam duram, quam ceperat, non licuit illi diutius administrare. Nam ille immortalitate dignus Pontifex morte extinctus præpropera est, vix diebus viginti, & duobus post eum diem, quo in illud fastigium pervenerat. Eoque vita functo, luculentam ad Cardinales habuit, de novo Pont. eligendo, orationem. Sed rursus Paulo V. Pont. interruptum honorum curriculum visus est repetere: sed quem illi cursum olim Principum amicitiæ interruperant, demum perpetuæ, mortis cum hominum genere, inimicitiæ intercluserunt. Calculus, urinæ meatibus objectus, mortis causam attulit: ac sepultus est in Basilica Constantiniana, Christo Salvatori in honorem B. Ioannis dicatæ; ubi ille Scipionis Cardinalis Burghesii, ejusdem Basilicæ Archipresbyteri, vicarias partes gerebat, annos natus tres supra sexaginta.

PAVLVS GVIDOTTVS BVRGHESIVS.

IN omnibus iis artibus, quæ, quoniam ingenii non corporis viribus constant, liberalium nomine nuncupantur, tres in primis se efferunt, Pictura, Statuaria, & literarum studia, præsertim ea, quæ ab humanitate sibi nomen asciverunt. Et qui laudis gloriæque cupidus ingenii monumentis nomen suum proferre conatus est longius, quam vitæ termini postulabant; ad earum aliquam animum appulit. At qui peræque in omnibus elaborarint, vix paucos possumus ex omnium sæculorum memoria producere. Sed nostra ætate unum vidimus, Paulo Burghesio nomine, qui singula magnitudine animi tria illa complexus est, quorum aliquod se fuisse aggressos, satis sibi alii ad immortalitatem nominis fore existimarunt. At fortasse id, quod voluit, assecutus

cutus non est, ut nimirum in omnibus illis excelleret; verum id conatum fuisse eum, magna ponendum in laude videtur; quamquam non minimam in eis laudem meruerit: nam in pictura, quamvis manus, quo eam ars dirigebat, sæpe non perveniret, attamen non longius aberrasse existimabatur: in fingendi vero arte, multis uno ex lapide inter se complicatis colligatisque signis ac sigillis conficiendis, statuarius propemodum singularis est habitus: quorum operum pulcritudo, multorum studia cupiditatesque commovit. At quanto fecisset melius, quanto rebus suis rectius consuluisset, si ea opera suis preciis vendere statuisset, nec ambitione lapsus, nimis cupide optasset, in potentiorum familiæ nomen adoptari, nec inania militiæ nescio cujus insignia, nec trimestrem in urbe consularem dignitatem, fere nomen sine re, tanta mercede coemisset! profecto ætate confectus, non habuisset necesse, fere quotidie, latibula mutando, creditorum manibus se fuga subducere. Sed homo, inanis gloriolæ honorisque præter æquum studiosus, antepofuit umbram rei, damnum utilitati, jacturam lucro. Quod vero ad poësim attinet, nemo inficias ibit, doctrinam illi atque artem, non naturam & celeritatem ad faciendos versus defuisse; qui ejus ab ingenio, tanquam a fonte flumina, uberi vena fluebant. Pene innumera scripsit, quæ non tam re quam proposito ac voluntate laudantur. In eo autem excelsum suum animum, ac promerendæ, æternæ nominis sui, famæ cupidum, significavit, quod tantum animi habuit ad audaciam, ut immortali, neque omnium eruditorum præconio satis unquam laudato, Torquati Tassi poëmati, aliud a se factum opponere non dubitaverit. Nam quemadmodum ille Ierosolymam, ex hostium Christiani nominis servitute ereptam, & in libertatem vindicatam cecinit, ita enim hic eandem funditus dirutam, quoquomodo potuit, explicavit; & quod incredibile dictu videatur, totidem plane versibus, eodem metro rhythmoque conservato: vel hoc solo dignus, qui in poëtarum numerum veniat, ejusque nobilis audacia, posteritatis memoriæ commendetur. Sed ne longum faciam, tot virtutum copia dives, pene in summa rerum omnium inopia, ani-

animam senex efflavit; & quod ridiculum est, cum identidem jactaret, se quatuordecim esse artibus praeditum, quarum ex singulis panem aliaque ad vitae usum necessaria posset expromere; quas inter artes ea etiam fortasse numerabatur, qua se rationem alteri, qua volaret, ostensurum pollicebatur: sed fames, qua propemodum enectus est, nullum se ab illis auxilium tulisse ostendit.

MARCELLVS MARCHESIVS.

MArcellus Marchesius, ex Caroli Card. Borromaei, qui postea in Sanctorum numerum relatus est, disciplina prodiit. Sed parum ex ea hominis longe sanctissimi indole hausit. Nam fuit dicax, atque ita ad maledicendum pronus, ut ab omnibus metueretur; ab iis praesertim, qui ambitionis labore districti, ad honores dignitatesque contenderent; quibus maledici cujuspiam criminatio atque calumnia saepe plurimum solet obesse: itaque, cum ad primatem aliquem venerat, prius quam ceteris, quamvis honore ac dignitate superioribus, omnes illi ad eum aditus patebant. Sed ubi Romam venit, ex sponsionibus, (de quibus in Cardinali Alano diximus) quae olim de Comitiis Cardinalium fiebant, & postea edicto sublatae sunt, ad maximas pecunias pervenit. Sed quoniam vir erat catus ac prudens, ac bene totam Remp. noverat, in consilio de ea dando, ab Innocentio IX ad eorum numerum adscriptus est, quo intimos consiliis suis habebat, quorumque auctoritate Pontificatum Max. administrare constituerat: nam quamvis in reliquis virtutibus, multos fortasse superiores haberet, in hac tamen fidelitatis laude, nemini inferior inveniebatur. Verum cum Clementi VIII, qui Innocentio successerat, minus gratus esset, neque ab eo impetrare posset, ut Episcopatus cujuspiam honore, cujus ingens eum cupiditas incesserat, exornaretur, in Germaniam ad Rudolphum imperatorem abiit, ab eoque, cum suis se ad eum artibus insinuasset, Pontificiam Signiae civitatis in Illyrico sedem obtinuit; atque a tribus summis viris, a Cardinali videlicet Dietrichstainio, a sedis Apostolicae Nuncio, & a Pragensi Episco-

ſcopo, Pragæ pontificalibus ſacris initiatus eſt: cui etiam Imperatori præſtantiſſimum illum librum, de Turcis bello ſuperandis delendiſque, a ſe Italice ſcriptum, artis, doctrinæ, prudentiæque pleniſſimum dedicavit. Atque me audiente gloriabatur, ſe Clemente VIII ac Card. Aldobrandino, fratris ejus filio, minime deſiderantibus, ad dignitatem illam perveniſſe. At hanc illi lætitiam diuturnam eſſe non licuit: nam cum Signium iter faceret, in Turcarum poteſtatem venit, &, quo ſe redimeret captum, fuit illi neceſſe totum illud argentum evomere, quod ex felici ſponſionum eventu acceptum devoraverat. Ergo tanta pecunia everſus, ſe rurſus Romam recepit; ubi Epiſcopalem dignitatem, prout pauperis Epiſcopi opes ferebant, ſuſtentabat. Illud vero ridiculum accidit, paucis, antequam e vita diſcederet, annis, quod cum die quodam trans Tyberim properaret, dum lintre Tyberim trajicit, quæſivit a lintrario, nu mquidnam novi? ita, inquit ille; etenim, proxima ſuperiore nocte, e turri campanaria Ædis D. Petri in Ianiculo, a nebulonibus tribus campanæ omnes ſublatæ ſunt furto, & longe gentium delatæ; quamobrem boni illi Franciſcani Fratres in magno ſunt luctu atque mœrore: ſtatim ille hominis dicto fidem adhibuit, nihilque ipſi viſum eſt longius, quam dum e lintre in fluminis ripam egreſſus curriculo, ad Fratres illos tenderet; evocatoque cuſtode, cœpit illi amiciſſimis verbis conſolari dolorem, quam ex campanarum infortunio, quo proxima nocte a tribus illis furibus mactatus fuerat, accepiſſet; ac debere eum, ajebat, incommodum illud æquo animo perpeti; nam fore, ut Deus, cujus ille providentia præ ceteris hominibus una cum ſuis Fratribus contineretur, damnum illud longe majori bonorum acceſſione farciret, & ſurreptarum loco, majores ipſi campanas, ac præſtantiori aëris temperatione confectas, ſubſtitueret: tum cuſtos, Ludiſne, inquit, nos? an tu ab aliis ludificaris? potuitne paucis noctis unius horis tanta campanarum moles ſurripi, e turri deponi, ac longe gentium avehi, ad quam loco movendam multis operis multiſque opus eſt vectibus? At ita rem eſſe, mihi lintrarius dixit. At tu, inquit cuſtos, tibi data eſſe verba

ſcias;

ſtias; nam eſt homo ille oppido facetus ac ridiculus, ac totus in eo eſt, ut quos vehit, hiſce mendaciunculis, vel deliciis potius, in errorem inducat. Tum vero ille, ſupra quam dici poteſt, elatus eſt ſtomacho & iracundia; nec poterat ferre, ſe hominem ſenem, catum, doctum, ſapientem, habitum fuiſſe ludibrio a ſycophanta nequiſſimo, improbiſſimoque, quem ne in hominum quidem numero duceret; nec continere ſe potuit, quin injuriam ſibi factam, cum Prætore urbis conquereretur. Sed quamvis perfecerit, ut joculator ille in carcerem conderetur, tamen his querimoniis re, quæ ceteroqui, ſi quieſſet, in ſilentio jacuiſſet, patefacta, illud aſſecutus eſt, ut multos dies per Vrbem ſolus, ſermo omnibus fieret. Ac paucos poſt eum ludum annos, lethali (defluente ad pulmones pituita) tabe confectus interiit.

NICOLAVS ALAMANNVS.

Nicolaus Alamannus, Græcis parentibus natus, a puero in collegium ſuæ nationis exceptus eſt, quod Gregorius XIII, pro ſua patria in Chriſtianos omnes caritate, in transmarinis regionibus naufragæ Catholicæ fidei, tanquam portum conſtituerat. Vbi a magiſtris Græcis & Latinis, optimis diſciplinis eruditus, ingenii cum probitate conjuncti laude floruit. Dedit etiam cum aliis ſociis, de more, militiæ Eccleſiaſticæ nomen: & quoniam fortaſſe habebat in animo, in Græciam navigare, ibique vitæ ſuæ domicilium conſtituere, a Græco Epiſcopo in ſubdiaconorum ordinem ac numerum adſcribi voluit: ſed poſteaquam a Latinis oris, opulentior illi ſpes effulgere viſa eſt, ad id, unde ſecundus rebus ſuis flatus oſtendebatur, vela dedit, & ad Latinorum caſtra tranſiit; ab eisque, reliquis ſacris ordinibus initiatus eſt. Verum, confecto ſtudiorum curriculo, cum eſſet in re tenui, & ad reliquum vitæ ſuæ ſtatum conſtituendum, opes & amicitias ſibi neceſſarias eſſe intelligeret, cœpit honeſtos aliquot viros, generis vel honoris cujuſpiam ſplendore conſpicuos, Græcas literas docere, Deoque propitio ad Scipionis Cobellutii amicitiam ſe contulit, qui tunc temporis Paulo V a bre-

a brevibus erat, Græcæque Linguæ addiſcendæ ſtudio flagrabat. Quæ res maximum illi aditum ad id munus aperuit, quo functus eſt poſtea. Nam cum aliquis quæreretur, qui Scipioni Card. Burgheſio in ſcribendis Latinis Epiſtolis operam daret, ejuſque perquirendi provincia, a Lanfranco Margotio Cardinali, Cobellutio demandata eſſet, ille, veteribus ſuis amicis, æque ad id munus aptis, prætermiſſis, Alamannum elegit; qui quoniam, quod in ſcholis didicerat, nunquam ad uſum contulerat, neque in verborum ac ſententiarum gravitate in ſcribendo, neque ejus, qui ſcribebat, neque eorum, ad quos ſcribebatur, honoris ac dignitatis gradum conſervabat, minus ad id munus idoneus habebatur. ac ſæpe auditus eſt queri Lanfrancus, quod ille, in epiſtolis, Latinis verbis Græca miſceret, quo nihil fieri potuit ineptius. Sed non ita multo poſt accidit, ut Balthaſare Anſideo mortuo, cui Bibliothecæ Vaticanæ cuſtodia demandata fuerat, novus cuſtos eſſet deligendus, neque tum quiſquam ad rem aliquam, in qua aut honos aliquis eſſet aut poteſtas aut procuratio, niſi ex Card. Burgheſii domo, ſumeretur; nemo viſus eſt in tota familia eo honore dignior Alemanno; nec injuria: nam propter egregiam excellentemque Græcarum Latinarumque rerum cognitionem, jure omnes id illi munus deberi fatebantur. Et ſane ea in illo eruditio erat, quæ deſideratur in eo, qui tot libris Græcis Latiniſque evolvendis, notandis, curandiſque præficitur. Neque homo ſtudioſus, in tanta librorum omnium copia, ſibi defuit, ſed hiſtoriam ſane doctam Procopii, & de parietinis Lateranenſibus duos eruditiſſimos libros, in vulgus emiſit. Iam vero, qui omnem ſuam operam & ſtudium ad Vaticanæ ſedis utilitatem decuſque contulerat, honeſtum ſibi & glorioſum eſſe duxit, animam, quæ ſemel Deo reddenda eſt, in Apoſtolorum principis ejuſdemque religioſiſſimæ Ædis obſequio profundere. Cum enim ejus templi ara maxima, æneis columnis, ingenti magnitudine ſummoque artificio elaboratis, ad umbellam eidem impoſitam ſuſtinendam exornanda eſſet, quo paria tanto oneri fundamenta jacerentur, neceſſe fuerat, alte circa aram terram effodere; cui operi ille cuſtos eſt additus,

ut

ut videlicet daret operam, ne quis facrilegus, vel quisquam alius, nimis curiose religiosus, quidquam ex illa humo, tot Martyrum cruore imbuta, sacrisque eorundem ossibus admista surriperet: sed cum illi muneri diligentius, quam ejus salutis ratio pateretur, incumberet, neque totos dies se loco moveret; accidit, ut vaporibus, qui ex commota illa humo exhalabant, toto corpore conceptis, lethalem in tabem incurreret, ex eaque brevi moreretur.

LANFRANCVS MARGOTIVS.

Lanfrancus Margotius, magis ex sese quam ex majoribus suis cognitus, sine multis literis, in scribendis epistolis longe, doctissimorum hominum industriæ anteivit. Etenim rem, de qua scribendum esset, videbat acute, explicabat dilucide, sententias adhibebat illustres, quæque non tam haberent venustatem, quam dignitatem ac pondus: verba erant, non illa quidem elegantissimo sermone, sed quæ rem maxime explicarent. Omnia scribendi genera noverat; eoque utebatur, quod cum ejus, qui scriberet, eorumque, ad quos scribebatur, personis congrueret. Ne multa; nulla in eo virtus desiderabatur, *illi* necessaria, cui arcana summorum Principum negocia, per literas, tractanda mandantur; ut verum in eo apparuerit, quod dicitur, sæpius ad laudem atque virtutem, naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Magno fuit animo, ac pecuniæ superiori; tum etiam, cum una cum summis viris, genere, divitiis, ac dignitate præstantibus, ad aliquam animi remissionem ludumque descenderet: adeo ut ceteris largius sumptus faceret, eosdemque liberalius atque animosius provocaret in aleam. Quod, quamquam non sit magnopere per se laudandum, ejus tamen magnitudinem animi indicabat, perficiebatque, ut illi, quibus cum una erat, quamvis nobilissimi, præ eo, humili, abjecto, contemtoque orti loco, ipse longa cognatione stirpi cuipiam regiæ annexus videretur. Duobus summis Pont. Clementi VIII, & Paulo V, in scribendis epistolis egregiam navavit operam atque fidelem; ob quam, præsertim

a Paulo

a Paulo V, in amplissimum Cardinalium ordinem est cooptatus, summumque in ejus gratia tenuit locum; ac tum multo magis, cum ejus, qui illi obtrectabat, invidia atque malignitas facta est palam. Sed mortis celeritas, ne tanto Pontificis beneficio, ejusdemque egregia in se voluntate, diutius frueretur, obstitit. Nam paucis post annis, an mensibus? a lethali pustula, in dextero, ut ajunt, brachio oborta, pene subitum est ad interitum datus; neque quidquam moriens de solita magnitudine animi amisit. Nam rogatus a Pont. qui, ut eum in tam gravi casu consolaretur, adierat, numquidnam vellet? nihil, inquit ille, nisi præteritæ mihi vitæ noxas, auctoritate tibi divinitus concessa, dimitti. Obiit, insigni epistolarum volumine edito.

IACOBVS MARCHISETTVS.

SI ex fundamentis ædificii cujuspiam, in infinitam pene altitudinem jactis, ac si de ingenti ejusdem, jam e terra excitati, aditu vestibuloque existimare de magnitudine operis licet; ea in Iacobo Marchisetto Pisaurensi, a natura tanquam fundamentum aliquod posita ad sapientiam indoles reperietur, eaque in eo jam surgentis ac crescentis in immensum sapientiæ documenta deprehendentur, ut quivis vir prudens facile posset judicare, unum e summis viris evasurum illum, vel talem potius futurum, cujus similem vix ulla præteritorum sæculorum ætas tulisset. Nunquam fuit ille ingenio puer, sed statim a principio senex; ea, in arripiendis quæ a magistro monstrabantur, celeritate, ut eorum industriæ præcurreret; tam incredibilis in eisdem retinendis memoria, quod præsertim singularis in puero ingenii signum habetur, ut esset omnibus miraculo; eloquentia vero tanta se in eo fundebat, quanta vix in iis reperiretur, qui in ea comparanda totum vitæ suæ cursum collocassent, judicii acumen ita magnum se extulit, ut orationes, quas puerulus scriptitavit, seniores, non modo, quam illi puериles anni, sed etiam, quam longe grandior ac maturior ætas postularet, viderentur; nec cuipiam dubium esse debet, fuisse eas ab illo sine cujusquam ope compositas.

Tre-

Tredecim natus annos, Philosophiam Aristotelis, ad quam addiscendam vix unius ætas hominis satis esse potest, ita complexus est totam, ut in arenam descendere, seque Aristotelis doctrinæ propugnatorem acerrimum declarare, omnesque, qui contra sentirent, in certamen provocare sit ausus. Illud vero omnem propemodum fidem excedit, quodque ego, nisi oculis accepissem meis, narranti non crederem, quod biennio post, volumen positionum, duobus fere millibus theologicarum assertionum refertum, edidit, seseque omnium, qui oppugnare eas vellent, argumentationum tanquam tela per triduum fortiter excepturum ac propulsaturum edixit, ac certaminis locum, gymnasii Romani, Societatis Iesu, aulam elegit; qui honos contigit ante ipsum nemini, ut jure gloriatur in epistola, quam ad Evangelistam Pallottam Cardinalem scripsit; qui tum apud Sixtum V plurimum auctoritate & gratia pollebat, puerique ingenium, quod sibi monstri simile videretur, tuendum ornandumque susceperat. Verum tot tantisque initiis non satis visi sunt exitus respondere: expectabantur enim ab eo immensa, infinita, ac supra humani vires ingenii; sed tanquam si natura desperaret, posse se operi, quod inchoaverat, par fastigium & culmen imponere, hominem prope deseruit. Vt verum illud apparuerit, quod a viro sapientissimo traditur, non posse in eo esse succum diuturnum, quod nimis celeriter est maturitatem assecutum. Neque tamen sui dissimilis inventus est postea. Nam Clemente VIII Pont. a Petro Card. Aldobrandino, fratris ejusdem filio, ob præstantis ingenii famam exceptus, laudabilem illi, in scribendis Latinis epistolis, aliisque muneribus administrandis, operam tribuit; multisque habitis orationibus collectam eloquentiæ famam conservavit, atque auxit: ductus est etiam a Card. in Galliam legationis nomine misso, ut ortum Regem inter ac Ducem Sabaudiæ periculosissimum bellum componeret; ubi cum ad Regem verba faceret, &, sicut Homerus Agamemnonem, ita eum ille, Regem Regum appellaret, adeo Rex hoc titulo delectatus est, ut quingentos illi aureos muneri miserit; quos quia contra Cardinalis edictionem acceperat, qui omnibus suis

edixerat, nequid a Rege delatum acciperent, sed cuncta a sua liberalitate sperarent, in gravem apud illum offensionem incurrit; atque in Italiam reversus, lucis usuram diuturnam non habuit.

IO. BAPTISTA LALLIVS.

IO. Baptista Lallius Nursinus, simul ac natus, Musarum gremio exceptus est, & quasi in nutricatu earum eductus; quo non facile hac nostra ætate quem dixerim plura habuisse a natura ad poësim adjumenta. Nam mentis viribus excitatus, & tanquam, ut Plato voluit, quodam afflatu quasi furoris impulsus, adversus faciendos se prope rapi sentiebat. Atque etiam tum adolescentulus D. Eustachii res gestas, Etrusco carmine, & octonis prosecutus est versibus; ac postea accitus Parmam ab avunculo, qui Ranucio Farnesio, Parmæ ac Placentiæ Duci, erat a consiliis, eodem Duce audiente, heroicum Latinum carmen recitavit, quo Alexandri illius patris mortem docto eleganterque defleverat; atque eatenus adolescentis ingenio delectatus Dux est, ut quamprimum eum Perusium, Juris civilis addiscendi gratia, mittendum, eidemque centenos singulis annis, quoad ibi esset, aureos persolvendos, magno regiæ liberalitatis exemplo, curaverit. Sed cum ibi a versibus faciendis se continere non posset, qui sponte & injussi fluebant, monitus est ab avunculo, qui metuebat, ne eorum amœnitate studiorum delinitus, a gravioribus disciplinis abstraheretur, admonitus est, inquam, ut si se atque iracundiam suam vereretur, ne quidquam posthac versibus scriberet. At quantos in illo quinquennali studiorum curriculo (nam totidem in eo versatus est annis) in jure civili ac Pontificio profectus fecerit, testimonio sunt tria illa volumina, quæ, non ita eleganti vulgarium Juris Consultorum sermone, Viridarii practicabilium materiarum in utroque jure, ordine alphabetico concinnati, titulo inscripsit; qui labor magno deinde illi usui fuit, cum videlicet, juris utriusque interpretandi facultate adepta, pluribus in oppidis juri dicundo operam dedit; quod munus, usque ad extremum

mum vitæ ſpiritum, magna cum juſtitiæ laude exercuit. Quibus in oppidis, edito excelſoque loco fere omnibus poſitis, cum camporum amœnitates, nemorum viriditates, avium concentus, perlucidi decurrentium amnium liquores, dulces lenis auræ ſuſurri, denique ſaxa ac ſolitudines, voci reſpondentes, ſatis ſua ſponte ad canendum propenſo, aeres quaſi ſtimulos adderent; multa tum graviter tum jocoſe compoſuit: in Ieroſolymorum excidium, Virgilii Bucolica, & Æneidos libri, Etruſco carmine, miro lepore ac venuſtate, facetis amœniſque ſententiis, in ridiculum converſi; quo in genere ſcribendi, ſale facetiiſque omnes ſui ævi ſuperavit. Ab anno ætatis ſuæ quadrageſimo cœpit audiendi facultate carere, eoque proceſſit, ut neceſſe haberet, parva tuba, ex argento facta, auribus admota, loquentium voces excipere. Sed tantæ jacturæ dolorem eo ſolatio lenibat, quod ex ſcribendis ad amicos facetis jocoſiſque epiſtolis, aliiſque in hoc genere poëmatiis capiebat; quæ referremus, niſi ea eſſent in manibus, & ad alios illuſtres in literis viros, quorum adhuc non parvus ſupereſt numerus, in hunc librum referendos, feſtinaret oratio. Verum, qui maria, terras, cælumque, ſuo cantu mulcebat, neſcio quo pacto, peſſimo ingrati animi exemplo, tria hæc ſemel ſibi iniqua & infeſta perceperit. Nam piratis infeſtiſſimis ſtravere ſe maria placida atque pacata, qui ad eum in ſervitutem redigendum, ventis atque avibus citius advolarunt; terra autem paſſa eſt immaniſſimos ſicarios ſuſtinere, qui diſploſis in eum ſclopis invaſerunt; cælum vero, diro fulmine miſſo, eum pariter eſt delere conatum. Sed Phœbi & Muſarum alumnum ceruleæ a maritimis prædonibus Nymphæ, atque ipſa e mari orta dulcium mater amorum, ereptum conſervarunt, Dryades atque Napeæ, quæ toties ad cytharæ ejuſdem cantum feſtiviſſimas choreas, immiſtæ Faunis, duxerant, contra adverſariorum tela atque arma texerunt; Phœbæa denique laurus, qua ſibi tempora cinxerat, ab injuriis cæleſtibus vindicavit. At quem nec maria, nec tellus, nec cælum, potuerunt perdere, ſæva demum apoplexia, ſemel atque iterum oppugnatum, quarto ac ſexageſimo ætatis ſuæ anno in

I 2 ſua

ſua patria oppreſſit; nec ab ejus inimica vi ſervare eum potuit Apollo.

GEORGIVS CONÆVS.

GEorgius Conæus Scotus, nobili genere natus eſt; nam in eo regno Conæa familia numeratur in primis: fuit elegantiſſimis literis Græcis & Latinis, omnique, digna homine nobili, doctrina eruditus; ſed præſertim catholicæ Religionis ſtudioſus, Romam venit Paulo V Pont. atque in aulam Cardinalis *Montalti*, tutiſſimum, fortunæ naufragio ejectis, portum, aditum ſibi apertum invenit; cui etiam Cardinali, ob caſtos integroſque mores, probatiſſimus extitit; ſicut & vivus, multis ipſe in rebus oſtendit, & in morte ſua declaravit, cum perinde in eum benignitatem ſuam derivaverit, ut in ceteros, quos eximios habebat. Aliquot annis poſt, Vrbano VIII ad Pontificatum Max. evecto, in Franciſci Card. Barberini domo locum invenit, ſuæ virtuti convenientem; quam ille domum, pro ſuo erga probos ac literatos viros ſtudio ac voluntate, non minus patens ac tutum, afflictæ, probitatis doctrinæque fortunæ, perfugium conſtitutum eſſe voluerat; ejuſque adventus eo Cardinali gratior fuit, quo illum incredibilis cupido invaſerat, tranſalpinos homines, alioſque a catholica Religione abhorrentes, ad eandem traducendi; ad quam rem, opportunam atque fidelem ejus operam ſibi futuram, nec falſo opinabatur; quod ille, cum eorum aliquibus, linguæ ejuſdem ſocietate contineretur. Cum igitur eo interprete atque auctore aliquandiu eſſet uſus, atque hominis in rebus agendis ſedulitatem atque prudentiam admiratus; placuit eum in Angliam, ad Reginam illam, maximis de rebus, ad Religionem pertinentibus, mittere. Quod munus ita docte ſapienterque adminiſtravit, ut mire ſibi Reginæ voluntatem ac ſtudium adjunxerit, & ſummam ab Vrbano VIII & Card. Barberino gratiam inierit: quamobrem cum re bene geſta Romam reverteretur, non tam ad Vrbem accedere, quam ad purpuram, cujus erat cupientiſſimus, properare dicebatur; quam prædictionem famamque prærope-

pe-

pera mors inanem atque irritam reddidit; quam extabe, sive ex itineris labore, sive ex mala corporis constitutione, sive ex solicitudinum curarumque mole concepta, contraxit. Cardinalem Franciscum Barberinum hæredem instituit; qui amplissimum illi funus, in Basilica, a Damaso Pont. in honorem martyris Laurentii Deo dicata, faciendum curavit. Non alia ingenii sui monumenta reliquit, nisi Mariæ Reginæ Scotiæ, ab Elisabetha Angliæ Regina supplicio affectæ, vitam, elegantissime scriptam; de educatione Principum, cum esset in aula Mutinensis Ducis honorarius ephebus; de statu utriusque religionis in Scotia; & Catholicæ religionis demonstrationem.

PORPHYRIVS FELICIANVS.

MVltum sane Fulgineum Porphyrio Feliciano debere est æquum, cum tantum, ab ejus claritate ingenii ac nominis, splendoris ac dignitatis acceperit; neque alio cive suo, hac nostra ætate, gloriosius magnificentiusque se jactat. Romanæ eum aulæ, ferme adolescentem, tradidit; cujus illa indolem non modo non est aspernata, sed cupide amplexata, maximasque illi, qui miserat, gratias habuit. Sed Cardinali Antonio Mariæ Salviato in primis, simul aspecta & probata est; nam in eo excipiendo, suamque in domum adducendo, ceteris felicior fuit. Quam rem tantum in se ornamentorum ac laudis continere statuo, ut si non alia plura ad eum exornandum capita se aperirent, ab hoc uno magna vis laudationis & copia, ad immortale illius decus, duceretur. Quid enim illi honestius, quid laudabilius poterat accidere, quam Cardinali Salviato, qui esset curiæ splendor, aulæ ornamentum, Christianæ Reip. lumen, qui ob singularem prudentiam, summam integritatem, longum rerum maximarum usum, a summis viris metueretur, eisque tanquam frenum injiceretur, ne quopiam vel cupiditate, vel indiligentia, vel incogitantia conpulsi excurrerent, quo, merito, in ejus reprehensionem vituperationemque possent incurrere? quid, inquam, poterat ejus laudibus majus accedere, quam tanto

viro ita probatum extitisse, ut continuo consilia sua crederet, negocia committeret, rerum omnium fidem haberet, scribendarum epistolarum munus demandaret? Quæ omnia ita scienter, ita prudenter, ac præsertim ita fideliter administravit, ut cum Cardinalem inter & ipsum, ut fit, offensiunculæ quædam intercessissent, & Cardinalis erga ipsum officium a se desiderari quæreretur, nulla conditione, nullo artificio, nulla majoris commodi spe oblata, adduci potuit, ut arcana illius proderet. Sed tanto divini illius hominis prudentiæ, probitatis, justitiæque lumine, acerba ac luctuosa bonis omnibus morte, extincto, cognita atque probata ejus opera, a multis expetita est, & ab aliquibus etiam obtenta; sed eam cunctis Paulus V eripuit, & arcanis Principum virorum epistolis legendis, ad easque respondendi provinciæ præfecit. Quo in munere, clarius quam in aliis, prudentiæ, integritatis, industriæque suæ documentum exhibuit. Sed tot ab eo perfuncti labores deposcebant, ut editiore collocatus in loco, Fulgineo, quod eum Romæ commodaverat, prodesse plurimum posset. Itaque, quem illud oppidum privatum dederat, pontificiis ornatum insignibus recepit; ut ibi in perpetua suorum civium custodia vigiliaque moreretur Episcopus. In scribendis epistolis, post Lanfrancum, vicit fere omnes, qui una essent ætate: in faciendis vero Etruscis poëmatiis paucos habuit pares; e quibus longe illa multumque ceteris præstant, quæ exacta jam ætate, selecta, & ad septuaginta numero, in unum codicem redacta, Roberto Cardinali Vbaldino dicavit; in quibus scribendis principem poëtarum omnium, Franciscum Petrarcham, sibi magistrum elegerat.

DANIEL MALLONIVS.

Daniel Mallonius, Brixianus, Brixiæ religioso cucullatorum ordini S. Hieronymi se voto obstrinxit; atque inde Romam ad comparandas bonas artes missus, Philosophicas ac Theologicas disciplinas a magistris accepit; in quibus adeo perfectus evasit, ut nemo eo acrior neque pugnacior, in disputando, invenire-

retur. Sed tanta elegantia ac venustate, sicut olim Samnites hastas vibrabant, ita ille argumentorum tanquam tela mittebat, ut qui cum eo pugnabant, se ab eorum acuminibus compungi, jucundum ducerent; immo summo se beneficio affectos existimarent, si in literariam aliquam palæstram possent cum ipso descendere, manum conserere, ejusque eruditos impetus excipere, ictusque perferre; ac Miranda, ex Dominicana familia theologus ea tempestate in primis, magnum quid se esse adeptum arbitrabatur, si potuisset aliquem ex discipulis suis, in Philosophicis ac Theologicis concertationibus, cum illo componere. At quam multæ fuerint in eo literæ non vulgares, non extrinsecus tanquam adspersæ, sed interiores & reconditæ, quanta in scribendo verborum & gravitas & elegantia, testis est locuples primus scholasticæ suæ bibliothecæ liber, ab eo editus, & in senatus Bononiensis nomine emissus, cum vix trigesimum ætatis suæ annum attigisset, aliudque doctissimum, de Christi stigmatibus, sacræ sindoni impressus, volumen, ubi non ejus modo singularis eruditio, sed mira etiam pietas ac religio, se effert. Sed cum a summo religiosi sui ordinis Præfecto, cujus ille vicarias partes gerebat, accitus esset, ut alienissimo ab itineribus tempore, æstate nimirum media, maximisque caloribus, cœnobia sibi subjecta secum obiret, nec detrectasset imperium; lethalem in morbum prope Brixiam illapsus, & ab eodem oppressus, interiit.

HIERONYMUS MAUTINUS NARNIENSIS.

Magnum, hac nostra ætate, in oratoribus illis qui de divinis rebus ad populum verba faciunt, eloquentis viri nomen obtinuit F. Hieronymus Narniensis cucullatus. Hic cum multis Italiæ in oppidis optimi concionatoris partes explesset, cœptus est primo Romæ audiri, in Æde D. Mariæ, in Vallicella, magno omnium generum atque ordinum concursu, ac tantum probatus, ut non ita multos post annos ad conciones, ad summos Pontifices eorumque senatum, aliisque aulæ pro-

proceribus, habendas fit adhibitus. Omnia aderant in eo, quæ in perfecto oratore desiderantur; ormæ dignitas, oris decor, orationis elegans copia, verborum delectus, quæ non magis suaviter in aures influerent, quam cum pondere in animos caderent; vitæ probitas & integritas, sine qua omnia, quæ sunt in oratore bona, vilescunt; vitiorum incusatio & querela ita acris ac vehemens, ut iis, qui eisdem adhærescerent, cum nollent extrahi, gravis & molesta accideret: quamobrem ille, cum intelligeret aliquando, se operam perdere, & surdis, ut dicitur, fabulam canere, valetudinis excusatione, eo se munere abdicandi & in solitudinem aliquam abeundi potestatem sibi fieri postulavit: qua impetrata, totum se ad historiam sui ordinis scribendam contulit: sed rursus, ad eandem provinciam revocatus, cum, non minore libertate, in corruptos eorum mores, apud quos diceret, inveheretur; ita ab aliquibus audiebatur, ut qui delectationem ex eo quærere, non autem vitiorum, quibus laborabant, medicinam aliquam petere, aut oblatam accipere velle, fixum ac deliberatum haberent. Itaque in perpetuum, (præsertim infirma valetudine cum esset,) ejus vacationem muneris obtinuit; ac tanto erat, apud suos omnesque, sanctitatis eloquentiæque honore ac nomine, ut mortuus magnificentiore, quam quisquam alius sui ordinis, elatus sit funere. Liber ejus concionum, simul ac diem obiit, statim impressus apparuit; cui nihil tam obfuit, quam expectatio, quæ de ejus ingenio & eloquentia habebatur; quæ efficiebat, ut omnia, quantumvis magna, minora expectatione viderentur. In quo etiam factum est palam, quanta in actione vis insit, & quam jure primas illi Demosthenes, secundas, & tertias dederit, cum ea deficiente oratio eadem alia esse existimetur.

FRANCISCVS TOLETVS.

EOrum, qui de rebus divinis, & ad æternam salutem pertinentibus, ad summos Pont. & amplissimum purpuratorum patrum consessum verba fecere, Francisco Toleto Hispano, e Soc. Jesu, omnium præstan-

tium judicio virorum concessu, palma tribuitur. Nemo enim inventus est adhuc eo theatro dignior; nemo, qui aptius ad eorum, quibus cum illi res erat, personas loqueretur; nemo, qui illi prudentia, doctrina, eloquentiaque antestaret, non hac elegantula, & in morem mulieris compta, ad aucupium aurium, imperitorum præsertim, accommodata, sed illa forti, ac virili. Plus annis viginti, functus est eo munere, atque eo tempore, quo non raro, sed sæpissime, verba facienda ad summum Pont. erant. Nunquam procemiis usus est, sed, loco procemii, particulam illam Evangelii, quam explicandam susceperat, proponebat; tum orationem totam bifariam dividebat; ac pars altera, loci a se propositi interpretationem continebat, qui locus, quoniam multis sæpe difficultatibus obseptus erat, ita docte, ita accurate, ita scienter, eas omnes removebat, ut cuivis, quantumvis imperito ac rudi, obvium apertumque relinqueret; at pars altera acrem vehementemque vitiorum, quæ in eos, quibus cum ageret, convenirent, incusationem & querelam habebat, ac præcepta, quibus ea sanarentur, ex eo, quod interpretabatur, Evangelio deprompta. Nemo ad eum audiendum accessit, quin doctior, quam venerat, abierit; ac, de tribus Oratoris officiis, docendi elegantia & laus illi tribuebatur, jamque res in proverbium abierat, ut Lupus movere, Panicarola delectare, Toletus docere diceretur: sed quoniam id, quod docebat, impetu magis animi, vultu, atque oculorum conjectu, quam oratione tradebat, non parvam etiam in auditorum animis permotionem moliebatur, obtinebatque, ut idem illi facerent, a Toleto docti, quod ab alio permoti. In reprehendendo, si quæ res reprehensione digna incideret, nemini parcebat, sed cuique præsenti audientique, sua in os peccata objiciebat. Ac fuit tempus, quo maxime homines metuerent, ne tanta hæc illi in dicendo libertas, ac licentia, in aliquod magnum malum erumperet; atque hinc perspici facile potuit, quanta veritatis vis sit, quantaque illius auctoritas, cui hæ partes sunt traditæ, ut corrigat mores aliorum, ac peccata reprehendat, si præsertim hoc faciat, nulla re commotus alia, nisi utilitate communi, neque ali-

aliqua in re ipse a religione officii declinasse inveniatur. Nam cum virum principem pergraviter olim reprehendisset, quod, in mandandis honoribus, homines aliquando minus ad eos aptos eligeret, atque ita vir ille princeps a concione surgens, manum manu diverberaret, quod erat signum, eum totum in tumore esse, magnoque iracundiæ æstu flagrare, expectabant omnes, quidnam acturus esset; at ille in quodam ambulacro, multis spaciis factis, prandium poposcit; affertur, accumbit; tum sumpto e mensa nitidiusculo quodam ferculo, Ferte isthic, inquit, Toleto, ac nostris verbis gratulamini doctam elegantemque concionem, quam habuit: itaque commotam ab iracundiæ æstu in illius viri principis animo tempestatem, tanquam liquidus veritatis flatus sedavit, in tranquilloque constituit. Neque tantum concionatoris partes, sed doctoris etiam ac magistri munus, & in Pontificum aula, gerebat; ac tam multæ ad eum causæ deferebantur, difficiles atque contortæ, in quibus Theologi opera desiderabatur, ut nulla ipsi pars quietis relinqueretur, nec suo liceret dare operam negocio; quas ille causas, singulari doctrina, prudentia, ac mirifica illa sua, in animi sensibus explicandis, perspicuitate, ex incertis certas, ex dubiis exploratas, ex implicitis explicatas reddebat. Quamobrem ejus nomen factum est ita celebre, ita magnum, ut nulla tam difficilis res, tam ardua, tam consilii egens, in quæstionem deduceretur, quæ non ejus doctrinæ, prudentiæ, judicioque committenda esse videretur. Quod Clementem VIII impulit, ut primis Cardinalium comitiis, a se habitis, una cum Petro Card. Aldobrandino, fratris sui filio, & Cynthio, ex sorore item sua nato, Cardinalem renunciaret, atque intimum consiliis suis haberet, neque, eo vivo, in rebus maximis, & ad universam Christianam Remp. pertinentibus, ab ejus consilio auctoritateque discederet. Atque ejus in primis utili & opportuna usus est opera, in ea deliberatione, quæ omnes tunc temporis theologos, & juris Pontificii interpretes, solicitos habuit, num Henricus IV, Rex Galliæ, ad Catholicorum castra, unde semel atque iterum defecerat, confugiens, recipiendus esset. Mortuus est tertio & se-

sexagesimo ætatis suæ anno; ejusque mortis causam sustinuisse dicebatur Vaticani cæli gravitas, quod æstivis ejus anni, quo periit, mensibus, in Pontificiis ædibus habitasset; quæ res pluribus male vertit. Obiit, multis aureorum millibus relictis, ex fructibus, quos ex sacerdotiis suis capiebat, collectis; quos pluribus in prædiis collocari voluit, atque ex eorum reditibus duodecim sacerdotes ali, qui in Æde Deiparæ Virginis ad Nives, una cum aliis presbyteris, diurnis nocturnisque horariis precibus interessent; qua re magnum illi Basilicæ ornamentum ac decus accessit. Plures edidit libros, quos inter, præcipuum obtinent locum, doctissimi eruditissimique, in Ioannis & Lucæ Evangelia, Commentarii. Scripsit etiam in libros Aristotelis de physico auditu, egregium opus, & alia, ad Philosophiam & Dialecticam ejusdem pertinentia. Teritur etiam eorum, qui confessiones excipiunt, manibus Summa Casuum, qua in examinandis singulorum peccatorum ponderibus tanquam trutina quadam utuntur.

ANDREAS BACCIVS.

Andreas Baccius Elpidianus, civis Rom. erat professione medicus ac philosophus; sed dum accuratius diligentiusque ad ea, quorum perfugio medicina utitur, ut sunt herbæ, aliaque ad morbos levandos utilia, animum advertit, eorumque vim, naturam & potestatem, curiosius inquirit; sensit se a quodam quasi æstu ingenii absorberi, atque in perfectam absolutamque istarum rerum notitiam cognitionemque deferri. Quamobrem tantum profecit, ut non solum scripta sua multarum rerum eruditione & copia referserit, verum etiam elegantis sermonis suavitate respersenit. Ac primum in calidorum fontium, qui toto orbe terrarum celeberrimi feruntur, tractatione, ejus opera versata est, & calidas omnes aquas, sive sulphuratas, sive dulces, sive aluminatas, sive nitrosas, sive liquidas, sive cœnosas, eleganti complexus est libro; in quo etiam utilissimis disputationibus, singularum qualitates prosecutus est, quæ nimirum utilis sit stomacho, quæ nervis, quæ paralyticis, ac

ac simili morbo solutis, quæ mersione, quæ potu, morborum, quibus apponuntur, causas abigant: tum ingenio, quasi pedibus, omnem ferè terrarum orbem peragravit, & quot unaquæque tellus vina ferat, invenit, quodque eorum ex cæli terræque, in qua nascuntur, regione saluti hominum sive utile sive sit noxium, aperuit; deinde de venenis, & antidotis, postea de Tiberi, libros tres vernacula lingua, ac de duodecim preciosis lapillis, qui in summi sacerdotis veste sacra nitebant, librum edidit: quæ ejus opera, cum ad transalpinas aliasque exteras nationes commeassent, immortalem Italici nominis gloriam secum una attulerunt; nam ab eruditissimo quoque admirationes & plausus expresserunt. Docuit in gymnasio Rom. de varia rerum naturæ historia, sed non eadem auditorum frequentia, qua Cisalpinus & Cognatus. Verum illa vis ingenii, illud in scribendo acumen, illa eruditio, cum ad curanda ægrotorum corpora se conferebat, ita se ipsa minor inveniebatur, ut non eandem diceres. Quamobrem nemo ægrotus, qui eum nosset, ejus opera utebatur; nemo erat, qui filium, vel cognatum, vel amicum, vel propinquum, quovis laborantem morbo, illi committeret; quo fiebat, ut semper egeret, multoque ære alieno, unde se numquam expediret, obstrictus teneretur. Sed inventus est tandem Ascanius Cardinalis Columna, qui eum familiæ suæ medicum conduxit, sed, ut arbitror, magis id adeo, ut domum suam singularis eruditionis doctrinæque viro ornaret, quam ut egregium familiaribus suis medicum quæreret. Verum, dum hæc de Andrea Baccio commemoro, incurro in memoriam Bacciolæ cujusdam, formosissimæ mulieris, quæ me commonet, ut duorum senum comicorum imagines referam: neque erit ab re; nam hinc fiet perspicuum, quam senectuti sit fœda luxuries, præsertim si libidinum intemperantia accesserit. Vigebant aliquot, post Andreæ Baccii mortem, in Vrbe, ex iis, quæ corpore quæstum facerent, famosæ mulieres tres, Baccilla, de qua diximus, Cenicola, & Rhedariola, a Rhedario quodam, ejus viro adumbrato, hoc nomine appellata. Harum trium singulæ adeo formæ amœnitate elegantiaque præstabant, ut difficile esset judi-

di-

dicium excellentis maxime pulcritudinis. Sed quid opus est verbis? Paris ipse, qui tam elegans spectator formarum fuisse perhibetur, quique fuerat a tribus illis divis, quas inter erat de formæ præstantia certamen, judex captus, si judicandi inter has partes suscepisset, ignorasset, cuinam earum primas deferret, & incertus animi, sibi non liquere pronunciasset. Atque earum prima, nimirum Baccilla, prorsus ex stulto insanum fecerat virum, omni quidem doctrina & eruditione præstantem, sed superbia, & elatione animi, omnium facile principem; cujus præsertim insania, præjudicata quadam suæ formæ opinione constabat; qui, cum esset niger, breviculus, gibber, fœdus, enormis, ac pene alter Thersites, Nirei, omnium, qui ad bellum Trojanum profecti sunt, venustissimi, formæ præstare, sibi persuasum habebat. Hic igitur cum Baccillam perdite deperiret, intimum se primum fecit apud matrem, tum insinuavit ad filiam, blanditiis, officiis, &, quod caput est, ornamentis atque pecunia. Quamobrem perficiebat, ut domus ejus fores sibi paterent. Sed, qua erat animi elatione atque superbia, nunquam interdiu, sed noctu ad eam ibat, cum armatis, qui januæ tutelam gererent, observarentque prætereuntes, & si quem illuc ferentem gradum aspicerent, ne propius accederet, terrore armorum absterrerent abigerentque; hi autem juvenes erant duo, unus arctissima illi cognatione devinctus, amicus alter, sed homo oppido facetus atque ridiculus, qui postea nobis narrando, quæ ille in amore stulte pueriliterque faciebat, non potest satis dici, quos ludos præberet: at propinquus, quem fortasse hominis stultitiæ pudebat, cuique non erat suave, hyeme perfrigida, tot horas ad nocturnum aërem, & ad boreæ flatum, obrigescere, stomachabatur, ac, Te Iuppiter, ajebat, diique omnes perdant cum amoribus tuis, cumque tuis istis omnibus deliramentis; ac, qui te stultum, delirum, ac comicum senem appellant, sapiunt mea quidem sententia; nam quis, nisi stultus, ad has ineptias, exacta jam ætate, delaberetur? Sed ille postquam satis animo obsecutus fuerat suo, eodem armatorum præsidio stipatus, recipiebat se domum, ad cœnam opiparam, ac pollucibilem; qua con-

confecta, jubebat propinquum illum suum, ire dormitum, seque cum amico, qui sibi ultro arridebat & assentabatur, in cubiculum abdebat, &, ad multam noctem, res sibi in amore tum secundas tum adversas, & dulcia & amara omnia illi enarrabat; sed sermo ejus omnis eo demum redibat, ut ingratæ ac male sibi morigeræ mulieris injurias queretetur; ac vide, ajebat, rusticos, vel potius immites, ingratissimæ Baccillæ mores; ego parentes ac domesticos illius omnes magna cum cura curavi, ac ne teruncium quidem ab eorum aliquo accepi; ego illi aurum & vestem præbui; ego quotidie vino opiparisque obsoniis mensam instruxi; & cum posco, ut roseam illam suam ad oscula cervicem inflectat, & pangat mihi suavium, negat, & me, tanquam pestem aliquam, aversatur ac refugit; at quem virum? Dii boni, quo (si verum fateri velis) non facile quidquam dixeris te vidisse in vita venustius; quod si rerum commutatio fiat, atque illa amore meo ardeat, ut ego illius incendor, næ ego par pro pari referam, & cum maxime cupiat, vix a me unum vi, precibus, lacrimis, suavium auferet. Hactenus de sene philosopho amatore, quem satis, ut arbitror, expressimus: nunc senem alterum I. C. non rabulam, aut causidicum aliquem, sed causarum patronum summum ac singularem, in amore pueriliter insanientem, describamus; qui non in una tantum illarum trium formosarum, sed in singulis earum exarsit, & suis opibus ac facultatibus, quæ erant magnæ, uniuscujusque mire rem auxit. Sed quamquam, in earum trium formis, usque ad ineptias insaniret, diligebat tamen Baccillam & Rhedariolam, benevolentia impari: nam in Cenciolam multo majori amoris impetu ferebatur, adeo ut damnosus senex ac perditus, ob amoris magnitudinem, propemodum e re sua suppeditasse illius sumptibus diceretur, quibus magnificam domum, quam in celebri urbis loco habet, ædificaret. Hic igitur tam corruptus adolescens, prope octogenarius, qui sine mulierum consuetudine, vitam esse nullam duceret, quotidie, cum a prandio rhedam inscenderet, ut animi causa celebriores urbis vias obiret, interrogabatur a rhedario, quonam potissimum se deferri
vel-

vellet; qui prope commotus, Quonam, rogas? ajebat, nonne tibi millies est dictum? ad Cenciolam, Baccillam, Rhedariolam. Earumque domos, quæ variis atque inter se distantibus urbis regionibus sitæ erant, rheda invectus, circuibat, ut earum aspectu oculos pasceret, quæ in fenestris, ad miraculum excultæ ornatæque, tanquam in areis, palumbis, illac transeuntibus, lascivos obtutus, salutationes venustulas, mellita verbuscula, quasi cibos, quibus caperentur, offundebant; & si quos reti adolescentulos impedivissent, haud diu fiebat, cum ex illis apud se næniam dicebant de bonis; nam brevi eorum naufragium apud ipsas facturos eos esse, pro comperto habebant. At juris legumque peritus, postquam videndo, salutando, contemplandoque defessus, non tamen saturatus, extiterat, domum se, cum jam advesperasceret, ad negocia recipiebat. Sed deliris ac luxuriosis senibus omissis, ad frugales homines continentesque revertamur.

FRANCISCVS PENIA.

FRanciscus Penia Hispanus, Sacræ Rotæ Romanæ Auditor, & Decanus, ut vocant, multum apud omnes auctoritate, existimatione, & gratia valuit; sed longo in causis cognoscendis usu plus quam ipso ingenio præstitit: quanquam illi ingenium non defuit, sed non minimo intervallo ab eo, quod summum dicitur, abfuit. Aliquot semper circa se juvenes habuit, a summis viris tanquam in disciplinam sibi traditos, quibus cum sua studia communicaret, recte judicandi rationem ostenderet, quorumque opera in evolvendis juris utriusque interpretum libris uteretur, reperiendisque, quæ a causarum patronis & advocatis ex eis in consiliis dandis suggerebantur; quibus ex rebus non minimos illi profectus faciebant. Nam juris civilis usum obtinebant, qui omnium magistrorum præcepta, omnes domesticas exercitationes, & studia exsuperat. Hos ille juvenes patria caritate complectens, semper in filiorum loco ac numero habuit; & quantum opera, auctoritate, & gratia poterat, totum ad eos opibus & honoribus amplifican-

candos conferebat. Itaque eorum aliquot in principibus patronis & advocatis, aliquot in pluribus dignitatum gradibus, & in eo ipso, in quo ille fuerat loco, collocatos aspeximus; ac non neminem etiam, ut Lucam Antonium Virilem, in purpura vidimus. Multa reliquit, unde existimare de hominis ingenio liceat; librum unum, de Christi Regno, de S. Didaci Apotheosi, hoc est, ut nunc loquimur, Canonizatione: plures Jurisconsultorum libri, suis notis illustrati, visuntur: suam etiam in causa Henrici IV, Galliarum Regis, sententiam, typis impressam, aperuit. Sed vir plane egregius multa opera atque industria in Romana aula cognitus, tot laboribus functus, tanta auctoritate & gratia præditus, non potuit Auditoris Rotæ gradum excedere, & ad majores ascendere; sed in eo Romæ decessit.

OLIVARIUS A BOSCO.

INter nostri sæculi Oratores non verebor adnumerare Ioannem a Bosco, Henrici IV Regis Galliæ beneficio, ut ipse de se fatetur, nobili ac generosæ Olivariæ familiæ insertum, ejusque insignibus & cognomine donatum. Est enim ejus oratio pura, nitida, Latina, elegans, quæque nihil fere habeat ineptiarum. Hunc Paulus V Abbatis Belliloci insignibus ac titulo decoravit, Cardinalis Seraphini Olivarii opera; quem postea luculenta oratione in Æde Sanctissimæ Trinitatis ad montem Pincium, laudavit extinctum; atque eum etiam, ob insignem eloquentiam, maximarumque doctrinarum notitiam, Rex Galliæ elegerat, quem de rebus divinis verba facientem audiret: verum cum in concionibus, contra Religiosi ordinis existimationem & decus, aspere ac truculenter esset invectus, illius in se ordinis iram derivavit, & Cardinalis præsertim magni a se animum abalienavit. Legi ego complures Purpurati illius ad eum epistolas, in quibus inimicum eum suum appellat, pro cujus salute ad Deum preces effundat, seque tantisper inimicum illi futurum profitetur, quoad palinodiam cecinisset, hoc est, quoad qui in suum ordinem tam graviter in concionibus esset invectus, contraria oratione cor-

correxisset: quamobrem Romæ, in molem Adriani, in arcem fortissimam S. Angeli nomine, redactam, compactus, multos ibi annos asservatus est vinctus; ac post mortem Cardinalis illius, cujus præsertim opera se in illum carcerem fuisse compulsum arbitrabatur, rogatus, ecquando e vinculis dimittendus esset, Modo, inquit: nam defuncti sunt, qui quærebant animam pueri. Sed fere antea e vita dimissus est, quam ex illa custodia. Traditur chymicæ in primis arti fuisse addictus, sed vanitatis suæ pœnas, rei familiaris damno, solvisse.

SERAPHINVS OLIVARIVS.

SEraphinus Olivarius, Lugdunensis, ita annis quadraginta in circulari illo judicum Romanorum consessu, quem a subselliorum, ut arbitror, forma Rotam appellant, cognoscendis causis præfuit, ut ingenio, doctrina, prudentia, omnibus æqualibus suis longe multumque præstiterit: ac propter has causas, me puero atque etiam adolescente, tantopere efferebatur, ut Seraphini vox, non hominis certi nomen, sed jurisprudentiæ vocabulum esse videretur. Quam ille laudem non mediocribus atque vulgaribus, sed exquisitis atque reconditis assecutus est literis. Puer, Turnoni, Iacobi Rasalii Bononiensis, ejus vitrici, diligentia, Græcis ac Latinis literis est institutus egregie, ab eoque, cum nondum ex ephebis excessisset, jussus venire Bononiam, ut ab ea fœcunda studiorum matre, præstantissimo puer ingenio & flagranti studio, reliquas liberales disciplinas acciperet; quibus arripiendis ac penitus possidendis, tanta usus est celeritate, ut senum etiam industriæ doctrinæque antecesserit. Cujus rei periculum factum est in eo, quod cum juris civilis docendi muneri in demortui doctoris locum sufficiendus esset alter, ac plures tum cives tum aliarum Italiæ civitatum docti viri, & ætate provecti, eum petitum locum accessissent, iste solus, externus, adolescens (vix enim, juvenilibus in genis, primæ lanuginis vestigia apparebant) competitores omnes superavit, non majorum commendatione, non gratia, non precio, sed ingenii, sed doctrinæ, sed erudi-

tionis laude; in qua ceteris, multum ipsum ætate antecedentibus, superior habebatur. Sed non amplius biennio potuit illum Bononia in eo munere occupatum habere, properantem ad Vrbem, quo sua eum virtus, ad aulæ decus, ad orbis terræ negocia, atque adeo ad purpuram ipsam evocabat; ubi unam in Romana Rota sedem, veteris possessoris interitu inanem ac vacuam invenit, quæ alicui ex Jurisconsultis Gallis debebatur; cujus honoris cum multi essent cupidi, atque eum petitum, summa contentione studioque contenderent, Pii IV Pont. Max. judicio, summaque Caroli IX Regis Galliæ voluntate, factum est, ut ceteris anteponeretur. Quem locum tanta cum dignitate, atque opinione doctrinæ per annos quadraginta tenuit, ut principatum jurisprudentiæ obtinere putaretur, & ad eum, tanquam ad Pythium Apollinem, cuncti consilium expetitum accurrerent, essetque ejus domus, totius oraculum orbis terrarum; ac merito, non enim rudis omnium rerum, ac juris civilis in primis, ut non nemo, sed omnium disciplinarum instructu ornatuque ad eam provinciam capessendam accesserat. Quo fiebat, ut ejus ædes, non illustrium modo patronorum advocatorumque (ut ejus muneris ratio postulabat) multitudine celebrarentur, non modo philosophorum, ac humanissimis elegantissimisque literis eruditorum frequentia redundarent; verum ad eas etiam musicorum concursus fierent, quoties ille, prolatis rebus, a studiorum labore ad hanc humanissimam liberalissimamque animi remissionem descenderet. Ter eum Clemens VIII, qui multos eidem annos collega in eodem munere fuerat, ad sacræ honorem purpuræ est conatus attrahere; sed totidem vicibus est persecutionibus quorundam inhibitus; quibus e medio sublatis, nihil fuit illi prius, quam ut id, quod sæpius cogitaverat, perficeret, atque summa omnium hominum gratulatione, annos natum unum & septuaginta, in Cardinalium ordinem cooptavit: ille vero mœror ad communem lætitiam tacitus obrepebat, quod serius, quam ejus merita postularent, in eum locum ac numerum pervenisset: quæ mœroris quasi nubes, post quinque ferme annos, ejus morte nunci-

ciata, in communis fletus imbrem soluta omnium ora irrigavit.

ARNALDVS OSSATVS.

SI quisquam omnium mortalium ob generis ignobilitatem obscuritatemque assecutus videtur, ut, quod est in proverbio, terræ filius appelletur, is profecto fuit Arnaldus Ossatus; qui ita humili, ita tenui, ita obscuro natus est loco, ut nullum posset, neque cognatum, neque affinem demonstrare, nullam gentilitiam hæreditatem, lege ad se redeuntem, cernere. Neque id ad hominis contumeliam referendum est, sed summæ ejus laudi gloriæque tribuendum, quod sine ulla commendatione majorum, sine aliqua familiæ claritate, sine opibus ac divitiis, sola virtutis suffragatione, in eum amplitudinis locum pervenerit, ad quem sæpenumero, summo genere natis, ac longa cognatione Regum stirpi adnexis, adspirare vix licet. Neque tanto illi honori, a Clemente VIII ob singularia ipsius merita accepto, generis obscuritate tenebras aliquas attulit, sed splendori ornamentoque fuit, neque postremus inter Cardinales est habitus, sed propemodum summus existimatus, eoque fastigio dignissimus judicatus, qui proxime ad divinum accedit. Omnia in eo aderant ornamenta virtutum, divinarum humanarumque rerum scientia, summa eloquentia, admirabilis juris civilis cognitio, quam a Jacobo Cujacio, eo tempore in Bituricensi Academia legum antistite, acceperat, ac postea in fori luce ad usum transtulerat; neque ab earum virtutum concentu, ut sæpe fit in multis, mores discrepabant, sed mire cum eis congruebat integritas vitæ & innocentia, quam ab ineunte ætate, tum naturali bono, tum respuendis voluptatibus, nulla unquam turpitudinis labe fœdavit. Vt mirum videatur, ex uno Cassanaberio, Auscorum Aquitaniæ convenarum ignobili pago, ubi ortus est, tanquam ex tenui fonte tam ingens flumen, hoc est, tantam virtutis vim prodiisse, quæ usque a Gallia profluens, Italiam, atque Vrbem ipsam, quæ quidquid est ubique pulcrum ac laudabile continet, irrigaret: quam ad Vrbem,

a forensi strepitu & a causis agendis abductum, perduxit Paulus Foxius Archiepiscopus Tolosanus ac Regis Galliæ ad Pont. orator, eumque, cujus jam fidem & industriam perspectam habebat, sibi a secretis elegit; in cujus Vrbis lucem virtutes, quibus præstabat, eductæ, nimirum innocentia, doctrina, prudentia, & in rebus agendis dexteritas, tanquam semina in segetem fœcundam data, eos illi honores peperere, quibus postea floruit. Itaque his artibus, in ea civitate, in qua virtute certatur non genere, effecit, ut vere dictum videatur, suos cuique mores suam conciliare fortunam. Mortuo Foxio, ejus opera, quæ jam preciosa esse cœperat, usus est Card. Estensis, Galliæ patronus; quam operam quanti ille faceret, ostendit in morte. Nam magnam illi pecuniæ summam testamento legavit. Postulatus est etiam atque etiam ab Henrico Rege III, ejus nominis fama permoto; a quo Bajocensi Episcopatu donatus est, atque humanissimis literis invitatus ad sanctiores regni epistolas conscribendas; quam ille provinciam, ejus quo fungebatur muneris excusatione, recusavit. Non enim decere eum, ajebat, qui sacris initiatus esset, aliis negociis operam dare, quam religiosis ac sacris: sed hanc illius in Vrbe mansionem alii aliter interpretabantur, nimirum adjectum fuisse oculum ad eum honorem, quem postea adeptus est. Interea Rege occiso, funesta illa ac misera toti Galliæ subsecuta sunt tempora; tum vero, in tantis Reip. illius tenebris, hominis ingenii, virtutis, sapientiæque lumen clarius eluxit. Nam cum non esset hic Romæ alius, cui tanto oneri sustinendo animus viresque sufficerent, omnia ad illum regni negocia deferebantur, illudque omnium maximum atque gravissimum, de Henrico IV, qui, armis Galliæ potitus, auctoritate Romani Pont. a quo olim desciverat, sibi regnum confirmari stabilirique, summa ope nitebatur. Nam quamvis tam ardua tamque difficilis provincia, Principum Christianorum animis in varia studia distractis, Jacobo Perronio, Ebroicensi Episcopo, ac postea S. R. E. Cardinali, demandata esset, ea tamen provincia, non nisi ex Ossati auctoritate, qui consiliorum omnium particeps, Perronio fuerat additus, administrata est. Sed po-

postremo Galliæ rebus ex Henrici sententia compositis, a Clemente VIII in Cardinalium ordinem cooptatus est, summa amplissimorum patrum voluntate, qui jam diu, eum virtuti illius honorem deberi, loquebantur. Quem ille locum non aliis artibus tutatus est, nisi iis, quarum erat princeps, quibusque ad eum honoris gradum ascenderit; nimirum innocentia, æquitate, justitia, animi moderatione ac temperantia, nulla cupiditatis avaritiæque suspicione. Denique, ut est rerum omnium humanarum conditio, functus vitæ munere, magnificentissimo elatus est funere, in Æde D. Ludovici, suæ nationis, ibique in sepulcro e marmore conditus.

HIERONYMVS MERCVRIALIS.

IAm vero, quænam tanta est vis ingenii, quod tantum orationis flumen, quæ tanta dicendi facultas & copia, quæ Hieronymi Mercurialis Foroliviensis, Medici ac Philosophi, laudibus ex æquo respondeat? Illud enim unicum ætatis nostræ lumen, illud eximium medicæ facultatis decus, illud maximum acumen ingenii, ad rerum causas investigandas, ad cæli conversionem ac motum, ad siderum ortus, occasus, adspectus compositionesque notandas, ad intimam ac reconditam omnium disciplinarum notitiam percipiendam, rite a natura perfectum, illud summum eruditionis culmen atque fastigium, quis, non modo laudibus efferre, verum etiam dicendo assequi possit? quisnam illud, quod est omnibus ejus laudibus anteponendum, quodque omnibus sæculis difficillimum inventu fuit, illam ejus admirabilem, cum admirabili omnis generis eruditione conjunctam, vitæ integritatem & innocentiam verbis explicare valeat tantum, quam re ipsa erat? Non enim doctrinam, ac philosophorum placita, ita percepta habebat, ut iis ad ostentationem, non ad vitam, ut par est, agendam uteretur, non libidinum intemperantiam, ut quidam non magis flagitiose quam stulte fatentur, cum quavis virtute posse componi existimabat, sed luxuriem cum omni hominum generi turpem, tum eruditorum nationi fœdissimam esse docebat; nam prætermit-

tendis, non persequendis voluptatibus, veri philosophi famam comparari. Sed ut ceteri de ejus laudibus, earundem magnitudine deterriti, taceant, disertissimæ cujusdam vocis instar in eo laudando habebunt Patavinum, Bononiense, ac Pisanum gymnasium; quorum primum annos duodeviginti, alterum quinque, tertium quatuordecim, de suggestu, Philosophiæ ac Medicinæ præcepta tradentem audivit; & quorum primum octingentenis annuis aureis, alterum millenis ac ducentenis, tertium millenis & septingentenis atque etiam bis millenis, egregiam ejus operam, ad erudiendos, medicinæ præceptis, confluentes ad eum auditores conduxit: ac si magnitudo pecuniæ, ex artificio aliquo collectæ, artificis excellentiam perfectionemque declarat, centum ac viginti aureorum millia, quæ ad hæredes testamento transmisit, præter ea, quæ vivens in pauperum necessitates, in domesticos usus, in amicorum utilitates effudit, medendi eum arte ceteris præstitisse clamabunt. Vt autem nullæ de eo aliorum literæ loquantur, pulcerrimam ejus ingenii formam, magis quam aliqua eloquentissimi cujusquam oratio exprimet operam multorum prope divinitas, quorum exequias nulla posteritas sæculorum aspiciet, & gymnasticum in primis omnis antiquitatis notitia refertum, eruditionis thesaurus ac doctorum hominum deliciæ; quod opus Romæ compositum, editumque in Alexandri Cardinalis nomine, cujus in aula versabatur, apparuit; Galenus Græcolatinus, ad veterum librorum fidem restitutus, ac notis illustratus; Variarum lectionum volumen; De ponderibus antiquorum; Praxis medicinalis, opus ingens, qua videlicet ratione ac methodo omnibus morborum generibus occurratur; consilia ægrotantibus per literas data, ac tria in volumina distributa; aliaque plura, admirabili eruditione studioque confecta, quæ properantibus nobis non est ocium referre. Neque felicior in scribendo, quam in morbis tollendis, fuit. Neminem enim ægrotum curandum suscepit, quin amissam illi valetudinem recuperaverit; nisi si gravior esset morbus, quam ut eidem succurri humana ope atque arte posset. Cujus rei fama, in exteras nationes divulga-

ga-

gata, summorum Principum studia commovit, ut in suis longis morbis periculosisque ejus operam magna mercede conducerent. In his Maximilianus Imperator fuit, quem, diutina atque lethali implicitum febri, facili atque explicita curatione ex ancipiti levavit. Atque ille, in cognoscendis morborum causis tam peritus atque acer, non fuit in eo, quo demum sublatus est, ignorando, hebes ac tardus. Nam calculos, in renibus latentes duos, mortis sibi causam afferre, medicis audientibus, dixit: jussitque, suum corpus, subsecuta morte, aperiri, ac renes incidi: quo facto, confestim calculi duo magni cum aliis minutis pluribus sese in conspectum dedere, sicut ille prædixerat: quos simul omnes, statera examinatos, ad drachmarum octingentarum pondus pervenisse, qui oculis excepere, tradiderunt. Ille vero, tanta animi æquitate atque constantia mortem *obivit*, ut non e vita discedere, sed ex una domo in aliam migrare videretur. Quam illi fiduciam anteactæ vitæ dignitas, & recte factorum conscientia dabat. Mortuo cives sui statuam faciendam locavere; qui honor habitus est ante ipsum nemini.

FABIVS LATINVS.

FAbius Latini filius, multis in rebus Alcibiadis Atheniensis fere similis extitit. Nam in ea potissimum Vrbe, summo genere natus est, in qua domicilium orbis terrarum esset imperii; ac formæ præstantia omnes suæ ætatis facile superavit: quæ illi, ut postea dicemus, præsertim fuit exitio: tum ingenii docilitate & acumine, non æqualibus modo suis præstitit, sed etiam majoribus natu anteivit: præterea tanta in eo suavitas erat sermonis ac vocis, tanta in communi consuetudine comitas, ac tam multæ facetiæ, ut omnes, qui tum erant in civitate principes, sibi devinctos haberet, efficeretque, ut nemo illis carior existeret. Neque, cum tempus posceret, patiebatur, desiderari ad se operam & industriam suam, neque sese a negociis, illecebris voluptatum, avelli sinebat; nam in Principis aula, a referendis supplicibus libellis erat, & Vrbis tabulario præfectus.

Patrem habuit, copiarum ducem clarissimum fortissimumque, matrem, quæ formæ dignitate atque excellentia omnium in se oculos atque ora converteret: exquisitis a tota Vrbe magistris operam dedit, in his M. Antonio Mureto Græcis literis ac Latinis juxta atque doctissime erudito, ac temporibus illis omnium eloquentissimo. Vtebatur familiarissime omnibus, qui aliquod in literis nomen haberent, iisque præsertim, qui poëticæ facultatis studio flagrarent. Sed in primis admiratus est atque adamavit Torquatum Tassum, heroici Etrusci carminis principem; neque vero minus Torquatus delectatus est Basio, cujus etiam honoris gratia, rogatus ab eo, carmen illud elegantissimum composuit, quod Corinnæ rogus inscribitur. Erat enim tum Basius in maximo animi dolore cruciatuque, ex improvisa formosissimæ mulieris morte suscepto, quam ad insaniam adamaverat; ac fuit suspicio, eam veneno fuisse sublatam a viro, quod illa, ob nimis apertum hominis in ipsam amorem, esset omnibus sermo. Emanarat in vulgus, hominem in primis violentum ac fiducia nobilitatis ferocem, perfecisse precibus, auctoritate, ac precio, ut in cubiculum mulieris, cum vir ejus, venatum profectus, Vrbe domoque abesset, a familiaribus ejusdem introduceretur, ubi occultus mulieris adventum expectaret; quo cum mulier a cœna venisset, jamque in eo esset, ut rejectis vestibus se in lecto abjiceret, prodiisse eum, seque mulieri in conspectum dedisse, at illam, attonitam, ac re tam improvisa perterritam, clamores edidisse, sed neminem ex domesticis, tanti facinoris consciis, accurrisse; eum vero, blandiciis primum iis, quæ dictare libido solet, tum eloquentia, qua se plurimum posse intelligebat, conatum esse, recusantem obluctantemque sibi obnoxiam facere; sed cum nihil proficeret, educto pugione, quem attulerat, locutum esse in hæc verba: Quandoquidem obstinate das operam, atque in eo omnes ingenii industriæque tuæ nervos contendis, ut me miserum vita devolvas, faciam tibi satis, lethum mihi consciscam, hanc sævitiæ tuæ operam adimam; quod ubi prolatum fuerit, æternam nomini tuo infamiæ notam inuret; qua oratione habita, pugionem in

in se convertisse, eoque leviter pectus pupugisse; sed cum, ex eo vulnere, rivi sanguinis effluerent, tum vero mulierem, & viri misericordia, & metu infamiæ, quam minitabatur, commotam, passam esse expugnari a se pudicitiam suam. Sed hujus rei, ut dictum est antea, non alium habeo auctorem, præter Rumusculum. Verum utut sese res habeat, illud certum dicebatur, eos, quibus ministris & interpretibus usus fuerat, lucis usuram non diuturnam habuisse, sed intra triennium occubuisse: neque ipse impune id abstulit; nam aliquot post annos prope rei familiaris naufragio facto, Mantuæ a rusticano ac nullius precii homine est interfectus; ac fuere nonnulli, qui existimarent, eam illi necem a viro potentissimo, in amore formosissimæ cujusdam mulieris rivali, fuisse conflatam; sed suspicione magis, quam quod cuiquam id compertum esset, hæc eorum opinio valebat. Scripsit tragœdiam; quam, qui tum erant intelligentes harum rerum æstimatores, ajebant ostendere, quantum vir hic ingenio doctrinaque præstaret; cujus tragœdiæ fit mentio in epistola Antonii Decii: sed ea fortasse ad eundem scopulum, ad quem ille offenderat, navem afflixit, ac magno cum illius gloriæ ac bonarum artium detrimento interiit.

IO. BAPTISTA STELLA.

IO. Baptista Stella, Romanus, Iulii Stellæ poëtæ, de quo diximus, frater germanus fuit; cum quo etiam a puero liberalibus disciplinis, ac Latinis præsertim literis, institutus est. Sed ille, poëticæ facultatis amore inflammatus, omissis ceteris in studiis, in eo studio se continuit, neque in plura distrahi passus est; hic vero præstantissimum ingenium contulit ad juris civilis scientiam, in qua adeo excelluit, ut celerius quam mos esset, honestissimum illum, in Romana aula, eorum ordinem tenuerit, qui, a referendis supplicibus libellis, Referendarii appellantur, in eoque ordine in duodecim illis primis fuerit, quorum sententiis causæ, in eum consessum delatæ, dijudicantur: verum non eatenus ab illis gravissimis occupationibus se detineri sinebat, ut non in-

terdum in ea amœnissima studia diverteret, quibus a puero deditus fuerat; multaque scribebat, tum soluta oratione, tum versibus. Habuit a natura summam ingenii docilitatem celeritatemque; qua ea, quæ a magistris traderentur, intelligentia comprehenderet, ac memoria sepiret. Forma illi corporis brevior contigit; sed in qua igniculi illi celeresque ingenii motus elucerent atque extarent, qui ejus in animo vigebat. Fuit ob humanitatis studia Ascanio Card. Columnæ carus in primis; qui eum adhibebat convivam sibi, intimum consiliis suis habebat, & summum rerum domesticarum administratorem. Scripsit elegos, proxime ad veterum elegantiam: & extremo vitæ suæ tempore, eodem carminis genere, ambulacrum Vaticanum mire descripsit. Mortuus est Romæ, Ecclesiæ Bituntinæ Antistes.

LÆLIUS PEREGRINUS.

Hic plures scripsit habuitque orationes, quam alius quisquam suæ ætatis orator, excepto M. Antonio Mureto: nam dixit sæpissime in sacello Pontificio, ad tres Pont. Max. Gregorium XIII, Sixtum V, & Clementem VIII; & ad eundem, cum F. Vincentius Carrafa, Vngariæ Prior, Magni Equitum Rhodiensium magistri nomine, eidem obedientiam præstaret; & in Æde Sacra D. Eustachii, in studiorum instauratione, cum juventutem Romanam ad excolendum virtutibus animum, & ad literarum studia strenue capessenda, de more hortaretur; sed sæpius in gymnasio Romano, ad auditores suos. Fuit orator, non solum disertus, verum etiam eloquens; cum multiplex rerum scientia, qua animum compleverat, uberem illi copiam daret ad dicendum. Erat enim philosophicis ac theologicis disciplinis in primis excultus, quas docendi facultatem acceperat. Sermo purus, nitens, excultus, nullaque in re rudis. Multos annos, in gymnasio Romano, Aristotelis de moribus libros, non tenui mercede, non parvo discipulorum numero, publice interpretatus est. Vixit usque ad senectutem perpetuo honestæ ac laudabilis vitæ tenore.

CA-

CAROLUS a SERVA.

CArolus a Serva, ortus est Romæ, parentibus Gallis, ex vetito concubitu; sed iis usus est diligentibus, qui omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas impartiri debet, erudiendum eum curarunt. Ac profecto operam perdidissent, nisi naturale in eo bonum superasset. Erat enim ingenio adeo docili, adeo ad ea accipienda, quæ a magistris monstrabantur, celeri ac promto, ut quasi per ludum jocumque didicerit. Numquam enim satis animum ad ea, quæ dicebantur, videbatur advertere, sed fiebat, ut hac indiligentia negligentiaque ceterorum discipulorum industriam diligentiamque præcurreret. Itaque poterat docte scienterque canere, quæ a Græcis doctoribus Græce traderentur intelligere, ac memoriæ mandare, versus tum Latinos tum Etruscos facere; sed in Latinis versibus ita tenebat artem numerorum atque modorum, ut in iis, si paulum modo offensum esset, ut aut contractione brevius fieret, aut productione longius, incredibili celeritate notaret atque animadverteret. Atqui majore in honore a bonis & honestis viris habitus esset, si domui suæ honestius consuluisset: ferunt enim, cum uxorem Venetiis, Adriatico mari, Romam reduceret, cumque ex febri, quam in lembo contraxerat, fortasse uxoris fraude, quæ illum metueret, comparata ardentius siti æstuaret, vini œnophorum ori cupidius admovisse, eoque epoto, statim animam exhalasse.

HIERONYMUS HENRICUS.

PEr idem tempus, sed ætate aliquanto major, Hieronymus Henricus Romanus, in gymnasio Romano, jus pontificium docuit; cujus plures extant orationes ab eo in facello Pontificio, in Æde S. Eustachii, in gymnasio habitæ. Magnæ fuit industriæ atque laboris: sed homo acer ac vehemens, iram in promptu habuit. Nam discipulorum in schola obstrepentium, exibilantium, & faceta ac ridicula dicta funditantium ineptias, quæ devorandæ sunt, non ferebat, iracundiusque re-

respuebat: qua morositate iracundiaque, acrius vehementiusque, discipulorum studia ad ipsum illudendum irridendumque commovebat. Et in ea oratione, quam in Æde S. Eustachii ad gymnasii moderatores & magistros & ad Romanam juventutem de literarum præstantia habuit, omnes fere eloquentiæ vires in eo contendit, ut projectam eorum audaciam in invidiam crimenque vocaret, qui doctorum suorum lucubrationibus, quas sacras, sanctas, divinas appellabant, obstreperent illuderentque: ac non admodum senex Romæ, nec adversa nec obscura probitatis fama, decessit.

PAVLVS TEGGIA.

PAulus Teggia, Mutinensis, eo ingenii, doctrinæ, judiciique acumine fuit, ut tanquam alter Lælius Decimus haberetur, neque quisquam esset sive orator sive poëta, qui in ejus æstimantis arbitrium sua scripta venire vellet. Etenim perfectæ eloquentiæ ac poësis speciem mente & cogitatione inclusam habebat: omnesque contemnebat, quos non posset in illam formam includere. Navavit operam in scribendis epistolis, secretorum omnium particeps, Iacobo Boncompagno Soræ Duci, ac tum maxime, cum ille rerum potiebatur: quæ epistolæ tanto erant in honore ac precio, ut ad quos mittebantur, magnum quid se fuisse adeptos arbitrarentur, easque in rebus carissimis haberent. Sed cum Dux ille, utpote literarum cupidus, literatis viris deditus esset, narravit mihi magnæ vir auctoritatis atque prudentiæ, hunc Teggiam, ceteroqui minime malum, tulisse inique, si quem doctum virum aspexisset, se in Ducis familiaritatem insinuare. Sed cum jam ad senectutem pervenisset, ac magna ex parte, aspiciendi facultate orbatus, pene aspectum amisisset; tanto ardore animi studioque, Christianæ pietatis opera amplexus est, ut esset omnibus admirationi, ut etiam obsoniis, quæ illi in prandium ac cœnam apponerentur, vel cinerem, vel salem, vel aquam aspergeret, quo videlicet minus grata atque jucunda palato acciderent: atque, extremo vitæ suæ tempore, cum vario atque multiplici morborum

ge-

genere implicatus, atque acerbiſſimis corporis doloribus cruciatus, lecto detineretur, interrogatus, ut valeret, ſumma animi æquitate hilaritateque, ſe nunquam valuiſſe meliùs, reſponderet, quoniam ſe ita haberet, ut Deo videretur, cujus voluntatem anteponeret ſuæ.

ANTONIVS PACTIVS.

ANtonius Pactius Florentinus, ſacræ olim Ieroſolymitanæ, nunc Melitenſis equeſtris militiæ ordinis miles, tum patriæ in qua ortus eſt beneficio, tum legendis veteribus poëtis & oratoribus, qui ſunt præclare locuti, Etruſci, ſeu, ut ipſe malebat, Florentini ſermonis peritiſſimus extitit; &, quemadmodum ex nota, qua ſignantur, & ex ſonitu, quem reddunt, adulterini nummi a legitimis dignoſcuntur; ita etiam ille ex quodam urbanitatis quaſi colore, atque ex ſono ipſo, germanas Florentinas voces ab aſcitis diſcernebat; neque ejus linguæ ſtudioſi, in ejuſmodi controverſiis libentius ad alium quam ad ipſum judicem ibant, ejuſque exiſtimantis arbitrio acquieſcebant. Fuit vir in primis ſuæ civitatis nobilis, ad omnem humanitatem & elegantiam natus, ac præcipue ad omne genus facetiarum, ſive quæ in re poſitæ ſunt, ſive quæ in dicto, mire a natura fictus formatusque, vultu etiam adjuvante & voce: dilexit mirifice poëſim Etruſcam, eosque qui eodem ſtudio tenerentur; quos etiam uſu amicitiaque ſibi devinctos habebat; & cum audiſſet adoleſcentem quendam, in primis ſcitulum atque venuſtulum, magnam ad verſus faciendos indolem habere, nec eum poſſet, cum ſæpe fuiſſet expertus, quavis externa obſequentis animi ſignificatione ad ſe allicere, hanc denique conciliandæ cum eo amicitiæ occaſiunculam nactus, arripuit: conſtiterat ille ad urſi cujusdam ludentis quaſi ſpectaculum, quem ubi aſpexit, acceſſit ipſe quoque, atque, O pulcrum, inquit, leonem! ille, ut mos eſt adoleſcentium, qui ſe videri doctos ac ſapientes volunt, Non, ait, eſt leo, ſed urſus. Quid audio? excepit Pactius, at nos Florentiæ hoc genus ferarum non alio niſi leonis nomine appellamus; ac verum eſt, quod dicitur, Suus cuique genti mos

mos est; atque audi, nisi tibi est negocium, elegans carmen in leonem. Quo recitato, ita adolescentem fecit suum, ut posthac usus sit eo familiarissime. Etiam tum juvenis, cum insimularetur, contra Franciscum Magum Etruriæ ducem conjurasse, omnium rerum egens, Mantuæ ignotus equos viri cujusdam nobilis, mercede, curavit. Mathematicis addictus, die D. Luciæ sacro, sibi fatum instare prædixerat, ejus anni, quo mortuus est; sed cum irrideretur, ubi dies ille accessit, continuo despondit animum, eaque ægritudine moriens, verum se fuisse vatem ostendit.

BERNARDINVS STEPHONIVS.

BErnardinus Stephonius, Sabinus, generis humilitate obscurus, sed animi ingeniique dotibus clarus, magno Sodalitati Jesu, in quam adolescens receptus est, ornamento ac decori fuit. Hic ab ineunte ætate ea ingenii docilis nec instrenui signa dedit, ut Alexandro Card. Farnesio, cujus in imperio ac ditione erat, visus sit dignus, qui ex obscuri illius pagi, in quo ortus erat, tenebris, in Seminarii Romani lucem traduceretur, quo fertile pueri ingenium omnibus liberalibus disciplinis excoli posset: ubi inter illa ingeniorum quasi lumina ita brevi eluxit, ut solis instar habere inter minora sidera videretur, ejusque nomen in scholis celebrius, quam cujusquam alterius esset. Verum, qua erat indole virtutis & continentiæ, cum jam ad summam poëticæ facultatis in primis laudem celeri cursu contenderet, statuit arctius vitæ genus amplecti, ac sanctissimis Ignatii Loyolæ legibus, sub alterius imperio, vivere. Atque ad id satis sua sponte incitatus, fortasse impulsus est etiam magistrorum cohortationibus, qui nimirum verebantur, ut tanta vis ingenii, in tot lubricis communis vitæ viis, sine casu aliquo aut prolapsione consisteret; sed ubi Societati Jesu nomen dedit, incredibili socios omnes voluptate lætitiaque perfudit, tanquam si, non infimæ pene sortis homo, sed regia stirpe procreatus, summisque opibus præditus, in eum ordinem ac numerum venisset. Quod magno argumento esse debet, apud eam So-

Societatem, quæ paucis annis in hanc amplitudinem dignitatemque ob ſanctimoniam ac bonas artes excrevit, non generi, neque opibus, ſed virtuti ac probitati, honorem ac precium eſſe. Verum vix ex novitiis exceſſit, cum traditum ſibi a moderatoribus ſuis Grammaticam & humaniores literas docendi munus accepit; quod tanta cum laude & auditorum ſuorum cum fructu adminiſtravit, ut ex ejus ludo, tanquam ex aliqua elegantis doctrinæ officina, complures, tum oratores, tum poëtæ, qui poſtea alios docuere, prodierint; ac mihi quoque, etiam tum puerulo, numerari in ejus auditoribus contigit; ſed ob ingenii tarditatem mei, nihil fere ex tanti magiſtri diſciplina ſum aſſecutus, niſi ut poſſem gloriari, me Stephonii diſcipulum fuiſſe. Sed illud accidit admirabile, ut, quem ego in prima illa puerili inſtitutione magiſtrum obtinuiſſem, eundem, poſtea in triennali Philoſophiæ curriculo (nam totidem annis, illius doctrinæ quaſi curſus expletur) condiſcipulum habuerim. Ambo enim Mutio Vitelleſco, philoſopho præſtantiſſimo, qui poſtea Societati Jeſu Præpoſitus generalis præfuit, operam dedimus. At, non ſine admiratione, videre licebat eum, quem ego puer metueram, ne, ſi unam peccaviſſem ſyllabam, haud mediocres a me pœnas exigeret, in illis philoſophicis diſputationibus, a me cavere, ne aliquo ſcite arguteque concluſo argumento caperetur. Hoc interim ſpacio temporis, nobile illud drama S. Symphoroſæ compoſuit, quod poſtea in collegio Rom. ad ſpectandum datum, tanta cum admiratione plauſuque exceptum eſt, ut nunquam ab eorum qui interfuerunt animis, ejus diei memoria exciderit. Sed cum triduo ante, quam drama illud daretur, rogatu Stephonii eo veniſſem, ubi ſe actores exercebant, ac vehementer eſſem delectatus; ſeduxit me ſolum ſibi Stephonius, atque, Quid tibi, ait, videntur iſti Symphoroſæ meæ actores? reſpondeo, Egregii atque præſtantes; tum ille, At mihi probari non poteſt hic, qui Symphoroſæ partes agit: non enim voce, geſtu, ac forma corporis ſatis decet, immo propemodum mihi videtur abhorrere, & abſurdus eſſe; quamobrem pergratum mihi feceris, ſi eas tute tibi partes ſumpſeris; ſed

ſed celeritate, opus eſt; nam neceſſario poſt tres dies agenda res eſt. Ego primo, brevitate temporis deterreri, tum vix poſſe adduci, ut non ſine gravi offenſione eas illi partes adimerem, cui jam eſſent traditæ: ſed cum ille, pro vetere noſtra amicitia, me etiam atque etiam rogaret, ne ſibi deeſſem, & inſuper omni offenſionis metu liberaret, tandem paſſus ſum me exorari, atque ita ab eo animatus diſceſſi, ut ea, quæ conſecuta nox eſt, ſeptingentos ſenarios ediſcerem, & cum acta res eſt, adeo placerem, ut nomen commutarem, atque ex Iano Nicio Symphoroſa fierem, neque deinceps alio nomine notior eſſem. Verum narrandi hæc cauſa, non gloriandi, ſcribo. Decurſo igitur a Stephano Philoſophiæ quaſi curriculo, in quo non multum profeciſſe viſus eſt; poëticum enim ingenium, quod toto mentis impetu ad verſus faciendos ferebatur, inhiberi nòn poterat, quin aliquid commentaretur ac ſcriberet; immo non parum ſæpe fiebat, ut quæ a magiſtro anguſtis & conciſis diſputationibus illigata traderentur, Latinis verſibus explicaret; & ſpinoſam illam ac difficillimam, tum ad intelligendum, tum ad explicandum, de ente rationis, quæſtionem, in Philoſophorum ſcholis agitarì ſolitam, facetiſſime atque planiſſime, rhythmico Etruſco carmine complexus eſt: itaque confecto, ut dicere inſtitueram, Philoſophiæ quaſi ſpacio, ſe ad docendum recepit, & aliquot annos in collegio Romano præcepta dicendi non exiguæ diſcipulorum frequentiæ tradidit. Scripſit etiam alias elegantiſſimas tragœdias duas, videlicet Criſpum & Flaviam, quæ etiam magno ſcenico apparatu ſunt actæ; ſed in Criſpo, verborum ac ſententiarum luminibus, omnes ſuperaſſe videtur, qui poſt L. Anneium Senecam tragœdias Latine ſcriptitaverunt. Circumfertur etiam Macharonicum ejus carmen, quod Macharonis Forza inſcribitur; quo nihil fieri poteſt in eo genere venuſtius. Neque melior fuit poëta, quam orator; nam quæ verborum copia, quis ſententiarum ſplendor, quis eorum pigmentorum, quæ ornant ac diſtinguunt orationem, flos & color, orationibus ejus deeſt? quis duas illas inſignes laudationes, qui legerit, unam qua B. Aguetem Politianam Virginem ex familia S. Domi-

minici, alteram, qua Flaminium Delphinum, Ferrarienſium equitum magiſtrum, laudavit, deſideret melius? Mortuus eſt Mutinæ; quo venerat, ut ejus Ducis liberos Græcis ac Latinis literis omnique humanitatis genere erudiret. Erat mediocri ſtatura, colore ſubnigro, iisque oris lineamentis, quæ in antiquis Virgilii Maronis ſtatuis videmus.

IO. FRANCISCVS CARETTO-NIVS.

HVic (quamvis longo intervallo) proximus, acceſſit Io. Franciſcus Carettonius Romanus, non ultimo loco natus, Germanici Raſtelli, medici non ignobilis, privignus. Fuit admirabili ingenii acumine, alacritate atque ſolertia. Ex principum virorum amicitiis nobilitatem ſibi quærebat & gloriam. Itaque quicunque in civitate, genere, honore, divitiis, opibusque pollebant, arctiſſimó amicitiæ vinculo eos ſibi devinctos habere ſtudebat. Nam quem habuit a natura in jocando leporem, in colloquendo venuſtatem, in cavillando acumen, præbebat illis cum multa converſatione magnaque hilaritate. Sed quoniam in ejusmodi amicitiis occupatus, neceſſe habebat, fere ſemper domo abeſſe, & quia eorum, quos perpetuo colebat, potentia fretus, minus erat ſuperioribus ſuis obſequens, fiebat ſæpe, ut ab illis Vrbe pelleretur; ac ſemel etiam, inimicorum iniquitate, juſſus eſt exulare, accuſatus, quod ex animi ſui libidine Cardinali a Monte, tum cum ille, annis morboque confectus, parum animo valebat, teſtamentum dictaſſet; quamvis paucis poſt annis, accuſatorum malignitate detecta, revocatus ſit in Vrbem, ubi poſtea, annos natus duo & ſeptuaginta deceſſit. Juvenis, in collegio Romano, humaniores literas docuit. Summam eloquentiam ſitam eſſe putabat non in verborum ac ſententiarum magnitudine atque ſplendore, non in rerum atque argumentorum copia, nec in omni genere amplificationis, ſed in ſententiolis venuſtulis atque vibrantibus, breviter arguteque concluſis. Id quod, ut ipſe taceret, illa ejus oratio docebat, ad Clementem VIII, in Paraſceve habita, quam unicam edidit, quam-

que, ut Cicero consulatum suum, ita semper in ore habebat. Namque concisa, ac membris minutioribus capta, tot fere argutiis sententiarum referta erat, quot verbis; in scholastico pulvere peringeniosis adolescentibus illustris; sed nec Summ. Pont. auribus satis digna, nec augustissimo illi Patrum purpuratorum senatui apta. Verum utut ea sit (quamvis non defuerunt viri prudentes ac docti, qui per eam rationem a Ciceronis ac veterum imitatione recedi clamarent,) eam tamen homini apud suos eloquentis existimationem nomenque confecit, ut habitus sit idoneus, cui Societatis suæ annalium confectio demandaretur; quod statim homo, ceteroqui vir probus, gloriæ & ostentationis causa divulgavit, ac me nonnullisque aliis audientibus gloriatus est, perfecturum se, ut omnes intelligerent, neminem eorum, qui viverent, majore quam ipsum, eloquentiæ ceterarumque virtutum instructu apparatuque ornatum, ad scribendam historiam accessisse: sed tam magnificum dictum, utpote plenum vanitatis ac spiritus, tenues abiit in auras, nec adhuc annalia, quæ nemo unquam est inspecturus, apparent. Habuit etiam ad collegium Cardinalium, in Basilica Vaticana, funebrem Clementis VIII laudationem; quam etiam fuisse editam ajunt; sed nunquam ego, quod meminerim, vidi. Nullam a sua Societate majorem sibi provinciam commissam accepit, quam earum sodalitatum administrationes, quæ in ejus collegiis ac domibus, ex adolescentibus aliisque hominum ætatibus ac generibus constant. Itaque, tum Perusii, tum Romæ, tum alibi, ejusmodi sodalitiis diligentissime præfuit; sed illud in primis Romæ multos annos rexit, quod ex viris nobilibus in domo professa colligitur. Verum, quamcunque in sodalitatem venerat, continuo omnia subvertebat permiscebatque: nam & veteres mores abolebat, novosque inducebat, & longo usu receptas leges vel corrigebat, vel infirmabat, vel novas sanciebat, multa in ritibus ac cerimoniis quotidie excogitabat inveniebatque. Erat ore macilento atque invenusto, sed nigris oculis ac vegetibus; corpore sicco, sed sano, voce acuta, sed efficaci; verbis abundans, ita tamen, ut nemini esset oblocutor, sed suam cui-

que

que sermonis partem relinqueret; multæ in eo facetiæ, magna exemplorum ac sententiarum copia, quæ illi suo quæque loco veniebant in mentem, ubi vel risum movere, vel proficere aliquid possent. Nihil cuiquam nocuit, sed profuit plurimis; & qui intulerunt illi injurias, haud inultas eas abstulerunt; inprimis ille, qui de hæreditate Cardinalis a Monte tantam ei invidiam periculumque creaverat, vix diebus octo post eum diem, quo hæreditatem adierat, est lethalis morbi vi impetuque consumptus.

POMPEIUS VGONIUS.

Optimis atque sanctissimis Concilii Tridentini legibus sanctum est, ut in quavis diœcesi plures adolescentes clerici alantur, ex quibus, liberalibus disciplinis, sacris præsertim, institutis, Sacerdotes ad quævis Ecclesiastica munera, & ad curam animarum in primis, capiantur; quorum domus Seminaria appellantur. Itaque cum Romæ complurimum præstanti ingenio adolescentium delectus haberetur, venit in hunc numerum Pompejus Vgonius, qui in perdiscendo ita multorum cursum, ingenii celeritate, transcurrit, ut illi vix in eodem curriculo fuisse viderentur. Nam is, ut ita dicam, jam ad calces pervenerat, cum illi pene e carceribus prodiissent. Sed præsertim eloquentia, tum in soluta oratione, tum in numeris adstricta, pluribus præstitit. Erat illi orationis genus purum, liquidum, enucleatum, ac profluens, sine cincinnis fucoque puerili: quod quia Iacobo Cardinali Sabello, cujus imperio Seminarium regebatur, in primis probabatur, tali ingenio, familiarium suorum numerum auxit; & quoniam res illi erant paupercula, adeo ut ferme ad necessarium usum omnia deessent, sacerdotium eidem, in Basilica D. Petri Vaticana, satis locuples impetravit, unde suppeditare suis sumptibus posset. Hinc cœptus est adhiberi ad funebres summorum Pont. Cardinalium, aliorumque clarissimorum virorum laudationes habendas, ac primum, Card. Sabellum, tum Vrbanum VII, Leonem XI, ac sæpius Leonem X, Cardinalem ab Austria, Salviatum, aliosque lau-

laudavit. Habuit etiam alias quoque orationes egregias, in facello Pontificio, in gymnasio Romano, aliisque publicis in locis, quæ vagæ atque dispersæ, a religioso viro & Vgonii famæ studioso, in unum volumen coguntur, ut in vulgus edantur. Verum sermonis elegantia, quam actionis etiam dignitas decorabat, eam sibi eruditi eloquentisque viri famam confecerat, ut ad humaniores literas in gymnasio Romano non levi stipendio, cui deinceps aliqua semper accessio facta est, juventuti tradendas, evocatus sit; quem antea locum M. Antonius Muretus, eruditione eloquentiaque, omnium ætatis suæ facile princeps, obtinuerat: quod munus Vgonius, non sine laude, usque ad extremum spiritum vitæ sustinuit. Docuit etiam eodem tempore Rhetoricam in collegio Salviato. Instituerat per id tempus Ascanius Card. Columna, M. Antonii filius, insignem domi suæ bibliothecam, ejusque custodiam Vgonio mandaverat; quam ille occasionem nactus, cum abundaret copia librorum, vernacula lingua, insigni volumine, quod postea edidit, earum Ecclesiarum historiam complexus est, quæ per dies singulos Quadragesimæ, Pop. Rom. frequentia celebrantur. Verum cum ex iis muneribus, quæ diximus, octingentos fere quotannis aureos caperet, homo in re familiari tuenda indiligens, & vanis in rebus occupatus, semper egebat, & in magno ære alieno inveniebatur; adeo ut non esset, unde mortuo funus fieret, nisi Petri Card. Aldobrandini, qui eo tum ad bibliothecæ suæ custodiam utebatur, benignitas subvenisset; qui aliquot ad id aureos, cognatis illius deferendos numerandosque curavit. Reliquit historiam earum Ecclesiarum, quas diximus, & carminum volumen.

AVRELIVS VRSVS.

OMnia fere Romanorum adolescentium ingenia, prima illa satione in eam, de qua diximus, domum, tanquam in aliquam segetem, data, magnos atque uberes ex se fructus dedere; ut Hieronymus Badessa, in quo magnum fuit Cardinalis ejusdem Sabelli aulæ ornamentum

tum & decus; & Septimius Cininus, qui eleganti ingenio, atque omni liberalium artium genere excultus, nunquam potuit, ex adversæ fortunæ egestatisque sordibus, ad aliquas opes & honores emergere; aliisque, quos domus illa, velut ager, extulit. Nec mirum. Nam tum locus ille non dabatur commendationi & gratiæ, sed solum virtuti industriæque patebat; neque quisquam eum in numerum admittebatur, nisi cujus ingenii periculum factum esset in literis. Verum ex omnibus, qui in fertili illo solo sati, magnos ex se truncos ramosque procrearunt, Aurelius Vrsus in eam altitudinem excrevit, atque ita late ramos effudit, ut umbræ magnitudine multorum luminibus officeret, vel inter eos potius, tanquam inter virgulta, cupressi instar habere videretur. Qui quamvis, in omnibus iis artibus, quibus se dedisset, nemini æqualium suorum cederet, tamen omissis ceteris studiis, præstantissimum ingenium contulit ad epigrammata scribenda, in quibus adeo excelluit, ut ætas nostra habeat, quem non modo cum veteribus illis, qui in hoc eodem carminis genere versati sunt, Latini sermonis puritate, nitore, elegantia, ac sententiarum acumine conferat, verum etiam eisdem anteponat. Vt Vrbanus VIII, poëtarum maximus, non alio magistro se jactet, atque de extruendo eidem e marmore sepulcro cogitasse dicatur. Ex hujus quasi luminis claritate, Alexander & Odoardus, Cardinales Farnesii, aviæ suæ splendorem quæsiere; in quorum domo heroico carmine Alexandri Ducis res gestas complexus est, præclaro illo quidem, sed nequaquam ejus laudibus anteponendo: nam in eo est inventus se ipso inferior. Ea erat ingenii celeritate elegantiaque, ut in amicorum conventibus & in conviviis, si se daret occasio, argutissima epigrammata funderet ex tempore; ut in secessu Caprarolæ accidisse narratur, ubi æstivo tempore aulici omnes, qui in comitatu eorum Cardinalium erant, tum mane tum vesperi una convivium agitabant: nam cum ad eos, qui in prima atque ultima mensa sedebant, utpote vel munere, quod gererent, vel generis nobilitate ceteris præstantiores, pulli, lepores, artocreata, placentæ, aliaque ejusmodi delicata obsonia confluerent, eorum au-

autem ventribus, qui mensæ medium tenerent, paucorum ac vulgarium ciborum commeatus properaret, in illorum, qui longe nitidius aliis curarentur, felicitatem lepido epigrammate, hoc hexametro carmine concluso, facetissime lusit: *Errant, qui dicunt, medium tenuere beatos.* Mortuus est, non admodum ætate provectus, cum elegantissimum carminum suorum librum edidisset.

ANTONIVS ONGARVS.

INclyta Farnesianorum Principum aula, non solum rerum gestarum gloria, verum etiam optima quæque ingenia alendi fovendique laude floruit. Etenim jam inde usque ab ejus nascentis exordio, exquisitos, e toto orbe terrarum, liberalium artium antistites evocavit, ornavit opibus, & honoribus auxit. In iis numeratur Antonius Ongarus, poëta perfacetus ac dulcis; cui si longius tempus ingenii augendi & declarandi fuisset, poëticum illius ingenium ad summam poësis laudem pervenisset. Nam, ut illis rhythmis apparet, qui adolescentium ingeniosiorum manibus teruntur, multa ejus sunt egregie inchoata, nihil plane perfectum, quod celeri morte interceptus, extremam illis manum addere non potuerit. Edidit etiam insignem fabulam piscatoriam, Amaryllidi nomine; quæ quoniam eodem erat argumento, quo olim Torquatus Tassus Amyntam suum, pastoritiam Eclogam, fecerat, & quia per maritimos homines, & in aqua, more piscium, vitam agentes agebatur, sicut illa a terrestribus ac montanis; vulgo, joci causa, Amynta madidus appellabatur. Neque in illo lepido facetoque carminis genere minor est habitus, in quo Bernia princeps enituit. Nam Franciscum Panicarolam, concionatorem sui temporis longe eloquentissimum, per epistolam facetissimam adiit, rogans eum, ut novem speciosissimas virgines, summo loco natas, novem videlicet Musas, ad egestatis terminos prope redactas, populi misericordiæ commendaret; ac meretricem in primis nobilem, quæ suas immani precio scortatoribus noctes elocabat, in hanc sententiam Etrusco facetoque allocutus est carmine:

Si

Si mihi nocte una contingant gaudia de te,
Efficiam fulvo nitidoque ex ære capillos
Ipse tibi, oraque mista rosis niveisque ligustris,
Atque ebore ex Indo pectus collumque coruscum;
Et reddam roseis spectanda labella pyropis,
Unionumque simul, pro dentibus, agmina tradam.
Quod tibi si nummi potius, quam munera tanta,
Sunt cordi, jam læta vale; nil te moror ultra.

Obiit florenti etiam tum ætate, magno iis, quibus erat unice carus, dolore ac luctu relicto.

IOSEPHVS CASTALIO.

SI egregia optimi cujusque in Rep. civis virtus atque præstantia ad ejus urbis, in qua natus atque altus est, laudem & gloriam pertinet, est profecto quod Ancona, Iosepho Castalione cive & alumno suo, se jactet atque glorietur. Ita enim docte, ita eleganter, ita commode scripsit, tum soluta oratione, tum versibus, ut sit difficile judicare, utrum ille melior fuerit orator, quam poëta; ita artium elegantissimarum scientiam, antiquitatis notitiam, Græcæ Latinæque linguæ eruditionem, cum dicendi elegantia varietateque conjunxit, ut non posses statuere, utrum verborum magis, quam rerum copia, ejus redundaret oratio. Plura edidit opuscula, quam quisquam alius, qui una esset ætate: nam domi semper aliquod sive carmen, sive orationem, sive eruditam de re aliqua dubia disceptationem, sive de Jure civili controversiam (fuit enim I. C.) constructam habebat, quam foras, cum esset opus, emitteret. Scripsit Sylvii Card. Antoniani vitam, quem tum rationibus, tum publicarum tabularum testimoniis, ab eorum calumniis vindicare conatus est, qui illum a parente, minus justa uxore, genitum asserebant; variarum lectionum libellum, aliumque de antiquis puerorum prænominibus opusculum a se elucubratum edidit; eruditum item de columna triumphali Imp. Antonini commentarium, Sixti V Pont. nomini inscriptum emisit; aliaque plura frequenter typis excudenda curavit, quibus nominis sui famam posteritatis memo-

riæ commendaret, ac propemodum extinctam apud transalpinos de Italorum eruditione laudem revocavit. Audivi de Meursio Batavo, se fuisse Lugduni Batavorum, cum illuc est allatus hujus variarum lectionum liber, atque fuisse eum omnium cum risu exceptum, quod existimaretur, luteum esse negocium, nec dignum quod lucem aspiceret, quoniam nullum jam diu eruditum opus ab Italia prodiisset; sed simul inspectum, adeo probatum esse, ut sententiam mutaverint, statuerintque, esse Italis ingenium, dummodo adsit studium & exercitatio. Docuit humaniores literas Thomam primum de Avalos, tum Ducis Soræ filios. Vxorem forma egregia & florenti adhuc ætate, Corneti, quam urbem Prætoris nomine administrabat, amisit.

HIERONYMVS MAGAGNATVS.

QVoniam non est unum ac simplex scribendi carminis genus, sed varium ac multiplex, quæque in eo continentur, quamquam dissimilia inter se, consimili laude dignantur; ideo inventi sunt plures, qui in dispari carminum ratione parem sunt laudem consecuti. Sed quid ego vetera conquiram, cum mihi liceat recentibus uti exemplis? Hieronymus Magagnatus, non Ducum maximorum res gestas, epico atque sublimi complexus est carmine, non adversas Regum fortunas deducens in actus & populo spectandas proponens, tragica est in arte ampullatus; nec teneros puellarum amores lepidis versibus ac mollibus lusit, neque rura ac pascua cecinit; sed res ludricas incredibili venustate tractavit, sed in primis obscœnas ac turpes, nec turpiter nec obscœne, sed honestis vocabulis atque translatis pluribus inter se connexis, ut aliud dicatur, aliud intelligendum sit, ea hilaritate iisque facetiis exposuit, ut hac in re par ei laus, atque iis, qui in dissimili scribendi genere versati sunt, tribuenda esse videatur. Scripsit etiam faceto carmine Regum Romanorum vitas; quæ sunt quidem in hoc genere elegantissimæ, sed nihil ad ea, quæ sub honestis nominibus turpe argumentum includunt; in quibus ita præstitit, ut, mea sententia, omnibus, qui ad hanc

hanc diem idem ſunt conati, palmam eripuerit. Diu commoratus eſt Romæ, ubi facetiſſima illa poëmata, de quibus commemoravimus, fecit; ſed cum ibi fortuna minus ex animi ſententia uteretur, ea urbe relicta, Venetias ſe contulit, ubi fere perpetuo, quod reliquum vitæ fuit, exegit.

DOMINICVS GYMNASIVS.

EST oppidum in Æmilia, Caſtello Bononienſi nomine, quod ſemper Romam inſignem aliquem, vel doctrina virum, vel Reip. bene gerendæ ſcientiæ præditum, miſit. In his ætate noſtra Dominicum Gymnaſium, patre medico ea tempeſtate facile principe genitum, attulit; qui medicæ facultatis laudem una cum maximis divitiis a parente relictam neglexit, atque totum ſe, primum ad juris civilis rerumque divinarum ſcientiam, tum ad Remp. capeſſendam contulit, ac virtutis via ad ſacræ faſtigium purpuræ per omnes honorum gradus aſcendit. Quo in munere fuit purpuratis omnibus exemplo, quibus potiſſimum in ſtudiis, quod vacui a negociis temporis datur, æquum ſit conterere eos, quorum præſidio res præſertim Chriſtiana munitur. Nam duobus voluminibus editis, omnes Regii vatis pſalmos, ex ſanctorum Patrum ſententia, interpretatus eſt. Vixit usque ad extremam ſenectutem; ac paternis in ædibus, quas ipſe maximis ſumptibus, regium plane in morem, auxerat, perpetuam ſacrarum Deo virginum ſedem domiciliumque conſtituit; atque aliquam earum partem ſtudioſis adoleſcentibus popularibus ſuis attribuit, ubi victus illis quotidianus præbeatur, quoad a magiſtris liberalibus diſciplinis inſtituuntur. Verum ille, anteaquam honorem purpuræ adipiſceretur, Nuncius Apoſtolicus profectus eſt in Hiſpaniam; quod ibi munus ita Clementis VIII ex animi ſententia geſſit, ut honore illo dignus exiſtimaretur.

AVGVSTINVS VALERIVS.

AVgustinus Valerius Venetus, ab origine ultima ex patricia stirpe genitus, jam inde ab ineunte ætate bonis artibus, ac pietati ac religioni in primis deditus fuit; neque id commisit, quod non parum multi committunt, ut elegantiam doctrinæ a vita probitate sejunctam haberet: & cum primum a Patavino gymnasio optimis disciplinis institutus, Venetias se recepit, moralis Philosophiæ præcepta, quæ a magistris acceperat, publice suis civibus tradidit; ita tamen, ut non tam verborum ac sententiarum copia, qua multis præerat, quam moribus, cum ea disciplina, quam profitebatur, congruentibus, honestæ vitæ præcepta, auditorum animis propemodum infigere videretur. Nunquam enim in eo, sive privato, sive Cardinali, sive Episcopo (cum ex pastoris munere, quod gerebat, grex sibi commissus, ad sanctissimos mores & Christianæ vitæ disciplinam erudiendus erat) in eo, inquam, illud ita absonum, ita absurdum, ita discrepans extitit, quod tantopere reprehenditur, nimirum dissidium cordis & linguæ. Etenim, ex Caroli Card. Barromæi, cujus res gestas scripsit, exemplo, plus dabat, quam prædicabat, ex se pietatis, religionis, sanctitatisque. Latinas literas a viris ea tempestate eruditissimis, quique eloquentiæ principatum tenere existimabantur, didicit. Loquebatur Latine expedite atque dilucide: itaque ejus oratio nitida, profluens, ac sedato amni similis erat; at cum vulgari sermone erat dicendum, inveniebatur sui dissimilis: nam hæsitabat, & in verbis inveniendis collocandisque, cum ea ad voluntatem non sequerentur, hærebat. Sed summa popularium suorum, nobilium præsertim, voluntate creatus Episcopus, per multos annos, admirabili quadam laude, Veronensi Ecclesiæ præfuit. Deinde absens, a Gregorio XIII in Cardinalium numerum delectus, magno, tum ordini illi amplissimo, tum patriæ, cujus erat amantissimus, splendori ornamentoque fuit. Supra centum ac viginti opuscula Latino sermone scripsit, atque eadem lingua undeviginti dialogos, de æstivo ca-

canis ortu, quos in aula maxima Ædium S. Marci Romæ recitavit. Scripsit alia complura, tum Latine, tum vernacule, quorum argumentum nullum est aliud, nisi de rebus sacris, vel ad mores componendos pertinentibus. Verum annos natus quinque & septuaginta ac plus eo, cum a Paulo V. Venetiæ sacris interdictæ essent, conjectus in morbum, ex ægritudine, Romæ decessit.

IO. IUVENALIS ANCINA.

NVllum, ex Christi domini sententia, ne excogitari quidem potest, neque certius, neque clarius egregii pastoris documentum, quam si ille nullos pro ovibus sibi traditis labores subterfugiat, nulla pericula reformidet, nullos corporis animique cruciatus doloresque deprecetur. Etenim, hac una præsertim in re, verus pastor a simulato, gratuitus a mercenario, dignoscitur. Verum hac nostra ætate, Io. Iuvenalis Ancina Salutiarum Episcopus, si quisquam alius, perfecti functus est munere pastoris atque Pontificis; qui non modo innumeros pro Ecclesia sua labores suscepit, ac maxima pericula adiit, verum pro ea etiam mortem non recusavit oppetere. Nam cum improbum religiosæ cujusdam familiæ virum a sacrarum Deo virginum septis repelleret, qui circum loca illa, magna hominum cum offensione, obambulabat, ab eo creditur per summum nefas veneno fuisse sublatus. Ortus est Fossani, in Subalpinis, patre honesto ac probo; qui docile pueri ingenium magistris tradidit, liberalibus disciplinis erudiendum. De cujus profectu existimare licet ex versibus, quos adolescens scripsit elegantissime; ac præsertim ex eo poëmate, quod de Academiæ Subalpinæ laudibus edidit. Erat autem in puero, præter docilitatem ingenii, summa probitas, quam nec liberior vivendi potestas, nec ætatis fervor, nec lubricæ adolescentiæ viæ, de statu dimovere potuerunt; sed semper recta omnem vitæ suæ cursum, sine casu ac prolapsione, confecit: quare constans erat omnium opinio, nullam eum unquam pudicitiæ suæ vel alienæ labem intulisse, sed usque

ad

ad extremum vitæ spiritum se integrum incorruptumque servasse. At posteaquam robustior est factus, medicæ artis, cui, post primam illam puerilem institutionem, studium suum dederat, docendæ exercendæque facultatem adeptus est; quo in munere ita se præbuit, ut brevi in cisalpinis regionibus celebratum suum nomen esset, eumque Federicus Madrutius, qui ducis Sabaudiæ primum, tum Rodulphi Imperatoris Orator, Romam est profectus, medici loco secum adduxerit. Vbi viros longe doctissimos consuetudine sua sibi devinxit; videlicet Franciscum Toletum, Martinum Navarrum, M. Antonium Muretum, Robertum Bellarminum, Sylvium Antonianum, Franciscum Panicarolam, aliosque, qui inter doctos eruditosque principatum obtinebant. Verum cum illi pietatis igniculi, quos, cum illo ortos diximus, ita crevissent, idque illi in pectore & in corde incendium facerent, ut non posset obsisti; de tota vitæ ratione commutanda cœpit cogitare; ac primum Galeni medicorumque disciplina, a qua profectus fuerat, relicta, ad Thomæ Aquinatis Theologorumque scholam confugit: sed admirabilis vis ingenii non desideravit legitimum ejus doctrinæ, tanquam percurrendæ, tempus, sed brevi latissimos ejusdem quasi campos est mira celeritate emensus, ac sacris sacerdotalibus initiatus, deinde non istis sese terminis continuit, sed conatus est etiam intra cucullatorum fratrum septa se claudere: verum S. Philippi Nerei oratione, cujus arbitratu omnes vitæ suæ rationes administrabat, est a proposito deterritus, jussusque sacerdotum suorum numerum augere; in quibus quatenus omnium virtutum laude progressus sit, illud est argumento, quod jam diu de eo in sanctorum numerum referendo agatur. Multa ac pinguia sacerdotia, ultro ipsi oblata, repudiavit: sed tandem non potuit effugere, quin gravissimo Episcopalis muneris oneri, Clementis VIII jussu, cervices subjiceret. In eo vero animi sui moderationem, atque animarum salutis non utilitatis suæ studium, declaravit, quod aliquot ipsi propositis Ecclesiis, rectoribus suis orbatis, ejus, quam vellet, eligendi optio data esset, eam amplexus est, quæ esset ceteris opibus inferior, sed laboribus periculisque su-

superior, Salutiarum nimirum Cathedram, in cujus diœcesin Calvinianæ hæresis contagio pervaserat. Hujus de vita & moribus plura persecuti sumus in eo libello, quem separatim de eo scripsimus; ad quem, qui plura scire expetunt, delegamus.

COMES FAVSTVS VERDELLVS.

COmes Faustus Verdellus, Cremæ vetere ac nobili prosapia ortus, a puero patria relicta, omnem fere ætatem procul ab ea habuit. Sed plurimum versatus est Venetiis, ibique Ducum Bavariæ aliorumque virorum principum negociis, summa cum fidei ac probitatis laude præfuit, non sine aliqua ejus senatus offensione; cui solet esse molestum, vel suspectum potius, hominem sibi subjectum externorum Principum dare operam negociis. Sed cum in hoc vitæ genere, atque in ea urbe, multos alienis rebus annos tribuisset, quod reliquum erat vitæ, sibi deberi statuit. Itaque Romam ad acquirendas colendasque Cardinalium amicitias se contulit; quorum plures, suavissimis suis moribus, ac libero ingenuoque ingenio, adeo sibi devinxit, ut eis familiarissime uteretur, ac domi suæ locum præberet, ubi ipsis lepide esset, ubi convivium inirent, ubi ad omnem animi remissionem hilaritatemque cum illo descenderent. Illud vero mire pium hominis animum religiosumque declarat, quod cum nec sacris initiatus esset, nec talari tunica pallioque uteretur, sed in sago brevique pallio incederet, omnia Ecclesiæ tempora, tum secunda tum adversa, inde ab ejus nascentis exordio usque ad nostram ætatem, pluribus voluminibus persecutus est; quorum primum, quod annorum mille res gestas amplectitur, edidit; reliqua alia, præter unum, cognatorum negligentia interierunt; quæ fortasse illi causa fuit Romam veniendi, ut bibliothecæ Vaticanæ, in quam multas se horas interdiu abdebat, sibi fores paterent. Sed annos jam nato octuaginta venit illi in mentem patriam invisere, ibique pauxillulum, quod reliquum erat, vitæ peragere; verum homo, ætate exacta, mitique Romani aëris temperiei assuefactus, cœli, cui ab ineunte ætate se sub-

subduxerat, vim varietatemque perferre non potuit: itaque paucos post menses, quam ab urbe discesserat, extremum ibi spiritum, ubi primum hauserat, edidit.

MVTIVS ODDVS.

LActantio Oddo Vrbinati, cohortis militum Vrbinatum Duci, pridie idus Octobris anni M D LXIX natus est filius; cumque incertum esset, quo eum nomine appellaret, placuit rem totam semel atque iterum ad sortem rejicere, atque plures in urnam sortes, variis nominibus scriptas, injecit, ut quod nomen exisset, id puer, tanquam cælitus datum, obtineret; atque bis sors educta est, in qua Mutii nomen erat inscriptum: itaque appellatus est Mutius, atque alendus nutrici traditus, quæ filiam utroque limine captam ediderat; quo factum creditur, ut ille vim longius aspiciendi amitteret. A prima adolescentia delineandi artem, a Federico Barovio, pictore eximio didicit; sed cum non posset, quia prospiceret parum, id, quod delineasset, coloribus vestire, se ad Mathematicarum artium studium transtulit, Barovio ipso hortatore, a quo monstrante, eam partem, quæ pertinet ad prospectum, acceperat; atque incredibili discendi studio inflammatus, impetravit a patre, ut proficisceretur Pisaurum, quo Io. Baptistæ a Monte, Mathematico præstantissimo ac singulari doctrina prædito, operam daret; quo duce & magistro, ingenii docilitate, celeriter adeo ad intima reconditæ & multiplicis subtilisque ejus artis penetralia pervenit, ut in summa Io. Baptistæ laude ponatur, quod vir talis ac tantus ab ejus disciplina prodierit. Neque id Io. Baptista ipse non intellexit, qui in quodam opere, quod edidit, tanquam in publicis tabulis, Mutium sibi discipulum contigisse gloriatur. Verum ubi ex scholastico illo pulvere atque umbratili exercitatione excessit, statim id, quod didicerat, in aciem & solem eduxit. Nam profectus in Burgundiam ad bellum cum auxiliaribus copiis, a Duce Vrbini sub Alexandri Brunonis ductu imperioque missis, bellicis machinis instrumentisque ad expugnandas urbes inveniendis præfectus, quantum in ea arte didicis-

esset, ostendit. Tum Francisco Mariæ II Vrbinatum Duci navavit operam architectus, quo tempore Clemens VIII Pont. Max. Ferrariam proficiscens, Vrbino iter fecit. Verum quia ii, qui in aulis Principum agunt, tanquam edito in loco positi, ab omnibus ventis invidiæ circumflantur, iique præsertim, qui sunt insignes ad laudem, ideo bis in magnum vitæ discrimen incidit; semel, cum in quodam Ducis negotio indiligentiæ, ne dicam fraudis, insimulatus, necesse habuit adversus iniquorum calumnias se famamque suam armis existimationi hominum vindicare, atque exilium patria sede commutare; iterum, cum rebus suis compositis, in patriam revocatus, ex epistola, in pera Ducissæ inventa, in qua Mutii nomen erat inscriptum, venit in suspicionem, egregiæ cujusdam cum Hippolyto a Ruere, Ducissæ patre, familiaritatis, a quo Dux capitali odio dissidebat. Nam Pisauri conjectus in arcem, singulis fere diebus expectabat, dum securi feriretur: id enim sibi fatum eo anno instare conjecerat ex affectione cæli, qua primum spiritum duxerat; id ipsum astruente Magino; qui ex vana atque inutili Mathematicorum disciplina simul adjecerat, si potuisset ejus anni calamitatem effugere, nullum ipsi posthac a securi periculum fore, sed multos annos lætos felicesque portendi. Eo igitur anno, unde tantus fuerat metus, elapso, cœpit ad se animum revocare; atque in emporia bibula charta (non enim melior suppetebat) carbone, in styli formam ædificato, instituit librum de horologiis conscribere, nullo librorum auxilio sublevatus; & quia erat periculum, ne literæ, male chartæ hærentes, exciderent, primum rationem invenit, qua bibulæ chartæ inter se plures cohærerent; tum in nucis juglandis putamen, tanquam in atramentarium, gossypii loco, lanam e culcitra detractam intulit, & carbone aqua diluto imbuit, in quam calamum ex arundine factum intingeret; postremo circinum, ex duobus olivæ ramulis, lino compactis, extruxit: ac per hanc rationem eos omnes libros composuit, qui Mediolani ac Venetiis impressi feruntur: videlicet, de Norma, de Fabrica usuque circini polymetri, de Horologiis solaribus. Sed demum e custodia dimissus est, ac Me-

Mediolanum relegatus, ubi de novo Mathematicarum disciplinarum doctore atque magistro in demortui locum subrogando agebatur; & quoniam locus ille a competitoribus multis expetebatur, statutum fuerat, ut literario certamini res tota committeretur, in quo, qui superior fuisset, illum obtineret: at non potuit se continere, quin ipse quoque una cum aliis in eam arenam descenderet; & factum est, ut pedem inde victor cum plausu referret, eamque docendi provinciam acciperet; quæ fuit causa conjungendæ cum Card. Trivultio aliisque summis Mediolanensibus viris amicitiæ, quos perpetuo auditores habebat. Ducis etiam Feriæ animum sibi devinxit, cum est missus ab eo, ad referendas urbium quarundam, situ manuque munitarum, descriptiones; a quo etiam torquem aureum pene trilibrem, muneris & honoris ergo accepit. Verum cum jam senex, aureorum aliquot millibus a Lucensi Rep. cui utilem ac fidelem operam præstiterat, locupletatus, domum se recepisset, ut ibi in ocio patriæ prodesset; invitatus est a Card. Trivultio, menstruis centenis aureis Mediolanum, ut ibi unus omnibus militaribus machinis præesset, suamque in cunctis de bello consiliis sententiam diceret. Sed has aliasque honorum ac divitiarum spes magnas mors importuna XVIII Kal. Januarii MDCXXXI diremit. Moriens opes, tanto a se labore partas, divino cultui amplificando attribuit: nam in præcipua Urbinatum ecclesia, ad veterum Canonicorum numerum alios ex eis duos addendos adscribendosque, testamento mandavit.

CHRISTOPHORUS CLAVIUS.

QUoniam in superiori capite facta mentio est de insigni ad mathematicas laudes viro, jam non potest sine piaculo præteriri Christophorus Clavius, Mathemathicorum nostri ævi facile princeps; quamquam ea est hominis claritas, ea ex suis ipsius scriptis notitia, ut nihil cujusquam laudationis officium efflagitet. Hic Bambergæ in Germania natus, statim a puero ad studium dimetiundi cæli ac terræ, ad quod fuerat a natura factus, acu-

acutissimum perspicacissimumque ingenium suum contulit; atque adeo recondita illa in arte & multiplici subtilique versatus est, adeo in summa mathematicarum rerum obscuritate se gessit, ut, tanquam si in obscurissimas aliquas regiones venisset, ingenii, quo præstabat, lumine magnum illis splendorem & claritatem attulerit: & quo perspicacior ad eas res cognoscendas & illustrandas accederet, cum non esset nescius, nullas esse crassiores iis tenebras, quas animis peccatum offunderet, ut suum integrum ab omni labe servaret, in Societatem Jesu, tanquam in munitissimam instructissimamque divinis præsidiis arcem se recepit, atque intra ejus claustra se contulit, ubi perpetuo, quoad vixit, clarissimum innocentiæ, demissionis animi, virtutumque omnium exemplum illuxit. Nullam ille Mathematicæ disciplinæ partem intactam reliquit, immo nullam emisit, quam non penitus intelligentia comprehenderit, dilucide explicateque docuerit, doctissimisque interpretationibus, tanquam nutrices omnia minima mansa infantibus in os inserunt, ita ille auditoribus suis, quo facilius perciperetur, quasi comminutam tradiderit. Cujus rei testem non alium, me ipso locupletiorem, possum adducere; qui, cum sim ingenio non ita acuto ac perspicaci, immo ad ea, ad quæ percipienda acris hominum intelligentia postulatur, hebete ac tardo, omnia tamen, quæ ab ipso dicerentur, ita assequi mihi videbar, ut etiam ausus sim, ipso audiente, mathematicum problema publice explicare. Quæ quidem tanta, in rebus obscurissimis & ab hominum intelligentia remotissimis, aperte atque dilucide tradendis facultas intimam planeque perceptam rerum earum notitiam scientiamque declarat. Atqui, ex omnibus ejus lucubrationibus, quibus in lucem prolatis, nominis sui memoriam, omnium sæculorum posteritati commendavit, Euclides, & sphæra Io. de Sacro Bosco, commentariis illustrata, est talis, ut in arce poni possit, quasi Minerva illa Phidiæ, in qua nihil est nisi absolutum atque perfectum. Verum in istud etiam tantum atque immortalitate dignum ingenium sæva mors, cui nihil est eximium, nihil intactum, nihil sanctum, vim & crudelitatem suam exercuit; sed

M in

in eo ſevitiæ ſuæ modum adhibuit, quod non antea eſt illi auſa manus afferre, quam maturitatem ſuam adeptum eum eſſe vidiſſet: nam ſenex Romæ in collegio ſuæ Societatis eſt mortuus. Fuit corpore procero plenoque, facie hilari, quæ omnium ſibi amorem ac reverentiam conciliaret.

ALOYSIVS LILIVS.

NVnquam Aloyſii Lilii Calabri memoria ex hominum animis excidet. Hic, medicus ac philoſophus doctiſſimus, ſolus perfecit, quod multi excogitarunt, pauci attigerunt, nemo perſolvit. Nam cum ita eſſent faſti perturbati, ut vix temporum ratio congrueret; Romani Pont. de iiſdem corrigendis, ſedulo cœperunt excogitare, ad id præſertim, ut Paſchatis feſtorumque dierum ex eo dependentium recurſus, ex certa ratione competerent; ſed cum usque ad Gregorii XIII. Pontificatus annum decimum, nemo ex cæleſtium motuum peritis (ob magnas ac fere inexplicabiles difficultates, quæ ab ejusmodi emendatione non poterant eſſe ſejunctæ) conſtanti ratione, ac ſæculis omnibus duratura, quæ in faſtis collapſa eſſet, reſtitui poſſe oſtenderet; delatus eſt Gregorio XIII ab Antonio Lilio, Aloyſii germano fratre (nam ille deceſſerat) exiguus mole libellus, ſed re maximus, qui rationem, qua fieri id poſſet, breviter ac dilucide complectebatur: nimirum, ut ex menſe Octobri anni 1582 decem dies eximerentur, ut quo die, verbi cauſa, eſſe oporteret IV nonas Octobris, idus ejusdem proſcriberetur; ita enim fore, ut deinceps anni tempora cum ſolis lunæque ratione congruerent, &, quod caput eſt, æquinoctium vernum in eam ſedem rediret, unde poſt concilium Nicenum, decem dierum ſpacio aberraverat. Itaque liber, pluribus exemplis deſcriptus, miſſus eſt in omnes orbis terræ Academias; præterea delecti hic Romæ complures doctiſſimi in hoc genere viri, in quibus Chriſtophorus Clavius principem locum obtinebat, quorum ille cenſuræ ſubjiceretur; ſed diligenter, quæ ille afferret, inſpectis excusſisque, ſumma omnium approbatione receptus eſt, affirma-

matumque, nihil eo fieri potuisse perfectius. Quocirca Rom. Pontifex amplissima constitutione decrevit, ut, veteribus fastis explosis ejectisque, deinceps, quæ essent ab Aloysio correcti emendatique, ad Pascha, eosque dies festos, qui ab eo derivarentur, inveniendos celebrandosque adhiberentur. Quamobrem tantum hominis ingenium, unde tam ingens utilitas fructusque Ecclesiæ universæ emanavit, dignum est, ut nunquam ex hominum memoria labatur & cadat, sed in omnium sermone ac celebritate versetur.

CURTIUS MARIGNOLLUS.

QVantum improbi atque corrupti hominum mores ad evertendam omnem ingenii commendationem valeant, in Curtio Marignollo, cive Florentino, perspicuum est maxime. Fuit hic ingenio elegantissimo acerrimoque, sed vitæ genere spurcissimo inquinatissimoque. Nam cum egregiam a natura ad poësim indolem hausisset, adeo ut nemo, qui una ætate esset, neque plures neque meliores versus efficeret, nullum unquam argumentum, nisi obscœnum ac turpe tractavit; & quondam objurgatus ab iis, qui ejus confessiones excipiebant, admonitusque, ut illam vim ingenii, a rebus obscœnis ac turpibus, ad serias honestasque transferret, palam respondit, non posse se aliter, etiam si maxime cuperet, scribere: verum cum illi instarent, urgerent, ut experiretur, fore enim ut a divini auxilii ope non destitueretur, factum est, ut ille sæpe eadem & graviter audiendo vinceretur, ac poëmatium faceret, quo præteritæ vitæ sordes detestari videbatur, cujus illud erat initium: *Ferte procul, &c.* ridicule; non potuit dicere, nihil sibi commercii cum iis flagitiis posthac fore, quibus adhuc affinis fuerat, nisi obscœnas ac turpes voces, quibus insanierat, meminisset, in eisque referendis, nihil circuitione uteretur, sed, tanquam ex Stoicorum schola profectus, qui nihil obscœnum, nihil dictu turpe putabant, suis eas nominibus appellaret. Vnde apparebat, naturale in eo bonum degenerasse vitio depravatæ consuetudinis. Quod si genio indulgere noluisset, nec omni

verborum turpitudine, fœdisque amoribus, sua scripta inquinasset, magnum in poëtis Etruscis nomen haberet. Nemo, ut diximus, qui una esset ætate, neque plures, neque meliores illo versus faciebat; sed quoniam fas non erat, flagitiosis carminibus peccandi libidinem excitari, audaciam ali, corroborari impudentiam, ideo edictis Principum, ea carmina erepta sunt adolescentium e manibus, eique, Florentini Antistitis decreto, sacris interdictum, qui esset ausus ea apud se habere vel legere. Bis, in judicio capitis, vitæ discrimen adiit, semel in Hispania, cum improbus amator, manifesto in flagitio deprehensus, prope pœnas legibus dedit; deinde Florentiæ, cum apud fidei causarum quæsitores accusatus, quod res divinas in ludum jocumque converteret, causam capitis dixit. Nulla erat tanta vis argenti, quam flagitiosæ ejus libidines non exorberent. Nam quis est fluvius, quem non excipiat mare? Ac pater absens, qui eo emungebatur argento, quæsivit sæpe per literas, quid sibi opus esset tot nummis, quibus nunquam expleretur? cui ille, ad sanitatem, inquit, tuendam; tanquam si voluptatibus amplectendis, non autem prætermittendis, optima corporis valetudo quæreretur. Quæ cum patri non satis justa causa videretur, atque instaret quærere, quemnam ad usum tantam pecuniam conferret, ille, quasi commotus, Quid tibi vis dicam? respondit, id unum scio, me non eam perditum ire, sed cum Prudentia consumere; hæc erat meretrix, Prudentia nomine, qua cum rem habebat. At parens, cui ea sanitas & Prudentia non placeret, quæ tanto suo sumptu pararetur, suam in filium benignitatem clausit, ac pecuniam mittere desiit: quamobrem ille est coactus ab amico mutuam eam sumere. Scis, quanto sit facilius accipere pecuniam, quam reddere; idcirco fiebat, ut, qui mutuaverat, cum eam sæpius repeteret, nihil nisi logos & nugas meras referret; qui tandem iratus, postquam, inquit, me ita frustraris ac ducis, hac relicta, alia insistam via, longe breviori: intelligebat enim, se apud judicem, quod sibi deberetur, repetiturum: at malus dissimulans se intelligere, quod intelligebat, age, inquit, ut lubet, si tu brevem inibis, ego longam persequar viam; atque ea-

eadem opera equum poſcit, ornat, inſcendit, & recta in Galliam advolat. Corpore fuit puſillo, ſed in armorum tractatione, levi expeditoque, & in certamine ineundo, animo acri atque præſenti.

ANTONIVS DECIVS.

Locuples & amœnum Antonii Decii Hortini ingenium, omnemque ab eo perceptam, dignam libero homine, diſciplinam cum cetera ejus ſcripta, lyrico ſtylo confecta, declarant, tum maxime Aripanda, nobilis ejusdem tragœdia demonſtrat, quam, ſplendore verborum, multitudine ſententiarum, majeſtate argumenti, non video, cui earum debeat cedere, quæ Etruſca lingua ſcriptæ leguntur. Hæc, ſimul ac typis impreſſa communem lucem aſpexit, incredibili omnium plauſu, ſummaque Fabii Vrſini, in cujus primum nomine apparuerat, excepta, viſa eſt etiam admirabilis Torquato Taſſo, non epici tantum carminis principi, ſed ſcriptori tragœdiarum eximio, qui cum illi magnus amicitiæ uſus neceſſitudoque intercedebat: nam cum eo ſæpe, qui, ob id, quod parum animo valeret, ſermones hominum conventusque vitabat, in via incedentem, colloquentem, & in foro Agonali, Romæ, ambulantem, multaque ibi ſpacia facientem aſpeximus; ut ſi Antonii laudibus cetera alia argumenta deeſſent, hæc tam egregia cum illo familiaritas, ſummum in eo ingenium, excellentem doctrinam, atque admirabilem poëticæ facultatis artem fuiſſe convinceret: cui enim ille placere non oporteat, qui tantopere Torquato Taſſo probatus extiterit? Sed hunc quoque celerius mortalis conditionis tanquam æſtus abſorbuit, quam bonæ literæ, amicorumque, quibus ille erat jucundiſſimus, ſtudia depoſcerent. Quod ſi longior illi vitæ hujus uſura contigiſſet, multos, quos conceperat, partus edidiſſet. Verum, pauci erepti, ejus vitæ anni, ea quam adeptus eſt nominis immortalitate compenſantur.

THOMAS GIANNINVS.

IN Thoma Giannino Ferrarienſi verum eſſe apparuit, quod dicitur a pleriſque, unumquemque ad ſingularum artium ſtudia a natura fieri procrearique; nam adfuit in eo philoſophicum plane ingenium: etenim puer, ab eo quo intus agitabatur impulſu, in philoſophorum palæſtram adactus, vix in ea pedem poſuerat, cum involutas implicatasque philoſophicas diſputationes evolvebat explicabatque; magis naturali bono, quam aliqua adhuc adepta labore ſtudioque doctrina: verum ipſe animum ſuum, tanquam inceptum atque dolatum a natura opus, ita expolivit perfecitque, ut nihil eo videretur eſſe perfectius. Neque in una tantum Philoſophiæ parte elaboravit, in eamque, ut nonnulli, tanquam in brevem aliquem gyrum, induſtriæ ſuæ conatus incluſit, ſed univerſas complexus eſt, adeo ut quoties res aliqua ad unamquamque earum pertinens, in diſputationem diſceptationemque deduceretur, ita de ea differebat, ut ſi omiſſis ceteris, illam tantum ſibi partem, in qua elaboraret, ſe poſuiſſet. Nimirum ampliſſimum illud nec certis quibusdam terminis contentum hominis ingenium, majorem latioremque requirebat campum, in quo poſſet excurrere. Puer nullum aliud fere iter noverat, niſi a domo ad gymnaſium, & rurſus a gymnaſio ad domum; adeo diſcendi cupiditate flagrabat, ut non quies, non remiſſio, non æqualium ſtudia, non ludi, incenſum ejus ſtudium extinxerint, vel minus fervens effecerint, nec celerem & incitatum ad ſapientiam curſum retardarint; ita in veterum lectione librorum immorabatur, ut ſæpius ex eo auditum ſit, cum diceret, nullum eſſe in ſua bibliotheca, librorum confertiſſima, volumen, quod non frequentiſſime evolviſſet, tractaſſet, ex eoque quaſi apis, quidquid ſucci & ſuavitatis haberet, non delibaſſet. Puer adhuc (nondum enim decimum ac ſeptimum ætatis ſuæ annum expleverat) in publico Ferrarienſium gymnaſio, unanimi omnium magiſtrorum conſenſu, Philoſophiæ Medicinæque Doctoris nomen & inſignia percepit. Eo igitur honore

re auctus, in suam se bibliothecam inclusit, in eaque quinquennium fere delituit. Sed quemadmodum arbores virentes atque frugiferæ, eo lætiores procerioresque proveniunt, quo altiores in terra radices defixerunt: ita etiam multiplex hominis, rerum maximarum, scientia, ideo in eam postea altitudinem se extulit, latitudinemque diffudit, quam admirati sunt omnes; quia ille in intimam earum rerum cognitionem atque notitiam, quasi in aliquod solum, domestica illa atque umbratili quinque annorum exercitatione, mentis aciem, tanquam radices immiserat. Verum cum jam id, quod tot annorum labore studioque perceperat, ex domesticis parietibus, quasi tenebris, in lucem eduxisset, ita cupidos literarum in sui admirationem attraxit, ut plerique adolescentes nobiles, disciplinæ ad eum causa concurrerent: in quibus instituendis exercendisque, gratuitam non mercenariam operam locabat, non aliam laborum suorum mercedem expetens, nisi laudis & gloriæ. Ac fiebat, ut discentes in quatuor vel quinque classes distribueret, eosque variis multumque inter se distantibus disciplinis imbueret: verum cum major ad eum auditorum turba conflueret, quam ut domus una posset capere, habuit necesse civitas Ferrariæ, ex parietum privatorum angustiis hominem, una cum sua schola deductum, in publici gymnasii amplitudine collocare atque statuere, ac novo exemplo, ob singularis virtutis meritum, eam illi docendi provinciam tradere, quæ publico decreto, externam civitatum alumnis debebatur. Verum istuc tam præclarum patriæ judicii testimonium, ipsi delatum, tanti semper fecit, adeoque semper in memoria retinuit, ut a tribus celeberrimis Italiæ civitatibus, Bononia, Patavio, Pisisque, magno stipendio ad docendum evocatus, nunquam privatas utilitates & commoda, patriæ caritati anteponendas esse statuerit, nec putaverit sibi esse tanti, divitias, quantumvis maximas, vel levi ingrati animi nota comparare. Sed cum jam duos supra octuaginta annos explesset, calculo, sive in renibus sive in vesica incluso, urinæ meatus intercludente, mejendi simul ac vivendi finem fecit. Qui, quamvis admodum senex sit mortuus, tamen, ob excel-

lentem virtutem, videtur omnium mori non debuisse. Illud etiam de eo memorabile commemoratur, quod cum libro Theologicarum disputationum, quem extremo illo vitæ suæ tempore in manibus habebat, animam exhalaverit; quod inexplebilem in eo discendi sitim ostendit.

ALDVS MANVTIVS.

Aldus, reliquum familiæ Manutiæ, Sixto Quinto Pont. Romam venit, adeo modicis facultatibus, ut illi necesse fuerit, aliquot centena aureorum fœnori sumere, & quod est gravissimum, usura centesima, quæ pro vectura bibliothecæ suæ solveret; quam Venetiis usque advehendam asportandamque curaverat. Quo ex ære alieno, tam justam ob causam facto, ut ipse in quadam sua ad Silvium Antonianum, tum Pontificii Clementis VII, cubiculi præfectum, epistola indicare videtur, vix unquam liberare se potuit. Ac primum mulierem, quam in matrimonio habebat, tanquam contra leges ductam, dimisit; idque maledici nulla alia ratione ab ipso factum divulgaverant, quam ut pingui aliquo sacerdotio sublevare eam, qua tum premebatur, inopiam posset. Tum advenienti hospitium & quotidianus cibus in ædibus Vaticanis est præbitus. Sed cum sæpius, studia sua jacere, ingenium languere, eas artes, quibus sponte sua, & patris diligentia, operam omnem dedisset, nullius utilitati & commodo cedere quereretur; humaniores literas in gymnasio Romano publice docendi provinciam, Thomæ Coræi morte, magistro destitutam ac vacuam, summa omnium voluntate studioque obtinuit, quæ esset quasi theatrum illius ingenii, ac vocis eruditæ ac Romanis auribus dignæ. Sed tum licuit admirari, vel potius deplorare abjectam depressamque bonarum artium conditionem; tum licuit, sed non sine fletu, aspicere humanarum literarum precia, quæ olim veteres ferebant in cælum, juventutis, quæ tum erat, æstimatione sic concidisse. Etenim cum illi olim eloquentiæ adipiscendæ gratia, maria transmitterent, longissimas peregrinationes susciperent, Græciæ Asi-

Asiæque civitates obirent, ut exquisitos in eis dicendi magistros invenirent, audirent, salutarent, atque eorum ex ore, tanquam ex fonte, eloquentiæ præcepta haurirent; contra isti, quem sine itinerum molestia, sine sumptu, sine labore, habere poterant, Græcæ Latinæque eloquentiæ doctorem eximium ac singularem, contempserunt; neque eidem, utriusque linguæ copiam pollicenti, aures admovere voluerunt. Nam, qua hora, discipulorum multitudini eloquentiæ præcepta tradenda erant, a corona derelictus, ante scholæ ostium cum uno aut altero obambulabat. Nulla Ciceronis operum pars est, quam ille commentariis vel notis non illustrarit. Scripsit de quæsitis per Epistolam libros tres, Orthographiam, notas ad Censorinum de die natali, multaque præterea alia Etrusco sermone. Fuit pedibus præter modum enormibus, capite magno, facie oblonga, ore illepido & invenusto, barba horrida, cujusmodi in statuis philosophorum antiquis & imaginibus cernimus.

ALEXANDER TASSONVS.

Alexander Tassonus Mutinensis, mihi probe notus, cui longus a prima fere juventa cum illo usus consuetudoque intercessit, fuit ingenio magno, eleganti, atque amœno, sed turbulento superstitiosoque; quod clarorum virorum, poëticæ facultatis laude, omnium sæculorum suffragio, principum ad suæ censuræ rationem normamque redigeret; quamobrem non parvam sibi invidiam concitabat. Simul ac ad ejus amicitiam accessi, audivi de quodam juvene populari suo, Episcopi Carpentoractensis fratris filio, cum diceret, voluisse Alexandrum, adversus Academiam quandam in unius ex eo numero scripta, acriter vehementerque invehere; sed in responsione, a tota Academia edita, suis hominem rationibus, tanquam suo sibi gladio jugulatum, obticuisse, nihilque propius esse factum, quam ut præ pudore atque iracundia ad insaniam redigeretur. Quocirca multos quievit annos, neque in quemquam est ausus inquirere: at cum longinquitas temporis, quæ omnia minuit ac delet, doloris illius memoriam, ejus

ab animo absterſiſſet, rediit ad ingenium, ac Januæ, cum expectabat, dum ventus operam daret, (volebat enim mare ingredi,) Etruſca Franciſci Petrarchæ poëmata ad reprehendendum arripuit, quem unum, non modo lyricorum noſtrorum, ſed Græcorum etiam Latinorumque omnium principem ponimus; in quem quaſdam edidit animadverſiones; in quibus nihil fere ab eo dictum reliquit, quod non vel tanquam vitioſum reprehenderit, vel ut abſurdum neglexerit, vel ut ineptum irriſerit, nullam ejus laudem prætermiſerit, quam non ſit conatus convellere, labefactare, evertere. Sed quid miramur, tantum in Franciſcum Petrarcham animi habuiſſe, cum nec ab Homero, ingenii ſui vires, tanquam manus, abſtinuerit? at a quo viro? nempe ab eo, a cujus doctiſſimis verſibus, tanquam a capite, omnium ſcientiarum fluenta derivari, eruditiſſima illa Græcorum natio teſtatur, de quo ſeptem præcipue civitates Græciæ pugnant inter ſe atque contendunt, cum ſingulæ civem ſuum eſſe confirment, cui ob quandam quaſi divinitatem ingenii, tantus honor eſt habitus, ut tanquam Deo, Smyrnæi delubrum, ejus in oppido dedicaverint. Etenim narravit mihi, ſe quingentas Homeri ſententias, & eo amplius, in unum volumen collectas habere, quas editurus eſſet, ſtulte ridiculas. Scripſit ipſe poëma egregium, quod Situlam appellavit, bellum ſcilicet ob Situlam inter Mutinenſes ac Bononienſes exortum; in quo gravitas facetiis admiſcetur; cujus generis carminis, a nemine antea excogitati, ſe fuiſſe inventorem, gloriatur; at ubi primum editum, in hominum luce, tanquam in aliquo theatro comparuit, tantos plauſus tulit, ut omnium hominum ſtudia ad illud inſpiciendum incenderit: nam mire in eo quorundam notorum hominum mores expreſſi cernuntur. Verſatus eſt aliquot annos in aula Aſcanii Cardinalis Columnæ, cui ſuas ipſe operas, tanquam vehiculum ad deferendas hac illac commendationes, aliaque arcana officia locaverat. Sed reverſus ex Hiſpania, quod iter ex Cardinalis ejusdem auctoritate ſuſceperat, ab ejus ſe familiaritate ſejunxit, utrum ſua voluntate an coactus, mihi compertum eſt parum; ſicuti etiam illud, cur vocatus Taurinum a Du-

Duce Sabaudiæ, ut illi esset ad manum, nunquam munus illud obierit, sed in urbem se receperit. Dum fuit Romæ, (fuit autem fere semper) frequentavit Academiam Humoristarum, in qua semel etiam principatum obtinuit, ac sæpius eruditas de variis rebus disputationes habuit, sed in primis luculentam carnificis laudationem; quam, quia multis stomachum moverat, (quid enim tam potest horrendum auribus humanis accidere, quam nomen carnificis?) & quoniam propter eam in hominum urbanorum sermones incurrerat, impressam jam, a reliquis suis operibus segregandam, & quasi vinctam, perpetuis tenebris vinculisque mandandam curavit: sed eam audio, quorundam opera, cum illius decem libri cogitationum, quas vocat, in quos antea conjecta fuerat, rursus excudendi essent, ab iis vinculis solutam, in suam sedem, tanquam postliminio revertisse. Scripsit acutas concertationumque plenas disputationes adversus Josephum de Aromatariis, qui Francisci Petrarchæ patrocinium susceperat, & jacta in suis ab eo in animadversionibus, in poëtam prope divinum, tela rejecerat, quas postea Mutinæ impressus edidit. Verum senex jam disjunxit se a mansuetioribus his Musis, atque ad graviora studia retulit: nam a Christi ortu ad annum MD Ecclesiasticam complexus est historiam, in qua pluribus in rebus a Baronio dissentit, veritatis, non contentionis, ut ipse ajebat, studio adductus. At Baronio homini sapientissimo longeque clarissimo, molestum videri non debeat, in sua scripta impetum facere ausum fuisse eum, (jure ac injuria, non disputo) cui Homerus ac Petrarcha, non solum reprehensione, sed contumelia atque irrisione digni visi sunt. Romæ, cum nemini operas suas habebat addictas, confugiebat in ædes Bartholomæi Cardinalis Cæsii, Vaticano proximas; eæ enim, principis illius, doctorum virorum cupidissimi, benignitate, semper illi patebant, & gratuitum præbebant hospitium. At istud in se beneficium, atque adeo quidquid usquam ab aula provenit, non pluris fecit, quam ficum unum, hoc est, nullius fere æstimationis loco duxit; quoque id elegantius exprimeret, & in oculis hominum prope defigeret, se pingi cum ficu vole-

lebat; ut nimirum notum esset omnibus atque perspectum, sed tot annorum laboribus in aula defunctum, vix mercedis tantum accepisse, ut ad unius fici æstimationem accederet. Demum Ludovico Cardinali Ludovisio, Gregorii XV fratris filio, vita functo, ad cujus amicitiam familiamque nobile illud carmen, & plus uno mansurum perenne sæculo, quod in Situlam cecinerat, aditum illi aperuerat, se in patriam recepit; ubi a Mutinensium Principe honorifice exceptus, in eorum numerum relatus est, qui ipsi sunt a consiliis. Fuit colore albo, facie honesta, capillo in juventa flavo, hilari vultu: at qui curiosius oris ejusdem delineamenta scire expetit, Cassiani Putei V. C. nobilem Romæ bibliothecam adeat, quam honestis viris nunquam non apertam habet; ibi eum, inter alias illustrium virorum imagines, in tabula depictum aspiciet cum eo ficu, quem diximus. Sed egregia hominis virtus, & nunquam satis laudatum ingenium, poscere videbatur, ut honor ille, a suo sibi Principe delatus, diuturnior esse licuisset; sed paucos post annos eo decessit, quo iter est omnibus. At tum id jure queri possemus, si unicuique pro meritis brevior vel longior vita contingeret, ut, quibus præstantius datum est a natura ingenium, diuturniorem vitam incolerent, quibus tenue ac nullum, celerius e corporis domo migrarent: sed hac in re, sicut in ceteris, dominatur Deus, qui suo ex arbitrio suum unicuique, quod decurrat, spacium vitæ largitur, brevius uni, longius alteri.

NICOLAUS VILLANUS.

NOn immerito quibusdam Nicolaus Villanus, Pistoriæ, vetere ac nobili prosapia ortus, (nam suam, ad Io. Villanum celebrem historiarum scriptorem, originem refert,) cum Alexandro Tassono, de quo antea diximus, in comparatione conjungendus videtur; omnino similis illi, non solum ingenio, doctrina, & varietate rerum & copia, sed proposito ac voluntate; qui cum posset suis elegantissimis versibus, doctissimisque libris, magnum inter eruditos doctosque viros sibi nomen acquirere, maluit, sicut & ille, præstantissimum ingenium con-

conferre ad eripiendam veteribus summis poëtis partam jam laudem, hærentemque ipsorum capiti, magna cum gloria, coronam. Etenim in eo libello, cui Phasiano nomen indidit, in quo Io. Baptistæ Marini Adonidem, adversus Thomam Stiglianum, defensionem arripuit, parum ipsi visum est, affirmare, Marinum vicisse gloriam omnium superiorum, qui ad hanc usque diem in scribendis poëmatibus elaborassent, nisi etiam sigillatim in unumquemque eorum censuræ suæ tanquam gladium distringeret, multaque præterea in eos, non tam graviter diceret, quam facete. Itaque apud eum Dantes, Petrarcha, Areostus, Tassus, quorum gloriosis nominibus auditis, honoris gratia, totus Parnassi chorus assurgit, aliisque ex recentioribus, partim ut hebetes, tardi, ac rudes, partim ut humiles, inornati, abjecti, partim ut sine lepore, pondere & arte, exploduntur exsibilanturque. Studium in eo discendi acerrimum adfuit, qui cum Tiberii Cardinalis Mutii, Episcopi Viterbiensis cubiculi Præfectus esset, quo in munere ita magna solet esse occupatio, ut non multum ei, qui illi præest, ad studia, ocii relinquatur; attamen, etiam interdiu, cum Cardinalis in accipiendis, persolvendisque officiis occupatus non erat, rejiciebat se in angulum procœtonis cum libro, ibique lectioni operam dabat. Postremo cum eo munere se abdicasset; totum in literis abdidit, ac docte eruditeque multa composuit. Ab ejus officina prodiisse dicuntur duæ illæ elegantissimæ satyræ, quarum una, *Dii vestram fidem*, altera, *Nos canimus surdis*, inscribitur, in quibus non modo sale multo, ut olim Lucillius, urbem defricuit, verum etiam pluribus acuminibus compunxit atque transfixit corruptis homines moribus. Habuit, audiente me, in Academia Humoristarum eruditissimos de Poësi jocosa atque ridicula sermones, quos una cum suis facetissimis quibusdam rhythmis edidit. Emisit etiam Aucupium Vincentii Foresii, quod ideo hoc nomine appellavit, quasi aves in eo, quæ in Oculari Stigliani, Martini dicta mordent ac lacerant, lepide arguteque conclusis argumentis, tanquam retibus, capiuntur, enecanturque: tum animadversiones in alteram Stigliani Ocularis partem, Magistri

Pha-

Phasiani: postremo, admirabilem præstantissimi ejusdem ingenii fœcunditatem, nobilis ille partus ostendit, quem immortalitati consecratum, nulla unquam temporis injuria vita devolvet; illud, inquam, poëma egregium, quod propinqui post ejus mortem typis imprimendum edendumque curarunt, in quo Florentiam, ab hostium armis ereptam, & in libertatem vindicatam, grandiore plectro, & dignis Homero versibus, cecinit; ex quo licet intelligere, ingenium illi contigisse adeo tenerum atque flexibile, ut tanquam cera, quocunque id ille duceret, sequeretur, atque in eo mire præstaret. Et sane dignus fuit, cui firmior corporis constitutio a natura tribueretur, quæque infinitæ literarum cupiditati responderet, qua perpetuo flagrabat; sed ex laborum magnitudine, quibus par esse non poterat, tabe contracta, pene sublatus est antea quam in senectæ vestibulum pedem intro inferret.

PETRVS CIACCONVS.

FElix, atque, in omnia necessaria ad vitæ usum producenda, fertilis ac fœcunda Hispaniæ ora, superioribus annis, non vini, mellis, oleique copiam, non lini spartique vim, cujus est ferax in primis, non aurum, vel quod nitidi ejus amnes vehunt, vel quod aratrum ex divite terra defodit, aliaque telluris laudanda bona, Italiæ urbique Romæ suffecit, sed plenum doctrinarum omnium thesaurum misit; cujus opibus, non Itali modo atque Romani, sed Galli, Germani, atque adeo gentes in ultimis terris positæ locupletarentur, vel potius perenne scientiarum omnium flumen dedit, cujus tanquam undis irrigata, non hujus modo ævi, sed sæculorum omnium ingenia, uberes ex se fructus efferrent; Petrum, inquam, Ciacconum Toletanum; quem me annos natum non amplius sex, sæpe pro foribus D. Jacobi, Hospitalis domus, nationis Hispanæ, vidisse commemini: quod in templum fere quotidie nutricis manu ducebat, ut Missæ sacrificio præsens adessem; ejusque lineamenta oris adhuc animo comprehensa retineo; cum, quæ pueris nobis objiciuntur, altius imprimantur in animos,

quam

quam quæ oculis natu grandiores accepimus; nec signum e marmore, ejus sepulcro in eadem D. Iacobi æde impositum, vero longius aberrat: atque eum animadvertebam, quantum puerulus sentire poteram, digito ab omnibus designari, summisque in cælum laudibus efferri; quæ fortasse fuit causa, ut acrius in eum oculos intenderem. At tantum lumen ingenii, simul ac Romam venit, quamvis summa esset in homine animi demissio, summusque mortalis gloriæ, rerumque omnium humanarum contemptus, ita latere non potuit, ut non continuo fulgeret ad oculos; ac Gregorio XIII, acutissimo homini ingenio, in jure præsertim civili ac pontificio, ita in primis illuxit, ut sacros illi canones, divinarum volumen literarum, quod Biblia vocant, atque æterna sanctorum Patrum monumenta, recognoscenda castigandaque commiserit: quas ille sibi traditas a sapientissimo Principe partes egregie absolvit. Qui Princeps, quo grata aliqua animi significatione tantum virum, optimeque de se meritum, prosequeretur; non rogatus, neque a quoquam admonitus, sed sponte sua, locuplete Hispalensi sacerdotio donavit. Tum ille conversus ad sanandos scriptorum veterum Latinorum locos, librariorum incuria inscitiaque misere exulceratos, quem non eorum curandum excepit? quod in eis vulnus, ita magnum, ita putridum, ita conclamatum invenit, quod, ut ita dicam, non obligarit, inunxerit, ad sanitatem perduxerit? quæ in eis maculæ, ita sordidæ, ita altæ hærebant, quas non absterserit penitusque deleverit? quæ lacunæ, quas non impleverit? quæ non eis tenebræ, vel ignoratione antiquitatis exortæ, vel eruditionis inscitia excitatæ, animis tanquam oculis objiciebantur, quas, vel clarissimis commentariis suis non propulsarit, vel doctissimis notis antiquum illis splendorem lumenque non revocaverit? quem veterum invenias librum, in quo doctrinæ vel eruditionis aliquid insit, quem non legendum, examinandum castigandumque susceperit? Cæsarum, Salustium, Varronem, Plinium secundum, in quem illud ejus extat majorem vigiliarum opus, Tertullianum, Isidorum, quem non? Omnino habebat hoc, ut, in sanandis veterum librorum

tan-

tanquam plagis, nemo ipso melius medicinam faceret, adeo, ut auctorum eorundem animi, ut somniavit Pythagoras, immigrasse in ipsum, suamque eidem, de iis rebus, quæ erant in quæstione, sententiam quodammodo aperuisse viderentur. Sed cum eatenus sapientiæ omnisque eruditionis laude processisset, non tamen quemquam ludibrio habuit, nec ullam sibi arrogantiam ac spiritus sumpsit, sed semper eandem animi demissionem modestiamque retinuit; in quo illud assequebatur, ut quanto se minorem faceret, tanto ceteris major haberetur: nam, ut est apud virum sapientissimum, cui nihil ad augendum fastigium superest, hic uno modo crescere potest, si se submittat, securus magnitudinis suæ. Quo fiebat, ut minus æquus esset iis, qui in aliorum scripta curiosius inquirerent, cupidius inveherent, ac nodum in scirpo quærerent; quo videlicet ex aliorum dedecore, acuti ingeniosique viri gloriolam aucuparentur, vel ut ipse, ex Cicerone sumptum, dicere solitus erat, laureolam in mustaceo invenirent. Et sane, nullum est crimen ingrati animi, crudelitatis, invidiæque, cujus non ii se alligent, qui adeo projecti sunt ad eorum, qui scribunt, laudes proterendas conculcandasque. Quid enim tam est ingratum, quam ei, qui bene promereri de literis studeat, non aliam a literatis hominibus mercedem, nisi irrisionis contumeliæque referri? quid tam crudele, tam inhumanum, quam hostilem in eum animum sumere, a quo nulla tibi sit orta injuria? quid tam plenum obtrectationis invidiæque, quam prætermissis innumeris, æterna laude dignissimis, pauca quædam assumere, quæ, ut inquit Horatius, *aut incuria fudit, aut humana parum cavit natura*, in quibus exultare ac debachari possis, quo te aliis meliorem & doctiorem ostendas? At hoc, inquiunt, animo, aliorum vitia detegimus, ne, qui in ea incurrunt, decipiantur, eisque imitandis, ad vitiositatem aliquam delabantur. At frustra hic ab eis labor atque opera sumitur, nam ita omnes facti a natura sumus, ut acutius in aliis vitia, quam virtutes, intueamur; a quibus, si sapimus, abstinebimus. Omnino paucos habuit usu amicitiaque sibi conjunctos ex Italis, Fulvium Ursinum Romanum, & Latinum Latinium,

Vi-

Viterbiensem; ex Hispanis Ludovicum Castellæ, ex purpuratis, quorum ille limina vitabat, illud Horatii, in ore identidem habens, *Dulcis inexpertis cultura potentis amici*, ex purpuratis, inquam, Antonium Caraffam, & Gulielmum Sirletum. Scripsit etiam de ponderibus & mensuris Romanorum & Atticorum, explicavitque doctissime columnæ rostratæ inscriptionem, a S. P. Q. R. C. Duilio positæ, qui primus Pœnos classe devicit, aliaque multa, (non enim est nobis consilium semper, quæ quisque edidit, omnia referre;) atque annos non amplius quinque & quinquaginta natus, anno MDLXXXI bonis omnibus, literatis præsertim viris, flebilis, occidit.

VINCENTIUS MONTECALVUS.

SI clarorum hominum atque omni dignitate principum res gestæ, splendoris multum ac luminis transfundunt in eos, quos procrearunt, præsertim si se illi majoribus suis dignos præstiterunt; non potest de Vincentii Montecalvi laudibus apte narrari, nisi antea de iis pauca dicantur, unde tanquam a radicibus quasi germen ortus, virtutis suæ ramos longe lateque diffudit: ut eum appareat, non modo a stirpis suæ bono non degenerasse, verum etiam ad veterem ejus pulcritudinem amplitudinemque plurimum dignitatis ac decoris addidisse. Et quoniam longum esset, ac prope infinitum, singulos persequi, qui domi militiæque, armorum ac literarum gloria, nobilissimam hanc vetustissimamque familiam in eum dignitatis locum, in quo nunc est, extulerunt; paucos ex iis enumerabimus, quorum nomina, luce ipsa clariora, sine piaculo præteriti non possunt. Ac primum Thomas Montecalvus se offert, qui, ut tum erant tempora, ditissimus, anno MCCCLX. Bononiæ diem obiit supremum, ac situs est in Æde D. Iacobi Augustinianorum Eremitarum, in sepulcro e marmore, ubi etiam inspicitur insculptus, extanti ac prominenti figura, cum ea veste, qua tum viri nobiles utebantur. Hic non semel suis facultatibus, mutuando, Reip. Bononiensis necessitatibus suppeditavit; cujus illa pietati,

N quod

quod summum habuit precium, persolvit: nam Antiani honorem bis detulit; qui honos tum maximus habebatur. Verum, quia ab hac indole nihil humile, nihil abjectum prodire poterat, natus ab eo est Jacobus Montecalvus: hic a patre acceptam gloriam multis auxit virtutibus: nam singulari ingenio, præstanti doctrina, ac magno rerum usu præditus, plus illi reddidit claritatis ac luminis, quam quantum ab eo accepisset; qui præstantissimum ingenium contulit ad Philosophiæ ac Medicinæ studia; in quibus tantum brevi profecit, ut earum facultatum magister sit renunciatus, & in collegium medicorum cooptatus: nec tantam hanc sapientiam ociosam desidemque domi continuit, sed foras ad communem hominum utilitatem eduxit, atque multos annos, tum in Bononiensi, tum in aliis celeberrimis tota Europa gymnasiis, publice docuit, atque ea quocunque venit, singularis suæ doctrinæ impressa vestigia reliquit, ut etiam nunc in Hispania, ubi nonnulla, doctissime a se scripta, edidit, celebre sit ejus nomen ac clarum; neque illud solum hominum linguis effertur, sed a scriptoribus etiam historiarum & orationum eximie collaudatur: nam a Leandro de Albertis Bononiensi, Dominicano, in suis Chronicis, summis laudibus afficitur; a Nicolao Burtio, in libro, qui Bononia illustrata inscribitur, clarissimum patriæ suæ decus appellatur, & in oratione ad Sixtum V, quam retulit in librum, quem scripsit de Bononiæ laudibus, dicitur inter alios Bononienses, lumine doctrinæ claros, tanquam inter minora sidera, solis instar habere, ejusque nomen tota Hispania celebre esse, ac pervulgatum, ut ob sagacissimum ingenii acumen, quo abditas rerum naturalium causas perscrutabatur, alter Aristoteles vocetur, & ob eximiam medicæ artis notitiam, non Hipocrates, non Galenus, sed Deus ipse medicorum Æsculapius habeatur. Neque minus civitatis regendæ peritus fuit, sed ad Remp. capessendam accedens, in Consilium sapientium amplissimum venit, & Antiani functus est munere, & munitionibus urbis publice præfuit. Consuluit etiam patriæ, liberis procreandis: nam ex Lucretia Parisia, paris nobilitatis fœmina, quam habuit in matrimonio,

tres

tres liberos suscepit; quos ita instituit atque erudivit, ad majorum instituta, ad civitatis disciplinam, ad Christianæ religionis normam, ut appareret, non tam eos quæsisse, ut essent generi monumentum & sibi, quam ut Reip. cujus caritas patriam etiam caritatem superat, atque adeo orbi terrarum, utilitatem ac decus afferret; quorum Thomas, sive Masius, natu major patri natura filius, consuetudine discipulus, voluntate similis, inter sedecimvirum senatum, qui tum Remp. administrabant, senatorium locum obtinuit, & Joanni XXII Pont. Max. in primis carus, urbem Romam, Prætoris honore ac nomine gubernavit, & ad Mediolanenses aliasque Resp. maximis de rebus legatus missus, fidem, industriam, ac diligentiam suam, omnibus probavit; alter vero, Philippo nomine, honoraria Sanctissimæ Trinitatis militia cohonestatus, ac Ronzani Prior decessit; tertius, natu minimus, vix ex ephebis excesserat, cum in rationem Libitinæ venit. Cum igitur Vincentio Montecalvo tot clarorum hominum, majorum suorum, imagines ob oculos obversarentur, & singularis eorum virtus, ipsius animo sæpe recurreret, numne eum potuit ab avorum gloria & a generis similitudine abducere vel inertia, vel desidia, vel virtutibus contraria vitiorum consuetudo? Immo usurpata frequenter ab eo tot tantorumque virorum memoria maximos sibi stimulos addi sentiebat, ut cum eisdem, doctrina, solertia, atque omni virtutum genere certaret. Quamobrem, Parentum diligentia, a puero doctus, atque omnibus elegantibus literis ac disciplinis eruditus, magistri jus ac nomen assecutus est, multosque annos, in Bononiensi gymnasio, cum admirabili ingenii doctrinæque laude Philosophiam docuit. Erat in homine, præter elegantiam doctrinæ rerumque plurimarum scientiam, incredibilis morum suavitas, eloquendi vis maxima, verborum sane bonorum cursus; accedebat vox dulcis & canora; quibus virtutibus assequebatur, ut magni ad se audiendum discipulorum concursus fierent, eorumque voluntates sibi mire conciliaret; quod videbantur, in illo sermonis actionisque ejusdem lepore atque dulcedine, minore cum molestia, vel potius cum voluptate, spinosarum

rum disputationum illarum insuavitatem haurire. Fuit ejus mors, patriæ mœrori, suis acerba, bonis luctuosa, literarum studiis incommoda; sed magnifico elatus funere, conditus est in sepulcro majorum suorum, ut cum iis mortuus acquiesceret, quorum virtutes imitando vivus expresserat. Cujus mortui memoria eo altius in suorum civium animis impressa insedit, quod a præcipuis Europæ gymnasiis amplissimis, ad docendum, premiis invitatus, nunquam ille se passus est a patria divelli; sed quatuor & triginta in ea annos, studiosis adolescentibus, ad intima Philosophiæ penetralia adeunda ac perlustranda, dux fuit.

HIERONYMVS VECCHIETTVS.

Hieronymus Vecchiettus ab Ægypto, Florentinus, qui ab Ægypto, Catholicæ religionis causa, bis peragrata, in qua etiam sæpius manifestum vitæ discrimen adierat, illud ipse sibi cognomen indiderat, fratrem habuit Io. Baptistam, peregrinationis ejusdem studiosum, atque etiam Alexandriam orator a Clemente VIII, de rebus ad Christianam Remp. pertinentibus missus; quem ego probe novi ac sæpius elegantissimos rhythmos concinne arguteque conclusos, a se factos, recitantem audivi. Fuit Hieronymus divinis & humanis literis doctus, ac præsertim versatus in historia, atque in ea arte, quam profitentur ii, qui mathematici vocantur; sed in omnibus fere rebus, nimium sui juris sententiæque. Edidit insignem librum, in charta, ut ajunt, regia, magnis sumptibus, Augustæ Vindelicorum impressum, sed censorum animadversione in multis ac maximis vitiis deprehensum, ac propterea superiorum decreto cautum, ne in manus hominum perveniret. Etenim contra sacrarum literarum fidem, contra Ecclesiæ universæ auctoritatem, contra sanctorum Patrum sententiam, conabatur ostendere, ex solis lunæque ratione, quam non bene, fortasse deceptus, inierat, Christum Dominum, pridie quam pro nobis mortem oppeteret, solemne illud Paschalis cœnæ convivium una cum suis non celebrasse, & cum posset temere dicta, vel corrigendo vel interpretan-

tando, ex multis sese incommodis & ærumnis eximere, maluit severissimo Quæsitorum fidei causæ judicio se committere, atque ultro in vincula conjicere; ubi multos annos, exacta jam ætate, in tenebris, in squalore, in sordibus jacuit; quam vel minima quidem ex parte de sententia decedere. Conatus est etiam versus facere, sed quoniam a vino semper abstinuit, ac *nulla placere diu nec vivere carmina possunt, quæ scribuntur aquæ potoribus*, ea illi res non processit in numerum. Fuit proposito animoque plane philosophus: nam pecuniæ jacturam, qua propemodum alii insaniunt, usque adeo æquo animo tulit, ut cum ducentos quotannis aureos, nec eo amplius ex fructibus bonorum suorum caperet, atque audisset virum nobilem, qui insignem Romæ argentariam faciebat, & apud quem septingenta aurea deposuerat, decoxisse, non solum clamoribus vel querimoniis nullum commoti animi signum dedit, sed ne frontem quidem contraxit; quod alteri, clarissimo longeque ditissimo nostri ævi poëtæ, non contigit, qui simili nuncio accepto, amissæ pecuniæ dolore usque eo perculsus est, ut propemodum a vitali calore derelictus, exspiranti similis, reductus sit domum, &, ut in maximo metu fit, soluta eidem alvus in femoralia defluxerit, ac coxendices totas infecerit. Sed cum esset cupiens liberorum, atque osor mulierum, adoptavit sibi pro filio adolescentem, quem domi alebat, quemque sibi fidum invenerat; eumque fecit hæredem. Erat moribus sanctissimis, & castitatem adeo coluerat, ut nulla eam unquam flagitii cujuspiam labe commaculasse diceretur. Ab omnibus iis vitiis aberat, quibus senilis ætas solet esse affinis: non enim erat difficilis, querulus, non ad rem attentus, sed comis, hilaris, liberalis, ac pro re ipsius, quæ non erat ita ampla, ut diximus, convivator frequens ac commodus; neminem, qui domum ad se venisset, sine aliquo munusculo, vel saltem jejunum ac siccum abire patiebatur. Vixit, extremo ætatis suæ tempore, summo in ocio; nec minimam illi molestiarum contentionumque materiam præcidit operis, quod ediderat, interdictio; quæ contentiones suscipiendæ fuissent, si illud in vulgus exisset. Scripserat etiam in eo de Ludovico Imperatore

nonnulla, quæ Ducis Bavariæ animum offenderant. Legi ego datam ad Hieronymum a Ludovico Cardinali Ludovisio, cum quo fortasse Dux ille questus fuerat, quique tum rerum potiebatur, epistolam, in qua ejus vicem dolet, qui ea ætate, quæ esset ocii in primis cupida, tantam in se negocii molem attraxisset. Victitabat magna ex parte, melle, sapa, pomis; eisque penum in primis omnem instruebat. Tertio demum & octuagesimo ætatis suæ anno, in morbum implicitus, Romæ decessit; quem illi morbum confecerat conclavis, ventis obnoxii, amplitudo; in quod, ex hyemis tempestate frigidissima, ex altero angusto & adversus ventorum injurias probe munito, sese contulerat.

ABRAHAMVS BZOVIVS.

DE hoc illud posse affirmari videtur, quod per hyperbolem magis quam ex vero dictum existimatur, plures eum libros scripsisse, quam alii legerint. Et sane iis percurrendis, vix hominis unius ætas videtur posse sufficere; quorum omnium titulos non est consilium enumerare: qui si referendi sint, vix binæ eos paginæ caperent, præterea lectori fastidium & satietatem afferrent. Quare cognoscendi eos cupidum, ad illorum volumina delegamus, qui de viris illustribus nostri ævi scripserunt, atque edita ab ipsis opera, ad unum percensuerunt. At minime a commemoratione nostra deserenda videntur duodecim Annalium volumina, quorum quinque ultima adhuc typis mandata non sunt; quibus, post Cæsarem Cardinalem Baronium, Ecclesiæ res gestas, ab anno Christi nati M CXCVIII usque ad hæc tempora, persecutus est diligentissime. Ea enim, & operis mole, & argumenti gravitate, & rerum numero ac varietate, & laboris magnitudine, ceteris præstare dicenda sunt, quæ incredibile memoratu est, quanta animi alacritate susceperit, quantaque celeritate, ad absolutionem perfectionemque perduxerit; præsertim cum non parum multi, ab excessu Baronii, assiduo opere eandem incudem dies noctesque tutuderint, neque adhuc quidquam in hoc genere, quod magnopere probares,

res,

res, attulerint. Quamobrem Bzovii annales, quorum precia in æstimatione hominum diu jacuerunt, cum nondum quidquam, quod sit vendibilius, appareat, cœperunt caput attollere, seque altius efferre. Itaque merci, quæ prope invendibilis videbatur, jam precium accessit. Verum ille, in Ludovico Imperatore, ad eundem scopulum navem offendit, ad quem suam Vecchiettus afflixerat. Etenim, censoria quadam auctoritate, quam sibi ipse attribuerat, est conatus eundem (tanquam nec jure nec legibus creatum) Imperatorum quasi senatu movere; sed postulante Bavariæ Duce, ac tantam domui suæ injuriam factam querente, in judicium vocatus, judicum sententiis est coactus abolere, quod scripserat, ac Ludovicum in ea, unde dejecerat, sede reponere. Invectus est in eum acriter vehementerque Georgius Hervartus, qui Ludovici defensionem arripuerat, adeo ut, quantum in ipso fuerit, omnem ab eo ingenii, memoriæ, solertiæ, acuminis, diligentiæ, fidei, & integritatis commentationem everterit; qui Hervarti liber, Ludovici defensi titulo inscriptus, superiorum decreto vetitus, statim depulsus est ab hominum manibus, propterea quod ille cum Ludovici defensione conjunxerat multorum præterea dedecus. Sed quod Hervartus Bzovio ingenii, judicii, memoriæ, eruditionis, eloquentiæque patrimonium est conatus eripere, id illi Simon Starvolsius, in scriptorum Polonicorum Hecatontade, tanquam tutor fidelis ac fortis, summa ope studuit conservare; ac præter alias laudes, quibus eum exornat, virum vocat ad laudem, ad gloriam, ad immortalitatem nominis, ad sæculi sui miraculum, ad posteritatis utilitatem divinitus datum, atque concessum. Hic ex antiqua sanctissimaque D. Dominici disciplina, simul ac ex Polonia in Vrbem venit, statim a Summo Pont. ob insignem ingenii doctrinæque famam exceptus est in ædes Vaticanas, ibique, quoad vixit, hospitio victuque liberaliter habitus; nisi quod, paucis ante ejus mortem annis, cœnobium fratrum sui ordinis, Ædi D. Mariæ super Minervam adjunctum, Vaticana habitatione mutavit, nefaria famuli sui cæde deterritus, prædonis cujusdam opera interfecti, qui, ut mulieris, qui consueverat,

sumptibus suppeditaret, cum accepisset, Bzovium auri vim magnam in arca constructam habere, die quodam, commodum, cum ille abesset, cubiculum ejus ingressus, custode occiso, auroque averso, se ad mulierem cum præda recepit. Sed antea multa ac nefaria flagitia perpetraverat: primum familiæ Benedictinæ, cui se voti religione obstrinxerat, claustra deseruerat, tum a Catholicæ religionis veritate desciverat, & Spalatensem Archiepiscopum M. Antonium de Dominis, ejusdem religionis transfugam, sectatus erat in Angliam: deinde, cum Archiepiscopo, qui, ex hac defectione, auri montes sibi somniaverat, res aliter cecidisset atque opinatus fuerat, una cum eo palinodiam cecinerat, ac Romam profectus, impuri Antistitis, & adhuc mente animoque a vera ac germana fide alieni, domum, præfecti nomine, administraverat: postea, captus amore vicinæ mulieris, honesto viro nuptæ, multos menses continuos ejus usuram corporis ceperat, priusquam id viro suboleret; sed cum palam facta res esset, quod, ex improviso domum rediens, in lecto recens impressa adulteri vestigia deprehendisset, verens ille, ne sibi perpetuo carendum esset domo mulieris, tollere eum de medio constituerat, quem suis cupiditatibus inimicum fore arbitrabatur; itaque usus armorum impunitate atque licentia, quod Gregorio XV Pontifice extincto, neque etiam tum altero in ejus locum subrogato, Urbs prope erat sine jure ac legibus, muliere conscia, die quodam, bene mane, exeuntem illum domo una cum uxore, eadem inspectante, neque aliquod commoti animi signum dante, vita devolvit; quod facinus cum nemo, neque cognatus neque amicus, in judicium deduceret, latuit in illa caligine temporum ac tenebris: postremo mulierem adolescenti, Spalatensis Archiepiscopi cubiculario, conlocaverat, ut eadem una cum illo uteretur, frueretur: sed cum domestici omnes sumptus in ipsum incumberent; nec esset unde faceret, ad rapinas cædesque confugerat; nec impune: nam accusatus a viro communis mulieris, cui minus erat carus, quod minus largiri poterat, ac suspendio necatus, perpetrati in Bzovium & Bzovii famulum facinoris pœnas dedit. Qui Bzovius, paucos post annos, assi-

assiduo scribendi labore confectus, tandem scribendi simul & vivendi finem fecit.

BARTHOLOMÆVS VGOLINVS.

PLurimum sane Monti Scutulo, exiguo Æmiliæ oppido, tota illa provincia debet: ab eo enim plures præstanti sapientia viros accepit, quos ad sui ornamentum ac decus possit ostendere. Sed ex Vgolina in primis familia provenere illi præclara ingenia, quæ, literarum gloria, illustrius ejus nomen reddiderunt. Sed Bartholomæus, ut ex doctissimis ejus scriptis apparet, majori eam lumine illustravit. Hic non ante duodecimum annum in ludum venit, ut Grammaticæ præceptis erudiretur; quæ Arimini ita celeriter, ingenii docilitate, arripuit, ut eorum industriæ longo intervallo, præcurreret, *qui* multo maturius se ad id studium contulissent, ac facile intelligi posset, pari modo superaturum omnes in ceteris artibus: nec opinionem de se hominum fefellit; nam cum Bononia, ubi Juri Cæsareo ac Pontificio operam dederat, atque juris utriusque interpretandi facultatem adeptus erat, in patriam revenisset, Misanæ plebis sacerdotium, literario certamine superior ceteris, qui in eam arenam descendissent, obtinuit; quo tempore quia Bononiæ literas Græcas didicerat, atque eatenus in Philosophia processerat, ut reliquum iter posset per se ipse, sine alicujus magistri ductu, conficere, ac sine cortice, ut dicitur, nare, doctissimum illum, de Sacramentis novæ legis, scriptum librum edidit, & Romam ad Sixtum V detulit; quo munere adeo delectatus est Pont. ut officiis beneficiisque eum maximis fuerit complexus, eoque magis in ejus amorem impulsus, quod ille per eos dies ex altero literario certamine, de Barbianæ plebis nobili sacerdotio, Romæ proposito, victor pedem extulisset. Itaque omnis ejus pecuniæ, quæ in diplomate conficiendo fuisset enumeranda, idem Pont. illi gratiam fecit, nec minore liberalitate largitus est etiam eam, quæ danda erat, pro diplomate superioris sacerdotii, in Io. Matthæum fratrem a se translati. Sed tam pinguis Ecclesiæ fructibus locupletatus, non tradidit

se inertiæ atque desidiæ, non faciendæ pecuniæ operam dedit, sed pauperum inopiam sublevando, & cum aliis quæ didicerat communicando, optimi patris & pastoris partes exequebatur. Nam omnibus se ad docendum dabat, qui disciplinæ gratia ad ipsum convenissent, quorum magnus erat numerus; neque aliam ab eis mercedem exigebat, nisi amoris ac benevolentiæ, atque ut darent operam studio ac diligentia, ne apud ipsum operam perdidisse dicerentur; quæ illi pulcre ab eis relata est gratia; complures enim, qui Lugo, Cotignola, Imola, Faventia, atque ex aliis propinquis urbibus profecti, se illi in disciplinam tradiderant, magno civitatibus suis usui ornamentoque extitere. Verum hæc tanta in eo doctrinæ vis eo erat omnibus admirabilior & gratior, quod eam ornabat mira vitæ dignitas, morumque integritas; quarum virtutum fama impulsus Clemens VIII, in cujus & Petri Card. Aldobrandini nomine aliquot egregia opera ediderat, ultro dedit illi optionem, ut de duabus Ecclesiis, Corindæ & Tilesiæ, utram vellet, eligeret, cui Episcopi nomine & honore præesset: sed neutram placuit accipere, quod a patriæ suæ finibus longo essent intervallo disjunctæ. Sed Paulus V, in cujus tutela præsidioque latebat, aliam eidem commodiorem aptioremque decrevit Ecclesiam, nimirum Bertinorensem, tum Federici Cardinalis Borromæi honoris gratia, tum etiam, quia in iis controversiis, quæ tum agitabantur, suis scriptis acerrimum se Ecclesiasticæ libertatis propugnatorem ostenderat. Sed lethali morbo interceptus est antea, quam Episcopalibus sacris initiaretur. Latini sermonis elegantiam omnino contempsit; ut apparet ex indicibus librorum, quos edidit de Censuris Ecclesiasticis, nempe, de Excommunicatione, Suspensione & Interdicto, de Irregularitate, de Censuris reservatis Rom. Pont. in Bulla Cœnæ Domini, de Justitia & validitate Monitorii Rom. Pont. contra Venetos, nec non responsiones ad septem Theologos, & ad doctores gymnasii Patavini; atque ex aliis multis operibus, quæ partim extant, partim suo tempore in publicum venient. Sed istuc inquinati sermonis vitium, soliditate doctrinæ, vitæ innocentia atque san-

candore, multisque præterea aliis virtutibus, compensatur.

FRANCISCVS PATRITIVS.

IAm vero prodeat in medium Franciscus Patritius Venetus, non hujus modo sed longo superioris ævi Italorum fere omnium multo doctissimus, in omni præstantissimarum artium genere; qui occupatissima in vita ac summorum virorum negotiis pene omnibus, ac fere perpetuo itinerum labore districtus, nunquam literarum studia intermisit, & egregia multa composuit, quæ summis literatorum omnium laudibus efferuntur. De cujus Parallelis militaribus præsertim, notissimum judicium est Josephi Scaligeri, hujus generis acerrimi æstimatoris, qui in suis ad amicos epistolis scripsit his verbis: *Franciscus Patricius solus mihi videtur digitum ad fontes intendisse; quem ad verbum alii, qui hoc studium tractarunt, cum sequantur, tamen ejus nomen ne semel quidem memorarunt.* Multa hujus sunt præclare ac prope divinitus scripta, quæ longum esset omnia enumerare; sed hæc maxime illustria, Paralleli militares, in quibus veterum Imperatorum militaris disciplina cum ea comparatur atque confertur, quæ nostris nunc viget in moribus; qui liber est mole quidem amplus ac magnus, sed rerum, quæ in eo continentur, æstimatione ac pondere longe maximus atque gravissimus. Librum hunc alii duo sequuntur, item mole ac doctrinæ præstantia inter se genuini atque simillimi, quorum unus, nova, de universis Philosophiæ, inscribitur; ubi ad intima & arcana Philosophiæ penetralia ingenii sui acumine, sibi iter faciens, ab aliis posita ejus tradendæ principia, & tanquam fundamenta convellere ac labefactare conatur, & alia ab illis diversa statuere atque defigere, quibus, utpote cum vera fide congruentibus, Christiana adolescentium ingenia in scholis erudiantur: alterum vero volumen egregium, Peripateticarum discussionum nomine appellat, in quo, admirabili ingenii diligentiæque laude, Aristotelis inventa ad exactam judicii sui normam exigit, examinat, ac sua illa mirifica ad refellendum

dum consuetudine usus, explodit & ejicit; quibus transactis, aliam a se excogitatam scribendi rationem affert, &, quod suum sit de Aristotelicis libris judicium, exponit; atque eos ait esse suppositicios, & falso Aristoteli adscriptos; ac si sint veri ejusdem libri, nihil eos ab ipsius marte depromptum continere, sed omnia ab aliis Philosophis erepta complecti; idque pluribus veterum dictis, quæ ab Aristotelis sententia non aberrarent, conatur ostendere: denique totus in eo est, ut Aristotelicæ philosophiæ fabricam funditus evertat ac diruat, jactisque novis fundamentis, suæ fastigium ac culmen imponat; prope inutili ac supervacuo labore: quid enim tam inutile est, quam si convellere adoriaris ea, quæ commoveri non possunt? quid tam supervacaneum, quam si velis novam & angustam ad id semitam facere, ad quod latissima multorumque trita itineribus via cernatur? Altius Aristotelis auctoritas radices egit, quam ut cujusquam vim impetumque pertimescat: viget, semperque vigebit, hominis disciplina; tantumque quis existimabitur scire, quantum ex doctrinæ ejusdem fontibus haustum, intelligentia comprehensum habuerit; ac nemo, cui cur sapiat, non satius esse ducet in iis, quæ ad Philosophiam pertinent, cum deo, ut ita dicam, philosophorum errare, quam cum aliis recte sapere, minorum gentium magistris. Itaque ille, omnibus in gymnasiis, ad sapientiam properantibus, dux semper habebitur, ille Theologorum quasi militiæ, adversus religionis nostræ hostes, definitiones, argumentorum copiam, & alia præclare dicta multa, tanquam amentatas hastas elargietur, quas illa theologicis lacertis ac viribus, de cælo suppeditatis, torqueat ac vibret: nova vero Patritii Philosophia, quantumvis egregia, vix locum in eruditorum bibliothecis inveniet, quam illi, animi causa, cum est ocium, legant, & in admirationem ipsius ingenii suspiciant; quemadmodum etiam novam ejusdem Geometriam, novamque Rhetoricam; qui libri, in commendationem Euclidis, Ciceronis, Quintiani, aliorumque, qui, hos secuti, de arte Rhetorica libros scripserunt, extabunt. Edidit de scribenda historia tres dialogos, & de arte poëtica totidem decadas, quibus precium sta-

ſtatui pro illorum æſtimatione vix poteſt; & commentarium in Polybium; de Militia Romanorum, multorumque aliorum ex inſula Cypri: protulit etiam in lucem, ex antiquitatis tenebris, tanquam e ruderibus, erutum, Commentarium Græcum Philoponi in Metaphyſicam Ariſtotelis, quem etiam, in Latinum a ſe converſum, emiſit: Mercurii Triſmegiſti operum (ut eſt opinio) fragmenta, tanquam disjecta membra, in unum corpus collegit. Perpetuas habuit cum Theodoro Angelutio, philoſopho ac medico Patavino, de naturali philoſophia, & cum Jacobo Mazzono de ea, quæ eſt de moribus, controverſias, ut ex libris apparet, quibus, tanquam armis, inter ſe decertarunt. Hujus ſi virtuti par data eſſet corporis ſtatura, proceritate infra ſe ceteros reliquiſſet; ſed brevis, neque ita venuſta, a natura contigit; neque tamen minus fuit illuſtris & honoratus; quod magnos homines virtute metimur, non corporis mole. Docuit Philoſophiam in duobus clariſſimis Italiæ gymnaſiis, Romano ac Patavino.

CLAVDIVS BELVRGERIVS.

Claudius Belurgerius Gallus, jam inde a puero, incredibili Græcarum literarum amore flagravit; in quibus perdiſcendis, ita aſſiduam ac diligentem operam poſuit, ut Pariſiis, in quam civitatem ſe contulerat, habitus ſit omnium, qui profeſſionis ejuſdem eſſent, longe doctiſſimus: ſed collegii Navarræ moderatoris in primis ſtudia commovit, evocatusque ab eo eſt, ut humaniores ibi literas doceret; in quo munere verſatus eſt diu, ac complures ita Græcis literis eruditos ad graviora ſtudia dimiſit, ut in publicis philoſophicis diſputationibus, tum in laceſſendo, tum in reſpondendo, non alia uterentur lingua niſi Græca; cum etiam capita quæſtionum, quæ in certamen contentionemque vocabantur, Græce edita eſſent. Et hoc magiſtro, ita Græcæ eloquentiæ ſtudia viguerunt, ut non alias major illi honor ſit habitus, neque vehementius eidem plures inſervierint. Moribus fuit ſubagreſtibus ac rudibus, neque in victu, veſtitu, ſermone, quidquam habuit ele-

elegans, concinnum, aut compositum, sed æque omnibus in rebus incultus ac dissipatus apparuit; nullus apud eum liber, quantumvis carissimus, egregie præter ceteros custoditus, aut in loculamentis suo loco positus, cernebatur, sed unumquemque, ut casus tulerat, projectum, dispersum, squalidum, rudis mensa, vel solum excipiebat. Erat illi, præ ceteris, in deliciis Homerus; hunc habebat semper in manibus, hunc totum edidicerat, hunc secum in templa deferebat, & sacrarum precum loco recitabat. Hinc insolita cupidine actus, dedit operam, quantum potuit, ut Thersitæ imago, quemadmodum in secunda Iliade versibus ab Homero describitur, ita celebris cujuspiam pictoris manu in tabula coloribus depicta exprimeretur, nihilque, quantumvis minimum, prætermitteretur ex iis, quæ ille in eo deformando persequitur; quæ res illi ita contigit ex sententia, ut nihil esset ea pictura illustrius, nec quidquam existeret, quod magis visendum censeretur. Demum ille, in Homero diligendo, eo insaniæ processit, ut incredibili cupiditate exarserit, suis sibi oculis subjiciendi campos, ubi Troja fuit, atque omnia ea late loca conspiciendi, quorum ille memoriam ac nomen usurpat. Qua de causa Carthusianis fratribus certam pecuniæ summam, quam morte ipsius lucrifacerent, fœnori dedit ea lege, ut, quoad viveret, centenos ac quingenos sibi aureos, ubicunque locorum esset, transmitterent. Quibus actis, annos natus quinquaginta, ea Parisiis mente discessit, ut non antea ad munus docendi, quod relinqueret, reverteretur, quam totam gratiæ oram oculis perlustrasset, ejusque descriptionem, diligentissime in tabulis exaratam, reportasset. Ergo in hac peregrinatione, majore vi animi & ardore suscepta, quam si in Palæstinam ad sacra Christi nutrimentorum & supplicii loca properaret, Romam venit; ubi a Regis Galliæ oratore perhumaniter exceptus est, & ab eruditis viris in honore habitus; & quia, quacunque iter faceret, plura virtutum suarum, quam adventus sui, vestigia relinquebat, elegantissimo carmine, Græce scripto, quod etiam in Latinum sermonem convertit, M. Antonii Burghesii, Pauli V fratris filii, & Camillæ Vrsinæ, Virgilii filiæ, nuptias,
quæ

quæ in eos dies incurrerant, quibus ipse ad urbem accesserat, cecinit. Tum Roma Venetias se contulit, ubi continuo, ventis operam dantibus, tempus navigandi commodum nactus, navem conscendit, quæ in Orientem solvebat; quæ tandem hominem, cui, præ cupiditate agri Trojani visendi, nulli neque venti, neque remi satis facerent, Alexandriam incolumem detulit. At qui Neptunum sibi æquum, cohibitis tempestatibus, navi vectus invenerat, quem potius iniquum habuisse par fuerat, quod tam incenso studio ab ejus urbis vestigia propemodum adoranda ferretur, quam, sibi perjuram, tridente subvertisset soloque æquasset, Alexandrinum solum, ad cujus contumeliam nihil illa profectio pertinebat, adversarium reperit: nam lethali eum morbo implicitum, & tanquam catenis devinctum Orco tradidit, ut ad Homeri, quem tanta pietate coluerat, manes adduceret, ab eoque perdisceret, cujusnam potissimum ex illis septem Græciæ civitatibus esset, quæ suum esse asserunt, deque ea re acriter apud judicem, qui nondum sententiam tulit, pugnant inter se atque contendunt. Ejus morte, magna pars librorum ejusdem deperiit; atque inter eos insignis commentarius in Homerum; quem infinito multorum annorum labore confecerat.

ANTONIVS GYRONVS.

ANtonius Gyronus Tarraconensis, adolescens Romam venit; qui urbis amore captus, perpetuum in ea vitæ suæ domicilium collocare constituit. Erat tum modicis facultatibus præditus, sed postea eas auxit usuris centesimis pecuniarum, quas in societatibus officiorum, ut vocant, collocaverat. Jamque tantum divitiarum sibi coëgerat, ut ex earum fructibus posset suo, ut dicitur, vesperi vivere, neque necesse haberet, suas alicui operas locando, vel se indignum aliquod opus faciendo, sibi victum quæritare. Sed quia non licebat illi esse ocioso, & quia bonis erat artibus à puero institutus, contulit se ad cunctarum urbis Ecclesiarum notitiam, quibus videlicet initiis earum unaquæque orta sit,

fit, quibus beneficiis ac muneribus exornata, quibus sanctorum Martyrum reliquiis locupletata, quibus clarorum virorum sepulcris cohonestata, atque ad alia id genus multa, curiose investiganda; quibus in rebus ejus operæ magnum sibi fuisse usum, testatur Cæsar Baronius, in suis ad Martyrologium Romanum notis, qui cum illi magnus intercedebat usus consuetudoque. Sed in primis sanctimoniæ se deditum esse, præ se ferebat, tonsa barba capilloque; pallio, tunica, sago, tibialibus, ac femoralibus laneis, male aptis ad corporis membra; collare simplici, neque, ut tum erat usus, lactucato; Breviarium, multis Christi Domini Deiparæ Virginis, ac sanctorum imaginibus refertum, quocunque incederet, ferebat sub alas; atque opinioni hominum, hac sanctitatis specie, blanda conciliatricula, commendatus (nam omnes, non solum boni, verum etiam mali fere semper probitati favent) cœpit primum se in nobilium virorum amicitias insinuare, tum ab hac rimula adaperta, ad mulierum quoque familiaritates obrepere, earum præsertim, quæ vel nobilitatis splendore aliquo vel formæ bono præstarent; in quo adeo fuit felix, ut nulla esset Romæ nova nupta, nulla paullo celebris matrona, nulla nubilis virgo, quam non amicitia comprehenderet, obsequio tueretur, ac non omnibus sibi modis adjungeret, & si quam in via conspiceret, cum ea consistere, colloqui, summaque ambitione contendere, ut qui adessent, intelligerent, se esse mulieri in amore & gratia. Cumque religiosissima Dei immortalis & sanctorum templa, magna populi frequentia, celebrabantur, & cum dies, divo cuipiam sacer ac festus, advenerat, eo die ejus in Ædem magnus virorum ac mulierum numerus conveniebat; ideo mulieribus, se tergendi, ornandi, poliendi, expoliendi, pingendi, nulla satis satietas erat, ne, ubi exempla conferrentur, mulierum aliarum sui ætas ornatus pœniteret, cum alias ornatas melius conspexissent: tum licebat videre hominem, nunc ad hanc, nunc ad illam rhedam accedere, aliam salutare, cum alia caput conferre, alteri aliquid in aurem dicere, in templo vero inter eas versari, demonstrare illis, quid unumquodque sacellum vel ara sacri aut religiosi contineret, ad detra-

ctas

ctas ex breviario suo imagunculas partiri: neque offendebantur in eo homines; ac minus commodos de illo sermones habebant, sed tantum, joci gratia (ut verbis eorum utar) amatorem spiritualem eum appellabant; cum illius amor intra externas illas significationes consisteret, nec ad rem abiret. Sed tandem miser, turpiter decoctis iis, quibus cum eas officiorum societates, de quibus diximus, inierat, tabe confectus interiit; non sine Baronii jam Cardinalis admiratione, qui nunquam suspicatus fuerat, tantam vim illi pecuniæ fuisse, quem, utpote Evangelicæ paupertatis studiosum, adamaverat.

RVTILIVS GRACCHVS.

SI illustrium totoque terrarum orbe nobilium Pinacothecarum parietes, non hominum formosorum modo, sed deformium quoque imaginibus referti vestiuntur, quæ imagines, non minus quam illæ formosorum, tum pictorum artificio, tum formarum commemoratione delectent; cur non liceat etiam nobis, doctrinæ sapientiæque forma præstantibus viris non nullos inserere, quorum insignis stultitiæ deformitas cum aliquo ingenii acumine juncta videatur? Horum enim tanquam aspectus inhonestus ac fœdus ita nos capiet, ita oculorum animi sensus voluptate mulcebit, ut egregia & facta ad amussim ora, atque ingenia. Quis non æque in Thersite teneatur, quem suo in carmine, tanquam in aliqua tabula, ab imis unguibus usque ad verticem summum, omnibus corporis vitiis cumulatum, descripsit poëtarum princeps Homerus; atque in Nireo, quem nigris oculis nigroque capillo fuisse, quoque neminem, neque pulcriorem, neque venustatibus omnibus pleniorem, ad evertendam Trojam accessisse, idem affirmat? quis non simili, in dissimili specie, capi voluptate se sentiat, ex Vetustinæ descriptione, cui Martialis tres tantum dentes, ac tres capillos, pectus cicadæ, crus formicæ, rugosam frontem, mammas aranearum cassibus pares, os rictibus crocodili simile, noctuinos oculos, atque alia monstrosi corporis portenta, eleganti carmine tribuit; ut in Lesbia Catulli, in qua defor-

manda, totam esse formosam, pulcerrimam totam, tum omnibus unam, omnes surripuisse Veneres ait? Referam igitur duorum hujus nostræ ætatis hominum, insignium ad ridendum, imagines, quibus cognoscendis animus reficiatur, & ad alios, summa gravitate elegantique doctrina viros, de quibus dicturi deinceps sumus, intelligentiæ oculis intuendos, integer revocetur; ac primum a Rutilio Graccho ordiamur. Hic Romæ nobili domestico genere natus, a parente inops est relictus, ac fere semper cum adversa fortuna conflictavit; sed tamen ita in re tenui vixit, (in qua tutanda non erat stultus) ut nunquam, se liberalius alendi gratia, data opera, alienis escis studuerit, quamvis invitatus ire non recusabat, neque ad aliquam artem, genere indignam suo, transierit. A puero dedit operam literis, & quia erat ei ingenium docile, quidquid traditum fuerat, didicit. E ludo egressus, ac robustior factus, quoad illi mens constitit, egregios complures rhythmos composuit, cum aliorum sui ævi poëtarum optimis comparandos; qui fratris mei indiligentia, a quo erant collecti, interiere: sed postquam mente destitutus est, scripsit non minus multa ridicule, jussit quæ splendida bilis; ita tamen, ut in illa stultitiæ quasi caligine, quoddam quasi lumen ingenii eniteret; e quibus majorem & risum & admirationem commovebant conciones, Etruscis rhythmorum lege solutis versibus comprehensæ, quibus Evangelia, singulis quadragesimæ diebus attributa interpretabatur, & in his prooemia, in quibus populo audientiam faciebat: ea enim non extrinsecus aliunde quærebat, sed ex ipso Evangelio sumebat. Verbi causa; de puero centurionis ægro verba facturus, mulieres admonebat, ut si quæ pueros infantes minutulos illuc attulissent, foras efferrent, ne quasi hœdi obvagirent, tum ut tacitæ sederent, neque canora sua voce tinnirent; denique concionem totam jubebat silere & tacere; nam ægrotum esse ibi viciniæ, ac modo, ex perpetua nocturna vigilia, aliquid quietis capere cœpisse, proinde incivile, immo sævum & immane esse, strepitu atque clamore, ejus ab oculis somnum abigere. Item, Christi ab inferis excitati historiam enarraturus, quæ concio, quoniam a prandio habetur, multos

tos invenit, qui se a somno obsideri obtinerique patiuntur; ut ab eo auditores abduceret, Cavete, ajebat, ne vos somnus obrepat; nam hodie nemo inventus est illi operam dare, nisi lictores atque carnifices; itaque quicunque ex vobis somno indulserit, non erit alius, nisi lictor & carnifex, ex eis, qui Christi sepulcri custodiendi partes acceperant. Leve esset ac frigidum, omnia referre, quæ ille per insaniam scripsit. Sed cum primum a se ipso discessit, in varias rerum formas, quasi Proteus, abiit; ante omnia in Antichristi personam transiit, atque ab omnibus pro Antichristo haberi volebat; quem non sævum, non immanem, non impium, non scelerum caput, non Christi inimicum, ut origo verbi significat, futurum ajebat, sed mitem, humanum, pium, sed virtutum omnium principem, ac maxime cum Christo conjunctum; se quidem res miras ac supra humanæ naturæ vires editurum esse affirmabat, atque aliis pollicebatur opes, aliis honores, aliis divitias; quod cum ad quæsitores fidei delatum esset, statim compactus est in carcerem, sed, causâ diligenter cognita, fit ab illis decretum, deliramenta eum loqui, nec tam a fide, quam a mente discessisse, ideoque in nosocomium dementium detrudendum esse, ut ibi potaret helleborum aliquot dies: in quod exceptus, cum non admodum pro insano se gereret, nullius fere custodiis asservabatur: quamobrem die quodam, cum pedem e culina cocus extulisset, in eam ipse ingressus, tanquam cloaca vel gurges totum in se illud immisit, quod fuerat amentibus omnibus coctum: tum domi moderatores jusserunt eum egredi ex ea foras, ac noluerunt alere stultum tam edacem; præsertim cum intra verba tantum desiperet, neque manu aliquid moliretur. Tum Proteus ille in aliam formam se inclusit, atque esse literatum, qui paucos menses ante e vita migraverat, ad solita pietatis munia ab orco remissum, asseruit; ac complures egenos pueros, quemadmodum ille faciebat, tota ex Vrbe coactos, cruce præeunte, binos ire jubebat, sequebatur ipse, tunica indutus cinericia cucullata, stipem quærens: sed die quodam, cum apricanti sibi, una cum mendicabulis illis hominum pro Æde D. Augustini, æditaus molestus inter-

terveniſſet, erepta e pueri manibus cruce, caput illi comminuit. Diſſoluto igitur mendicorum cœtu, cum non ſuccurreret alia perſona, in quam immigraret, in ſe manere, ac ſuam gerere ſtatuit; ac ne ſtultitia ocioſa jaceret, voluit dare operam Philoſopho illi, quem tum ego audiebam. Non poteſt ſatis narrari, quantos ludos præbuerit, quam multa jocoſa dixerit, quam inſanis argumentis, ſed oppido ridiculis, iis, quæ a magiſtro traderentur, obſtiterit; quorum unius in præſentia memini. Sumunt Phyſici pro comperto, non poſſe eandem rem duobus eodem tempore motibus, inter ſe diverſis, impelli agitarique, videlicet non poſſe idem caloris ſimul & frigoris impulſu moveri; id ille hac ratione conabatur infringere. Fige palum, ajebat, in pariete, nonne illum eadem opera aperias & claudas; patefacias & obſtruas? at quænam duæ res ita inter ſe pugnant, ut aperire & claudere, patefacere & obſtruere? non jure igitur, unam & candem rem duobus motibus contrariis, ſimul junctis, ſubjici poſſe negatur; quæ poſtea verſibus comprehenſa recitabat. Convertit ſe deinde ad civitatem pulcris moribus exornandam; & quia nullum fere in honoribus habendis diſcrimen adhiberi querebatur, atque eodem ſalutationis genere, privatos amicos, ac ſummos viros advenientes excipi; tres ſibi pileos, apte inter ſe cohærentes, ita ut unus, ſeorſim ab altero, extrahi poſſet, concinnavit, inque eos caput inſeruit; atque inferioris ordinis amicis unum, ſuperioris duos, ſummo vero loco poſitis tres ſibi e capite detrahebat, hoc ordine, ut dextera manu unum, ſiniſtra alterum apprehenderet, tertium in collum rejiceret. Ob quod inventum a S. P. Q. R. per epiſtolam petiit, ut ei victus quotidianus in Capitolio præberetur. At fiebat interdum, ut eidem non nemo moleſtiam, tanquam ſtulto, exhiberet; cui ille occillabat os probe: & ſi quis referre illi gratiam pugnis auderet, continuo ſibi tunicam e pectore, ubi cereus pendebat orbis, diloricabat, atque, En tibi, ajebat, agnum Dei, feri, contunde pugnis, interfice: quæ ita loquebatur, ut compoſitas in pugnos manus haberet, ut (qua erat athletica ac prope gladiatoria corporis firmitate) ſi ſe commoveret, os illi exoſſaret:

ret: quamobrem ii, majoris infortunii metu, taciti discedebant: neque ita facile inveniebatur, qui esset illi molestus. Sed homo stultus, & magis aliud quidpiam quam se ipsum esse cupiens, non potuit diu limitibus se suis tenere, sed immigravit in Herculem; ac feriis Bacchanalibus, cum magna vis nivis e cælo decideret, vectus equo, nudus, ita ut ex utero matris excesserat, nisi quod paululum leonis pelle tegebatur, uno die sæpius totam Vrbem circumivit: atque effundebantur in risum omnes, cum cernerent, tempestate illa perfrigida, nivis homini floccos ex capillis cruribusque nudis pendere. Sed nullus erit scribendi finis, si sit consilium, omnia exponere, quæ ille stulte ac ridicule in vita fecit ac dixit. Ad senectutis terminos cum jam pervenisset, tabe confectus interiit, vel tanquam sol potius, sed quem postea nemo exorientem visurus esset, occubuit: etenim, quo tempore mortem obiit, appositis capiti suo radiis, ex aurichalci bracteis factis, se solem esse simulabat.

POMPEIVS GIARDINVS.

EAdem tempestate, Pompejus Giardinus Romanus, nobili item genere natus, sed parum mente validus, multos annos, non civibus Romanis solum, verum etiam advenis, magnam de se voluptatem atque animi remissionem attulit. Ejus stultitia versabatur in eo, ut, quotquot in principibus concionatoribus numerarentur, eos diligenter audiret, atque imitando exprimeret; quos gestu, motu corporis, vultu, & voce, & ipso genere sermonis, ita repræsentabat, ut omnes admirarentur; sed in primis Toletum, Panicarolam, Lupum, Marcellinum, & alium nescio quem, sive verum, sive ab eo excogitatum & fictum concionatorem, imitabatur, qui maledictis ac precibus magis, quam rationibus & exemplis, improbos a vitiis abducere, & ad virtutem traducere conabatur. Vt vos, ajebat, Deus divique omnes perdant, pessimi, ut vitam ferro, suspendio, ruina, vel præcipitio finiatis, improbi, scelerati, sacrilegi, cur de via deceditis? cur castimonia, pudicitia, continentiaque relicta, ad omne genus turpitudinis nequitiæque, libi-

dines vestras effunditis? At non possumus, dicitis, tam lubricis vitæ humanæ viis, sine casu aut prolapsione, consistere. Malum, quod vobis Deus det, magnum & maturum: cur, cum paruistis diu voluptatibus, cum dedistis multum temporis ad ludum ætatis & ad inanes hasce corporis voluptates, non revocatis vos aliquando in viam, atque animum ad virtutis studia traducitis? exemplum de me sumite; ego quod feci flagitii, populo uni potuit viritim dispertiri, & tamen ad frugem redii, & nunc, qui eram antea potator, scortator, aleator, ex hoc suggestu vobis, hoc est, surdis fabulam narro; sed ite hinc in maximam malam crucem; tum sera vos pœnitentia subibit, cum cælum me, orcus vos in æternas damnatorum sedes, exceperit. Dixi. Solitus etiam erat, sub velo aliquo latitans, lepida atque jucunda imitatione, referre primo partu mulieris laborantis ex uteri doloribus voces; inducebat enim eam, non solum usitatis *illis* parturientium precibus postulantem, dari sibi facultatem pariendi, nimirum, Margarita fave, fer opem, serva me obsecro, sed diris etiam diem illum devoventem, quo data nuptui esset; ac, me miseram, ajebat, si mihi suspicione saltem oboluisset, quantum doloris inesset in pariendo, conclusissem me ante in aliquam sacrarum Deo Virginum domum, quam cuipiam nuptui darer: quod si tanto emitur dolore voluptas, quæ ex viro percipitur, valeat illa, atque eam sibi habeat, quæcunque illius est cupida. Tum, mutata voce, obstetricis partes agebat, quæ, bono parturientem animo esse, juberet; nam mox futurum, ut scitulum ex se puerum daret, qui omnem sibi ab animo doloris illius molestiam abstergeret. Interea, o filia, ajebat, manibus, pedibus, totoque corpore enixe contende, ut propere partus in lucem exeat, præsto etiam vir tuus aderit, qui suo aspectu non minimum tibi solatium afferret. Quid? illa ajebat, mihi virum memoras? male illi ac maritis omnibus fit, qui tantum nobis dolorem creant; quæso, odium illud, si sapiet, nunquam mihi posthac in conspectum prodibit. His atque aliis ejusmodi nugis studebat in hilaritatem animos dare; ideo sæpe vocabatur, ac sæpius etiam invocatus, ultro se offerebat illo, ubi convi-

vivium agitari perceperat, ut, conciunculis recitandis, nummum unum aureum, vel saltem argenteum auferret; & quia erat præter modum avidus pecuniæ (nam id unum illi vitium inerat maxime) fere quotidie ad portam Flaminiam ibat, percunctatum a custodibus, num vir princeps aliquis, aut domi suæ nobilis, urbem esset ingressus; ac si quemquam venisse compererat, generis sui oblitus, evolabat ad tabernam actutum diversoriam, in quam ille se receperat, ut aliquid ab eo, sua illa faceta concionatorum imitatione, abraderet: ac si nulli adnarent thunni, quos expiscaretur, pro pisciculis capiebantur illi, qui in Ædem Deiparæ Virginis, Dominicanorum fratrum, cujus fores totos dies patent, ingrederentur; nam ad singulos accedebat, iisque, si vellent emere, binas binis obolis conciones venditabat, sed non ante, (ne sibi fucus fieret) recitabat, quam obolos in crumenam condidisset: ac fiebat interdum, ut virorum principum liberalitate large donatus discederet; ut a Menapiorum Principe, cui Jacobus Boncompagnus Soræ Dux, cœnam dederat; ac nisi Fabricius Carosius, tunc temporis saltator insignis, ac potator maximus, qui temulentus ab eadem cœna revertebatur, homini succurrisset, a circumpedibus ejusdem Ducis, vita ac pecunia, quam referebat, eversus fuisset. Venerat Fabricius in illud convivium, evocatus a Duce Soræ, ut, proposito præmio, pugnam cantharis cum Germano quodam committeret, quem Menapiorum Princeps Novellio Torquato, Lucio Pisoni, M. Antonio Triumviro, ac Ciceronis filio, quos vinosissimos fuisse constat, bibendi gloria anteferebat; quem simul ut Fabricius aspexit, Hic ne, inquit, est ille nebulo, qui cum mihi futurum est certamen? qui mecum se conferre audet? jam illi ostendam, qui vir sim; illud dolet mihi, quod cœnatus huc venio; verum animo non deficiam, sed vino opus est exquisitissimo: jam Germanus, Gregorii XIII nomine invocato, heminale poculum, vini plenum, Fabricio propinaverat, cui ille, Ludis ne, inquit, tu me? hoc pocillum avibus, cavea inclusis, ut bibant, appone; arreptoque congiali vase, vino ad summum implevit, tum uno haustu ita totum exhausit, ut nihil in eo, ad eli-

elidendum in pavimentis sonum, villi reliquerit. Exhorruit Germanus, ac facile certaminis illius palmam Fabricio detulisset, sed pudore ac domini sui metu deterritus, vase accepto, vix, sæpius in hauriendo respirans, ex eo ductim in se vinum inversit. At rursus eundem Fabricius ludum, Menapiorum Principis honoris gratia, alio haustu commisit, nec licitum fuit illi misero recusare. Postremo Fabricius, ad illum conversus, cui jam ebrietas os pallidum, pendulas genas, rubidos oculos, tremulas manus, effecerat, Ne te, ait, functum omnibus periculis credas, nam quanta Duci nostro Sorano fieret injuria, si nemo bene illi ex nobis sua ad pocula diceret! tum vas cumulatius quam antea implevit, ac prius sanitatem Duci precatus, spectantibus, miraculi gratia, convivis, illud intrepidus exinanivit. Jussus est ille, quamvis pene sine mente ac sine sensu jaceret, invitationi respondere; sed vix plenum illud vas labris admovit, cum exanimatus ad terram corruit, atque illinc elatus est mortuus. Sed Fabricius, id quod ebriosis raro contingit, nonaginta & eo amplius confecit annos; Pompejus vero noster, cum jam nemo sustineret eum amplius audire, senio confectus interiit. Fuit ingenio eleganti, nec adversa probitatis fama: nunquam enim dici eum memini, sicut de aliis, præter avaritiam, turpium libidinum vitio laborasse; præsertim cum juveni ad omnium fere domos aditus patuisset, & honesta facies & firma corporis valetudo contigisset. Hujus avaritiæ mentio cogit me, ut Dichæi Dichæani, prodigiosæ avaritiæ hominis, imaginem subjiciam.

DICHÆVS DICHÆANVS.

Dichæus Dichæanus, puer e Græcia a parente, qui in præcipuis Europæ urbibus argentariam non ignobilem fecerat, perductus est Romam; ac sicut ceteros ejus æquales impotentia atque elatione animi vicit, ita etiam multos mortales, vitæ parsimonia, antecessit: nam fuit cerebrosorum cerebrosissimus, & parcorum parcissimus. Adolescens, studiis humanitatis, ac juri civili in primis, operam dedit; de quo nonnulla, ab eo docte ele-

eleganterque scripta narrantur, sed ea nondum, quod sciam, typis impressa apparuerunt. Omnibus in rebus, gravitatem dignitatemque sectari se profitebatur; sed in incessu præsertim, & in omni corporis motu, nihil non ad artem dirigebat. Nam quemadmodum Spartanorum militia dicitur processisse ad numerum, neque ulla adhibita esse, sine anapestis pedibus, hortatio; ita etiam omnis hujus vitæ actus, erat numeris, ut ita dicam, adstrictus, atque in omnibus illis septem motibus, quibus corpus agitari solitum est, summa ab eo cautio ac diligentia adhibebatur, ne quid committeret, quod esset ab hominis gravitate, vel potius a regia majestate alienum. Itaque sive ad lævam sive ad dexteram se flecteret, sive sursum, sive deorsum moveret, sive in orbem rotaret, sive aliquo accederet, sive inde recederet, semper sui similis inveniebatur. Hinc locum festivo urbanorum hominum dicto fecit; quippe illum, ajebant, secum hominem ducere, qui occulte post ipsum plauderet, ut ad plausus mensuram, quemadmodum solent musici vocem in cantibus, ita ille gressus moderaretur suos. Nullum ejus ab ore dictum exibat, nisi prægrande, rotundum ac magnificum. Græcus plane erat; quid opus est verbis? nam Græcis, ut Horatius ait, *dedit ore rotundo Musa loqui*. Nullus erat apud eum ridiculis hominibus quæstus: poterant illi quidem dictum, quantumvis ridiculum, dicere, sed nemo suis ridiculis potuit eum adigere, saltem, si non arrideret, ut dentes adstringeret, ac multo minus ut ipsi cœnam ac prandium daret; quod nihil a regali majestate debere longius abesse existimaret, quam risum, atque adeo risus ipsius suspicionem: nam jactabat, se longa serie stirpi Græcorum Imperatorum adnexum. Sed tandem ad Remp. capessendam accessit, curavitque, ut ejus sibi administrandæ pars aliqua traderetur; qua impetrata, tum, ut cum maxime, gravitati operam dedit: nam tum præsertim illi studendum esse existimabat, cum per compita, per fora, per Principum virorum aulas caudam trahebat. Itaque a nemine coram, sed per epistolam, adiri volebat: verum quia ex eo ordine, in quem venerat, in privatorum negociis judices dantur, non poterat effugere, quin patronis ac clienti-

bus, de re sua volentibus eum docere, se daret; sed quia erat in primis cerebrosus, ac sui juris sententiæque, fiebat interdum, ut dum patronus, vel ille cui res erat, paulo vehementius causæ suæ defensionem adversus animi illius sententiam prosequeretur, ad clamores & convicia, nonnunquam etiam res ad manus & ad pugnam veniret: ac die quodam, ejusmodi res accidit, quæ in vulgus prolata, miros, de homine ridicule iracundo, toti urbi sermones ludosque præbuerit. Venerat patronus ad eum quidam, non indoctus nec indisertus, ut clientis sui causam, de qua judex erat ille captus, exponeret, eumque rogaret, ut sententiam quamprimum diceret; cumque in differendo, validissimis rationibus, quæ ab illo objiciebantur, labefactaret atque convelleret, homo impotenti animo atque elato, qui ferret inique, se rabulæ (ita enim contumeliæ eum causa appellabat) in disputando parem esse non posse, ad id accurrit, in quo superiorem se esse non dubitabat, nimirum ad vim; impetuque facto, pugnis & calcibus, ad terram eum afflixit, & continuo in cubiculum ibi proximum abiit; sed vix pedem intro in illud intulerat, cum alter, ex eodem quo ille erat ordine, judex salutatum ad eum venit, quem ille, qui humi jacebat, intuens, existimavit eum esse, a quo fuerat pugnis male multatus, ac surgens, itaque ubi esset ignorans, in os illi involavit, & plusquam quingentos colaphos impegit, anteaquam ille, re improvisa perculsus, posset se colligere percontarique, quamobrem tanta ab eo injuria afficeretur. Verum de incredibili hominis parsimonia, cujus gratia in illius memoriam incurrimus, sexcenta possunt enumerari; sed paucis contenti erimus, unde appareat, voluisse eum duas res inter se maxime diversas copulare atque connectere, summam videlicet in omni victu tenuitatem, & admirabilem vitæ cultum atque splendorem. Erat illi elegans suppellex, a parente relicta, serica vestis stragula, plura peripetasmata, multum argentum, tum cælatum tum purum, conopei, lecti, sellæ, mensæ cum scriniis, ex ebore atque hebeno scite eleganterque contextis, atque alia ejusmodi non parum multa regalis propemodum opulentiæ ornamenta: itaque jubebat sibi quo-

quotidie exornari ample magnificeque prandium ac cœnam, videlicet exponi ea, quibus abundabat, plurima ac pulcerrima vasa argentea, quivis ut cum aspexisset, non se paratum homini privato prandium, sed instructum Regi maximo convivium, videre arbitraretur, ac pro certo existimaret, deferendum in illud esse, quidquid eo die apud omnes lanios, apud omnes aucupes, denique quidquid omentorum fuisset in foro: procedebant famuli, utraque ferentes manu patinas, alias aliis impositas, atque invicem tectas, quasi depellendi ab epulis, quas continebant, frigoris vel sordium causa; sed intus nihil habebant, sed plenæ erant inaniis; paucæ vero, vel pultem, vel frustulum agninæ, vel suillæ, vel bubulæ, pro temporum varietate, claudebant; vespere vero cœnabat olus, ovum, vel paucas oleas, cum frustulo panis, quod sibi reliquum fecerat in prandio, & ad vappæ heminam sitim extinguebat: in prandiis vel cœnis summam dabat operam, ne qua panis, quem edebat, mica sibi in barba adhæresceret, vel in sinum, atque inde ad pedes, delaberetur, & si quæ forte decidisset, magno clamore, tollendam eam reponendamque una cum aliis in mensa, imperabat: itaque nulla unquam neque catella, neque pullus gallinaceus, neque formica, facta est ex earum aliqua pinguior. Postquam e mensa surrexerat, jubebat placide accurateque inde mappam amoliri, omnesque panis micas, quanta maxima poterat diligentia, in unum contrahi, colligi, asservarique, in proximum diem dominicum, ut ex eis, ex jure coctis, puls sibi conficeretur. Coco quotidie ligna ad exiguam mensuræ rationem præbebat, simulque hanc illi edictionem habebat, ne vicino cuiquam ignem petenti daret, vel cultrum, vel pistillum, vel mortarium, vel quidquam ejusmodi utendum traderet; quod si edicta non servasset sua, diario ejus diei eum multabat. Neque ceteris in rebus minus erat parcus, minusque in speciem magnificus, sed quotidie antequam advesperasceret, candelabra sex argentea disponebat in mensa, quæ erat in cubiculo, ubi ad se venientes excipiebat, ut qui adirent, se esse copiose ornatum, atque ad ejusdem cultus rationem reliquam suam esse vitam arbitrarentur: sed prode-

debat ipse sese; nam cum terras nox opacaverat, si erat, qui conveniendi aditum posceret, unam ex candelis, candelabris illis affixis, sua manu inflammabat; tum in ambulatione cum illo veniebat, sed octo vel decem spatiis factis, candelam alteram, illi proximam, accendebat, & primam extinguebat; deinde, aliis decem spaciis confectis, tertiæ eodem modo lumen adiuovebat, ac secundæ adimebat; quem deinceps ordinem, in aliis accendendis extinguendisque servabat; qua re assequebatur, ut omnes simul ad eandem mensuræ rationem decrescerent: sed ubi ad sextam candelam redacta res erat, continuo missos faciebat omnes, neque quicquam se adeundi potestatem dabat, sed, candela sua luce orbata, abdebat se in cubiculum, ibique, ad tenue lucernæ unius lumen, quod reliquum erat temporis, antequam cœnatum vel cubitum iret, legendo vel aliquid aliud agendo conterebat; at mos hic tam illiberalis ac sordidus irrisioni jocisque facetorum hominum patuit. Nam cum venisset ad eum nocte quadam vir in primis nobilis, & ad jocandum aptissimus, atque solemne & antiquum illud suum de candelis, ut diximus, obtinentem eum aspexisset, irrisit stultam hominis sordide parci sedulitatem, qui & sibi voluptatem, & aliis, qui essent illud audituri, risum quærens, ad sextam candelam accessit, cui, ceteris jam suo functis munere, cubiculi illuminandi partes incumbebant, ac micantem in ea flammam spiritu oris impellens extinxit; atque illico consecutæ sunt tenebræ; qua re ille vehementer commotus, Cur hoc, ait, tibi venit in mentem conari? Quia, inquit, volui te hunc laborem lucrifacere, & quia duxi, pro nostra vetere amicitia, unam saltem candelam, domi tuæ, lucis expertem efficere mihi licere, quod tibi in aliis quinque facere libuisset; quod si tantopere candelam unam extinctam quereris, in quo nihil est damni, sed lucri potius aliquid inest, quos clamores ederes, si illi Vulcanum admovissem, si ardere coëgissem? Neque in tota domo repertum est aliquod vel lucernæ vel candelæ lumen lucere, quod illuc inferretur, sed necesse fuit, mutuum illud foris accipere. Aurigæ, ac circumpedibus, vestes consimiles dabat, quibus induti sequerentur ipsum,
quan-

quando incedebat per vias; sed simul ac se domum receperat, jubebat illos eas deponere, ac proprias accipere, ne videlicet, ab se datæ, frequenti usu attererentur ac sordescerent, sed semper integræ ac recentes venirent ad oculos, & quia semel rhedarius complicatum sibi pallium pro pulvino subjecerat, simul atque animadvertit, illico, prope ad insaniam redactus, voces in cælum tollere, Dei atque hominum fidem implorare, suam rem perdi, seque eradicari clamare; ac parum abfuit, quin eum collo abreptum, atque e curru dejectum, ad terram affligeret, pedibusque protereret. Quoties illi exeundum erat domo, quo honestius comitatus incederet, eo die duos quosdam serica talari veste indutos, qui se comites sequerentur, mercede conductos habebat, quos deinde reveniens, ab ostio missus faciebat. Hybernis vero mensibus nefas erat grande apud eum, si uspiam, præterquam in culina, conspectus esset ignis lucere; & quoniam interdum famuli, pene frigore obrigebant, auctor illis erat, ut inambularent in sole, vel, si cælum esset nubilum, ut currentes se invicem peterent, ac suis palliis verberarent, vel aquam e summo puteo ad domesticos usus haurirent: ita enim fore, ut brachia, manus, pedes, latera, sine ulla ignis ope concalefierent; sibi vero in interiori cubiculo igniculum ex tigillis comparabat, quem excitabat ex pagellis, quibus, postquam ventrem exoneraverat, reliquias sordium, sedi hærentes, abstergebat: non enim earum aliquam perire patiebatur, sed singulas arculæ cuidam commendabat, unde eas postea, cum esset opus, depromeret. Postremo insitum sibi a natura, rei per vitæ sordes augendæ studium, multo magis in morte ostendit. Nam cum testamentum facturus deliberaret, quemnam potissimum ex iis, qui bolo illi, tanquam esurientes lupi inhiabant, omnium bonorum suorum hæredem institueret, redditæ sunt ei literæ a gentili quodam suo, in dimidio chartæ unius, ut vocant, folio scriptæ; cumque debuisset homini irasci, quod ejus, ad quem scribebat, dignitatis rationem non habuisset, multo inde alacrior ad hæreditatem illam illi mandandam est factus, quod tuto eam in loco se collocaturum existimaret; non enim esse metuendum, ne,

a se atque a majoribus suis bene parta, male disperirent, si tam parce parco juveni committerentur. Itaque regalis ejus majestas, sordidæ atque inexplicabili cupiditati, rei suæ etiam post mortem tuendæ augendæque, fastigium fascesque summisit. Sed pergamus ad reliquos.

IVLIVS CÆSAR LAGALLA.

IVlius Cæsar Lagalla Licterensis, Neapolitanus, philosophus ac medicus, medicinæ præcepta, quæ in gymnasiis a magistris acceperat, primum transtulit ad usum in triremibus pontificiis, a quarum ducibus, ejus opera conducta fuerat; ibique ferme prima ejus artis exercendæ rudimenta posuit, & inde, longo jam usu & exercitatione satis edoctus, traductus est in aulam Cardinalis S. Severinæ, vocatus ab eodem, ut sibi familiæque suæ, in adversæ valetudinis incommodis, saluti præsidioque esset; ibique, quoad vixit Cardinalis, maxima cum industriæ doctrinæque suæ laude permansit. Sed amator mulierum, inimicitias graves capitalesque suscepit; primum cum N, qui zelotypia coactus, sclopum in eum emisit, per angustum quendam aditum ac tenebris obsitum in procetonem domini se conferentem; sed sclopus displosus, ipso incolumi relicto, parietem feriit: deinde cum Pompejo Caimo contendit, quisnam priores, apud eas, partes habiturus esset: itaque obtrectarunt inter se, cum Caimus se illi præferendum diceret, quod nimis pulcer homo esset, atque ultro expetendus: in quibus inimicitiis, si, quæ ab utrisque odiosa, ridicule & stulte facta sint, velim referre, longius ab incœpto trahar. Sed quamvis, cum se remiserat, nonnihil dissolute intemperanterque committeret, tamen, cum tempus posceret, laboriosus, gravis, ac studiis obsequens reperiebatur. Nam librum de immortalitate animorum scripsit, & Philosophica alia multa, quorum magna pars ab eodemmet ipso commissa est Leonis Allatii, singularis ingenii, doctrinæ, & eruditionis viri, fidei, ac diligentiæ; quo nihil ab eo factum est rectius: neminem enim invenire potuisset, cujus fides clarius

eni-

eniteat, quique amico fit magis amicus; quod ostendit eventus; ejus enim vitam elegantissimo sermone conscripsit; quam, simul ac occasio se dederit, in lucem emittet. Neque solum scribendo, verum etiam docendo, industriam probavit suam. Etenim tres & triginta annos in gymnasio Romano philosophiam & medicinam docuit, magna auditorum frequentia; quam frequentiam conciliabat illi doctrina singularis; cum eloquentia & Latini sermonis pura & incorrupta ratione conjuncta. Vrinæ reddendæ difficultate laboravit; quam dum manu emolitur, fistula cerea, in iter urinæ demissa, comminuta est, quam ipse sibi ferreis uncis, ejus causa factis, ea vi ac festinatione extraxit, ut postea humoris semper aliquid ad pudenda defluxerit, quod tumorem inflationemque ibidem excitaret; ad quem humorem alio derivandum, ubi noceret minus, opus fuit cauterio, bifariam adaperto, quod chirurgis inspectantibus admirantibusque, ipsemet sibi inflixit. Fuit excelsa statura, membrisque, quæ crassitudine ejus celsitudini responderent. Sed jam grandis natu, dum impensius liberalibus disciplinis operam tribuit, conjicitur in morbum, ex quo diem obiit, ac sepultura affectus est in Æde, Deiparæ Virgini sacra, Carthusianorum fratrum, in sepulcro, quod annum ante suum obitum, cum inscriptione a se composita, sibi extruxerat.

IO. MATTHÆVS CARIOPHILVS.

IO. Matthæus, Cariophilus, Cretensis, puer, relicta Græcia, quondam omnium bonarum artium magistra, nunc omnis plane eruditionis experte, in externum solum, hoc est Romam, tanquam ad mercatum venit, ut in collegio Græcorum, exactam atque perfectam Græci sermonis notitiam, studio, labore, ac diligentia coëmeret. Neque precium, operam videlicet, perdidit; nam fecit lucri: etenim, præter Græcam, Latinam etiam mercatus est linguam, ac multarum præterea doctrinarum divitiis auctus locupletatusque, reversionem fecit in patriam. Vbi cum populares suos, qui eodem ritu uterentur, inimicum & infestum adversus se animum

mum gerere animadvertisset, propterea, quod eos ab avita religione ac sanctissimis ejusdem cærimoniis discessisse argueret, coactus est Romam rursus regredi, ac sine mora homo, per se cognitus, receptus est in collegium Græcorum, ut, quo in ludo ipse didicerat, aliis dux esset ac magister, qui ad eandem Græcæ eloquentiæ laudem properarent. At ejus opera, multiplici rerum scientia doctrinæque præstantia, tanti æstimata est, ut non vulgari eam stipendio Petrus Card. Aldobrandinus, elegantium ingeniorum amator, conduxerit, ut esset utilis suis, honesta sibi, suæque honestior domui; eoque mortuo, pluris etiam facta est a Ludovico Card. Ludovisio; a quo dignus est habitus, qui editiore in loco positus, ingenii, eruditionis, doctrinæque suæ lumen longe lateque diffunderet: nam dedit operam, ut Archiepiscopus Iconiensis crearetur. Erat maxime ad iracundiam propensus: etenim, sicut in præcipiti stans, vel quovis levi tactu, in eam impellebatur: erat in communi vitæ consuetudine ingenio feroci, neque iis, quibus cum versabatur, apto, nec commodo. Quam diu ulcus, coxendici hærens, unde, tanquam e fistula, noxii corporis humores defluebant, adapertum patuit, tamdiu licuit illi lucis hujus usura frui; sed simul ac ulcus idem clausum, nullum defluenti puri ad exeundum, aditum præbuit, statim vitæ est illi usus ademptus. Cum in aula Francisci Card. Barberini versaretur, ubi post Ludovisii obitum honorifice in omni victu habebatur, edidit volumen, Græcis Latinisque versibus consertum, quod Noctes Tusculanæ inscribitur. Multa præterea scripsit, quibus theologicas res plures, concisis & contortis disputationibus illigatas, resolvere atque explicare conatus est; tum veterum auctorum Græcos libros, in his Themistoclis epistolas, non ante id tempus editas, imprimendas evulgandasque curavit.

PE-

PETRVS ARCVDIVS.

EX iis, qui tota e Græcia, jam diu lumine litterarum orbata, ad Vrbem discendi gratia venerunt, Petrus Arcudius, Corcyræ ortus, incredibili ingenii doctrinæque laude floruit. De hoc, & de Cariophilo, Balthasar Ansideus, vir æque Græcis ac Latinis literis doctus, dicere solitus erat, nec Athenas ita fuisse Atticas, ut erat illorum oratio; cujus tanta erat suavitas, ut appareret, in eo nativum quendam leporem esse, non ascitum. Institutus est Romæ, in collegio suæ nationis; unde omnibus bonis artibus ita discessit ornatus, ut ad publica negocia atque gravissima sit adhibitus. Nam semel atque iterum missus est a Clemente VIII Pont. Max. maximis de rebus ad Ruthenos, ut videlicet inter ipsos ortas de fidei veritate controversias dirimeret atque componeret; qua in re magni ejus opera æstimata est: nam semper re bene gesta discessit. Quamobrem impetravit a summis Pont. ut Latinorum more sacrosanctum Missæ sacrificium faceret, cum antea Græco fuisset ritu initiatus; tum habitus est benigne ac liberaliter a Scipione Card. Burghesio, Pauli V sororis filio; in cujus aula versatus est aliquandiu; sed tandem literarum, quam honorum vel alterius cujuspiam rei, cupidior, secessit in ædes collegii Græcorum; ubi triennium atque eo amplius ante suum obitum ita vixit, ut se loco movere non posset, quod valido equi, vini cadis onusti, impulsu fuisset ad terram afflictus. ea enim est Romæ mulionum istorum insolentia, is pessimus eorum mos urget, ut ipsi, equis hærentes, citato cursu suum per vias iter habentes impellant, & magnum quid se fecisse putent, si quem obvium in cursu, vel equorum capitibus, vel vini cado quem ferunt, offendant, evertant, ac subdant eorum sub solum, vel cum hyeme corruptæ sunt imbribus viæ, si quempiam aqua conspergant, vel cœno inficiant, equorum pedibus pulso dissipatoque. Verum ille suis pedibus ingrediendi facultate amissa, se quotidie mane in ejus collegii bibliothecam deferendum curabat; neque inde, nisi post solem occasum, in

cubiculum referebatur. Plures edidit libros, tum a se compositos, tum a veteribus Græcis relictos. Sed ex iis, qui ab ipso prodierunt, magnus in primis honor illi habetur, qui, de Concordia Ecclesiæ occidentalis & orientalis in septem sacramentorum administratione, inscribitur, anno MDCXIX Parisiis impressus. Statura fuit alta, ore rubicundo.

IO. DEMICIANVS.

CAriophilo, & Arcudio, quos ceteris, qui e Græcorum collegio prodiissent, Græci sermonis elegantia & maximarum rerum scientia antecessisse narravimus, Io. Demicianus proximus accedebat; sed longo intervallo proximus. Hic ex transmarinis regionibus (erat enim in insula Cephalenia natus) navigavit in Italiam, Romamque venit, ut transmarinam doctrinam, quæ, naufragio in Græcia facto, tempestatibus delata ad nos est, consectaretur. Hujus præsertim laus est in summa facultate memoriæ, qua ita præstabat, ut in conventibus familiarium aliorumque, ad sermonem, quem quis de literis intulisset, vel quem tacentibus aliis ipse lacessisset, tam multa proferret, ex Athenæo, Julio Polluce, Suida, Hesychio, Plinio, aliisque hujus notæ scriptoribus, quos semper in manibus habebat, accepta, ut & linguarum varietate & abundantia doctrinæ & eruditionis copia, qui audirent, ad incredibilem admirationem efferret: verum in iis, quæ recondita aliqua in arte exquisitaque doctrina continentur, aliis, qui in intima ejus artis cubilia penetrassent, cogebatur cedere. Nam, si quando in philosophicis concertationibus, molesto aliquo ac difficili argumento vehementius premebatur, jamque victus captusque teneretur, anguilla erat, elabebatur; sed ita fugiebat, ut quandam, in fuga, pompæ ac pugnæ similem speciem adhiberet, & die quodam in procetone aulæ Octavii Card. Bandini, in cujus familiaribus numerabatur, cum inter ipsum & Augustinianum quendam, virum doctum, orta esset ea de re quæstio, toties in philosophorum scholis agitata, num in sensu oculorum, nobis visus proveniat ex eo, quod ab

ab oculis aliquid foras proficiſcatur ad id, quod volumus videre, an potius ex eo, quod ſimulacra rerum ultro in oculos commeant, cumque Demicianus inhæreret illi, ut diceret, imagines e rebus in oculos advolare, nec Auguſtiniano in diſputando par eſſet, qui validiſſimis argumentis eam opinionem labefactabat evertebatque, nec jam haberet, quid diceret, minus Latinum verbum, quod caſu, ut ſæpe contingit, Auguſtiniano illi exciderat, ad reprehendendum arripuit, magnaque verborum contumelia eum interrogans, num Grammaticam didiciſſet, totam illam argumentationem diſputationemque eluſit. Erat quidem propenſus a natura ad poëſim, tum Latinam tum Græcam; ſed ejus carmina pingue quiddam ſonabant & aſperum; ſicut & ejusdem ſoluta numeris oratio, quamvis erudita & docta, utpote inflata ac turgida, non longe a vitioſa ac corrupta dicendi conſuetudine aberat. Neque tamen id illi quidquam de exiſtimatione detraxit, qua in hominum opinione vigebat, virorum principum præſertim, quorum mandatis plures, tota fere Europa, magnis de rebus legationes obivit, & a Ducibus Mantuæ miſſus eſt Lutetiam Pariſiorum; ubi continuo omnium in ſe literatorum ſtudia convertit, qui doctrinæ magnitudine & morum ejusdem impotentia commoti, & cerebroſi hominis novitate delectati, monſtri ac prodigii cujusdam ſimilem eum exiſtimabant. Nam, præter egregiam venuſtatem oris & veſtitus elegantiam, dicebat ex tempore, de qua quisque re vellet audire, nec ſine ſumma doctrinæ, eloquentiæque laude. Suis erat in rebus nimis accuratus ac diligens, planeque ſuperſtitioſus; omnem ſe terrarum orbem peragraſſe, præ ſe ferebat; Iſtros, Hiſpanos, Illyricos, mare ſuperum omne, orasque Italicas omnes; nationum cunctarum mores norat; erat in conſiliis de Rep. dandis excellens, ſuamque de illa, non rogatus, ſententiam explicabat: unde a compluribus unus ex ſodalium Roſeæ Crucis numero exiſtimabatur, qui tum in Germania verſari dicebantur, quos fama erat omnes linguas ſcire, nihil ignorare, ac puncto temporis, quacunque velint in urbe, ſe ſiſtere, aurum argentumque conficere, eaque de re complures jam li-

bros editos esse. Sed vix annus intercesserat ab eo die, quo est Parisios ingressus, cum, sublatus e vivis, summo literatos omnes dolore affecit. Sed in primis iniquiore animo ejus interitum tulerunt duo præstantissimi viri, Servinus advocatus Regius, & Janus Cæcilius Frey, qui primas in Academia Philosophiæ docendæ partes agebat, quique etiam amicissimi hominis funus & lacrimis & elegantissimo decoravit epitaphio.

GASPAR CÆLIVS.

SI quisquam inventus est usquam, qui novo modo homo esset, hoc est, qui secus, quam alii vivunt, vitam degeret, is profectò Gaspari Cælio Romano non antecessit. Nam perceptas quasdam ac præjudicatas opiniones animo retinebat, ad quas totas vitæ suæ rationes dirigeret. Præstabat ingenio; historias omnium temporum legerat, memoria custodiebat; mathematicis disciplinis animum exornaverat, sed in primis Astrologia, cui, ut mox dicemus, præter æquum, fidem adhibebat. Erat pictor, non unus e multis, sed inter multos propemodum singularis, atque artificio delineandi superabat omnes, qui una essent ætate, quod a puero, in describendis Sancii ac Bonarotæ prope divinis operibus, multum temporis studiique consumpserat; quo fiebat, ut ejus opera conduceretur a pluribus, atque in Hispania, Italia, ac Romæ præsertim, ubi multa ejus egregia opera perfecta cernuntur. Neque statuebat avare precium arti suæ, sed ex operibus, ad quæ conductus fuerat, diligenter & ex fide absolutis, tantum accipiebat, quantum ejus, qui conduxerat, voluntas ac benignitas ferret; at non eo minus, lucri plurimum fecit; nam in tabulis rationum domesticarum, quas confecit, inventum est, pecuniam, suo ab ipso labore partam, ad quadraginta & eo amplius aureorum millia pervenisse; cujus pecuniæ ne nummum quidem unum vel in fœnore, vel in prædiis, rusticis aut urbanis, collocavit; verum ex ea, in arcam conjecta, tantum quotidie sumebat, quantum esset sumptibus ejus diei satis: sed contigit, ut idem homini dies finem attulerit vitæ atque pecu-

cuniæ; ac rogantibus amicis, ne ita pecuniam perderet, sed agrum ex ea vel quid ejusmodi emeret, cujus ex fructibus in senecta se ac familiam suam sustentaret, respondebat, nolle se ocio suo, cui in primis consultum esse vellet, facere injuriam, quod a se ocium statim exulatum abiret, si sibi esset de fœnore exigendo, de agro colendo, de domo locanda vel sarcienda cogitandum; tum nolle se cognitorum, advocatorum, tabellionum, viatorum, judicum avaritiæ suppeditare, ad quos necessario sit eundum, si qua in ipsum rei male conciliatæ causa lis sit illata, vel si ille, cui ipse pecuniam vel domum locasset, fœnus ac mercedem non reddat. Atque adeo omnem animi ægritudinem procul a suis ædibus remotam esse cupiebat, ut nunquam aves, canes, aut feles aluerit, ne quisquam ex eorum morte (quod hujusmodi bestiolæ in deliciis habeantur) ad ipsum dolor perveniret: uxorem vero adeo amplius quadraginta annos, quibus cum ea vixit, custodiis suis domi subjectam habuit, ut mortalium nemini fas fuerit aspicere; &, si quando aliquem in morbum delabi contingeret, eam ipse, cibi detractione, vel herbis, quarum fere omnium vim noverat, aliisve simplicibus medicamentis recte curabat. At parochos, quibus mos est quotannis, Paschalibus feriis, suis in parœciis capita hominum recensere, ac singulorum domos aqua lustrali conspergere, verborum contumeliis, ac metu etiam fustis, si ausi essent accedere, domi suæ foribus abigebat; quod diceret, Pontificem Max. cum illac iter faceret, bene domui suæ dicere, proinde nihil opus esse cujusquam ad eam rem opera. Atque ipsemet adfui, cum in sacrario S. Spiritus in Saxia Parocho, neganti, non aliter se uxori ejus potestatem facturum vescendi carnibus in quadragesima, nisi suis ipse oculis, quo morbo affecta esset, aspexisset, palam, multis audientibus, dixit, uxori meæ morbus in matrice inhæret, placetne morbi locum aspicere? Astrologiæ autem eatenus erat addictus, ut non dubitaret, omnes omnium fortunas, mores, status, vitæ rationes atque exitus, ad vim stellarum & lunæ referre, neque quidquam tam ad nos pertinere affirmabat quam cœli affectionem, qua primum spiritum duxerimus:

quam illi opinionem longissima epistola sum conatus evellere, & ostendere, nihil jam Mathematicis esse credendum, quorum prædicta quotidie videamus re & eventis refelli; sed operam lusi. In sermonibus familiaribus non minimam suspicionem injiciebat, se iis, quæ in fide Christiana traderentur, non plane assensionem suam adhibere; nam videbatur revocare ad naturales causas, quæ in sacris literis de mari rubro, de mundi ortu, aliisque miris ac supra naturæ vires editis, narrantur: nam sibi compertum fuisse narrabat, eam maris rubri naturam esse, ut interdum in duas partes scissum atque divisum, latam, volentibus transire, viam aperiat; idque magno Alexandro contigisse. Tum, quæ, de cæli constitutione, de orbis terræ natali die, de hominis procreatione, sacris literis traduntur, ea Moysem ab Arabibus, a quibus institutus fuerat, accepisse; atque alias multas ejusmodi nugas, a veritate alienas, deblaterabat. Sed admonitus, videret quid ageret, quo progrederetur, sed periturum hoc uno crimine, si ad Quæsitores causarum fidei permanasset; tum ille, sive vere sive quod judicium pœnamque metueret, respondebat, se ita locutum, ut aliorum dicta referret, non quo sententiam suam aperiret. Curiose in aliorum vitas & mores inquirebat, & quemlibet vel levem rumusculum, præsertim si pertineret ad lacerandam mulierum etiam nobilium famam, pro re comperta & explorata habebat. Illud mirum, quod cum ex vicinia, in qua habitabat, vix pedem efferret (quod illi renes, quibus laborabat, nimia corporis agitatione inflammarentur) attamen nihil ab ejus notitia aberat, non eorum modo, quæ in Vrbe, sed etiam, quæ apud Scythas, apud Gallos, apud Hispanos fierent, quid illi molirentur, quæ de pace vel de bello consilia haberent, denique, quid Rex Reginæ in aurem dixisset. Fere, quoad vixit, eodem genere vestium usus est, nimirum tunica ad genua usque demissa, & pallio ad eandem longitudinem producto, ex serico triplo; emergebatque illi per tunicam e pectore parva ex auro crux, in qua, altera ex encaustica, rubra figura descripta, inhærebat, quæ crux honorariæ est Christi militiæ insigne, cui a Philippo III Hispaniarum Rege fuerat ad-

adſcriptus; ad quem locum honoris olim non niſi maximo genere ortis adſpirare licebat, nunc aliis etiam, ac præſertim pictoribus, ſtatuariis, ſculptoribus, & cantoribus, modica gratia ad eum pervenire fas eſt. Color rubeus, qui ejus in ore tanquam flamma ignis perpetuo enitebat, hepatario eum morbo agitari ſignificabat, ſimulque erat indicio, ſi quis illi quaſi quasdam vel levis injuriæ faces admoviſſet, quod exardeſceret ira & ſtomacho vehementius: itaque laceſſitus injuria, non ferebat, ac, dum vires ſuppeditarunt, armis eam vindicabat, ſed poſtquam ægritudinis ac ſenectutis incommodo, minus viribus valere cœpit, linguæ acumine, quo pollebat, ac famoſo carmine, ad quod erat a natura propenſus, perſequebatur; in quo progeniem ejus, a quo injuriam accepiſſet, usque ab avo atque abavo proferens, ſingulos, qui inſigni aliqua infamiæ nota laboraſſent, enumerabat, illudebat, contumeliarum aculeis verberabat. At ſi quisquam unquam fide optima fuit, profecto ille erat: nam neminem pecunia tangere, injuria lædere, inſidiis circumvenire, terrore litium concutere, ſed contra, a litibus abhorrere, nemini creditum abjurare, ſuum unicuique reddere, promiſſa facere, fidem ſervare. Scripſit duo poëmata, unum, quo, heroico carmine, ſed impolito ac rudi, Romam a Gothis obſeſſam cecinit; ſed inventione ac rerum & ſententiarum copia admirabile; alterum, quo illuſtrium poëtarum vitas complexus eſt; aliaque prope innumera poëmatia, quæ videntur oſtendere, ingenium homini adfuiſſe, ſolum nitorem ac ſummum illi in excolendis verſibus laborem & ſtudium defuiſſe. Scripſit etiam comœdias complures, in quarum una, quæ mihi videtur ceteris elegantia, artificioque præſtare, quorundam notorum hominum mores, ad miraculum, expreſſit. Retulit etiam in compendium pictorum vitas, a Georgio Vaſaro pluribus voluminibus comprehenſas, in quo compendio pictores præterea multi iis, qui a Georgio enumerantur, accedunt. Sed annos circiter ſeptuaginta natus obiit diem, ac ſitus eſt in Æde Virginis Deiparæ ad portam Flaminiam, in ſepulcro, quod Paulus Jordanus Canonicus D. Mariæ in via lata, ex teſtamento hæres, faciendum curavit.

IACOBVS BOSIVS.

IAcobus Bosius Mediolanensis, honoratiorum S. Io. Ierosolymitani militum, quorum numero erat frater, negocia Romæ procuravit; quam ille provinciam multos annos, summa cum diligentiæ, virtutis, probitatis, ac fidei laude, administravit: quod, arbitror, fuit causæ, ut ad præclaras militum eorum res gestas literis mandandas animum appelleret; quæ res cum esset magni laboris, ociique multum ac temporis posceret, avocavit se a rebus agendis, in eisque operæ suæ Antonii Bosii, fratris filii, vicariam fidem diligentiamque supposuit, ipse totum pene se contulit ad historiam scribendam, quam Italico sermone docte eruditeque tribus voluminibus comprehensam, absolvit. Sed non raro interrumpebat illud opus, ambitionis labor, & studium, quo vix quisquam invenitur in hac Vrbe, qui non districtus teneatur, quique, si flatus aliquis ad honores ostendatur, non ad eos vela det. Adoptaverat Sixtus V in collegium Cardinalium F. Gregorium Patrochinum, summum universæ Augustinianæ familiæ Antistitem. Huic quia se, statu incessuque quasi basilico, ac longa & decora barba commendabat, & quam sæpius demulcebat, vulgus hominum, ac nonnulli etiam Chaldaicis literis eruditi, post Sixti mortem, Pontificatum Max. demandabant: quod ille non ab hominibus, stulta ac vana opinione imbutis, profectum, sed Delphis responsum existimans, summa ambitione se in ejus familiaritatem, obsequio atque muneribus, insinuavit; atque homo doctus, qui afflueret opibus ac divitiis, qui ædes amplissimas incoleret, instructas rebus omnibus, quibus abundant hi qui beati putantur, qui servorum multitudinem, ipsi ad nutum dicto audientium, aleret, se illi in servitutem dicavit, ac præfecti ejusdem cubiculi nomine assiduam, diligentem, ac gratuitam ferme, quoad ille vixit, operam tribuit: at licebat videre, senem perpusillum, purpureum Cardinalis vel biretum vel pileum manu gestantem, ab ejus latere nunquam discedere, submovere alios, ne accederent, metuere, ne quispiam vali-

di-

diore, quam ipse erat, ambitionis æstu exagitatus, ipsum arriperet, atque ad se totum abstraheret; denique, ore, oculis, vultu, motu corporis, ita se illi dare, ut in eo munere, quod susceperat, persequendo, non agere sed satagere diceretur. Sed posteaquam in aliquot Pontificiis comitiis ne mentionem quidem hominis factam, ne dum illum Cardinalium suffragiis ad Pontificatum maximum vocatum comperisset, cumque eum cerneret ad Acheruntem magis quam ad honoris cursum arripere, seque jam viatico ad illum instruere, non solum spe sua debilitatus est, sed de ea penitus excidit. Itaque cupiditate honorum abjecta, tradidit se totum pietatis ac religionis operibus, atque templa, summa & antiqua religione prædita, adire, liberalitatem in pauperes suam exercere, fere quotidie sacrosancta Christi corporis mysteria percipere, atque præsertim, in qua ille sublatus est, crucem præcipuo quodam cultu ac reverentia venerari, adeo ut ejus inventæ recuperatæque historiam insigni volumine sit complexus, & nullus unquam dies, tam magna turbulentaque tempestate fuerit, quin ad Ædem celeberrimam in agro Sessoriano Cruci dicatam, & longo intervallo ab ædibus suis disjunctam, se deferri juberet; postremo religiosissimum D. Blasii templum instaurandum, ejusque interiores parietes eleganti pictura ornandos curaverit, qua crucis inventio, quam ipse elegantius in suis libris, quam pictoris cujusquam manus in tabulis, expresserat, oculis subjiceretur.

ANTONIVS BOSIVS.

ANtonius Bosius, Iacobi fratris ex ancilla Afra filius, paternum genus corporis brevitate, maternum fusco oris colore referebat. Habuit ingenium a natura docile, acutum, acre: nam accipiebat celeriter, quæ tradebantur, ac memoria fideliter custodiebat; in lacessendo respondendoque peracutus ac brevis, & in omni genere sermonis festivus atque facetus. Humaniores literas didicit Romæ a patribus Soc. Jesu; Jus civile in gymnasio Romano, ibique ejusdem interpretandi facultatem accepit. Ejus non solum adolescentia, sed corro-

borata etiam ætas, fuit liberior. Amicis utebatur dissolutis, impuris; & simul optimis viris deditus erat: in nocturnis bacchationibus & vigiliis, in commessationibus ac conviviis, nemo erat, qui eum jocis, hilaritate amœnitateque antecederet; deinde cum tempus, res & negocia poscerent, nemo illo gravior, nemo prudentior, nemo consilio, diligentia, ac sedulitate superior inveniebatur; libidine sic accensus, ut eam, ubi facultas daretur, expleret, unde ancipites conjectus in morbos, vitæ periculum subiret. Cœpit ab initio, consulentibus, de jure respondere; & aliquandiu diligentis eruditique advocati partes sustinuit, plurimorumque causis, jus suggerendo, satisfecit; sed negociorum multitudine districtus, in quorum procuratione successerat ipse vicarius patrui sui muneri, coactus est hanc advocati laudem & honorem aliis relinquere, se vero, omissis ceteris, in ea tantum concludere, quæ suæ fidei diligentiæque commissa ac tradita fuissent. Sed quoniam interdum ipsi a negociis vacui ac liberi temporis aliquid relinquebatur, cœpit excogitare, qua illud in re posset collocare, in qua nemo adhuc elaborasset. Intercedebat ille vetus usus consuetudoque cum fratre meo, homine mire ad ejus mores facto, a quo, cum maxime in ea cogitatione versaretur, perductus est in cryptas, seu arenarias, quarum Romæ magnus est numerus, contortis, ac labyrintheis inter se flexibus implicatas atque connexas: in has, veteres Christiani, primis Ecclesiæ recens natæ annis, minacissimis Imperatorum edictis perterriti, ad collectas, ut ajebant, celebrandas, ad Christi corporis & sanguinis mysteria percipienda; & ad sermones de divinis rebus audiendos, conveniebant: quorum ille locorum situm, immensitatem, rerumque in eis contentarum varietatem admirans, voluit illuc sæpius reverti, ac singula diligentius investigare atque perquirere; & cum magis magisque admiraretur, statuit, rem fore dignam, in qua omnes nervos ingenii industriæque suæ contenderet, si videlicet cryptarum earum superficiem, aditus, aulas, aras, imagines describeret: itaque fratre meo, qui erat earum regionum peritissimus, ac pluribus aliis adhibitis, multorum annorum stu-

ſtudio, incredibili labore, magnisque ſumptibus, perfecit illud opus, cui titulus eſt Roma ſubterranea. Cujus operis elaborandi gratia, aliqua in ſpeluncis illis ſanctiſſimis non religioſe facta narrantur ab hominibus minime religioſis. Ibant illuc cum eo ſemper capita hominum quinque vel ſex, & cum igniariis, unde cereos, ſi eos contigiſſet extingui, rurſus accenderent. Et quia nunquam fere eo ſe conferebat, ut paucas ibi horas conſumeret, ſed ut minimum triduum vel quatriduum contereret, opiparis obſoniis, ac præſtantiſſimi vini amphoris inſtructus, ſeſe illuc inſerebat; adducebatur etiam cocus, qui prandium ac cœnam coqueret, cum ſuis omnibus inſtrumentis, videlicet cum ollis, mortario ac piſtillo, ſartagine, aheno, patinis, aliisque ejusmodi vaſis: ac poſtquam multum temporis ei rei, propter quam venerant, datum erat, Cereri jam & Libero, ac ſolitis bacchationibus, reliquum tempus deberi omnium vocibus ſignificabatur: nec mora, exornatum ibi convivium inibant, quod, non ſilentio, neque ea modeſtia, quam loci illius ſanctitas poſcere videbatur, ſed cum clamore, jocis, facetiisque pluribus, atque effuſiſſimo omnium cum riſu celebrabatur; bacchabatur in eo patera bilibris, hoc eſt, bacchantis more, hac illac volitabat, ac plena & inanis, ſine ulla intermiſſione fiebat; perſonabant ſpecies illi convivarum vocibus madebant pavimenta vino, redolebant fornices nidore culinæ, quivis ut ſeverior, cum ex aliquo aditu, quorum aliquot in circumjectis ibi campis vinetisque cernuntur, venientem ex cavernis illis, debacchantium ſtrepitum accepiſſet, non illic verſari homines, ſed bacchari dæmones, non opus religioſum elaborari, ſed Baccho ſacra fieri, vel evocari ab inferis manes, declamaſſet. Ac per hanc rationem confectus eſt liber ille eruditiſſimus atque doctiſſimus; quem ne vivens ille ederet, fecit fundus, quem coemerat urbi propinquus, extra portam Flaminiam; ad quem omnes ferme cogitationes ſuas, ab aliis rebus abductas, traduxerat, & in quo excolendo exornandoque, ex maximis divitiis, a patruo ſibi relictis, ſe ad inopiam egeſtatemque redegerat; ut vere poſſet dicere, ſe non tam fundum, quam profundum emiſſe, quod tam multas

tas res, tamque præclaras absorbuisset: nam cum preciosa ad eum suppellex ex patrui hæreditate venisset, aurum & argentum cælatum, stragula vestis, Attalica peristromata, conopea auro sericoque contexta, signa ex ære & ex marmore antiqua non pauca, tabulæ pictæ; hæc ille, quo se ac vineam aleret, partim vendiderat, partim oppignoraverat. Sed cum nulli, neque cognati neque affines, essent, quibus, se mortuo ut bona sua inter se partirentur, diceret, cumque ex veterum amicorum numero occurreret nemo, quem hæredem faceret, cum ipse obiret diem, quod ex amicitiæ ad senectutem usque perdurare non soleant, quas non virtutis species atque amor recti, sed voluptatum societas studiumque conjunxerit, jamque mors in foribus esset, nec intestatus vellet decedere; testamento raptim facto, instituit hæredem eum, cujus operas non ita multo ante conduxerat, ut ipsi serviret; sed condito testamento, cum prope jam animam exhalaret, conducti sunt medici civitatis primi, ut facerent eum sanum; qui omnes in hanc sententiam ierunt, nempe satius fuisse, sacerdotem illi aliquem, quam medicum, adducere. Solus Trulierus sanguinem illi mittendum censuit; cujus consilii rationem cum satis ceteri mirari non possent, ac quærerent, quemnam sanguinis missio locum haberet in eo, quem jam vires ac vita deficerent, respondit, saltem ut dulcius moreretur. Sed hoc ad mortem facilius obeundam auxilio non eguit, nam ipso præsente illud ingressus est iter, quod suscipiendum est omnibus; utinam ita bene viaticatus, ut tum erat, cum ad cryptas proficiscebatur.

LVCAS VALERIVS.

SI quis hujus viri doctissimi clarissimique laudum volumen impleret, non tantum illi ornamentum decusque conficeret, quantum paucis verbis Galilæus Galilæus comparavit, qui hoc brevi quidem, sed raro ac singulari, in eo exornando, est usus elogio: nempe Lucam Valerium, ob admirabilem Mathematicarum rerum scientiam, esse adeptum, ut sui ævi Archimedes dici meritissimo possit. Quod si Nævianus ille Hector tan-

tantum in ea laude ponendum esse duxit, quæ a laudato viro proficiscitur, quodnam illi par precium invenietur, quæ Lucæ Valerio tributa est ab homine non quavis laude ornato, sed summa atque incredibili prædito? qui non suæ tantum patriæ, decus, splendorem, & claritatem, peperit, sed orbi terræ ornamentum attulit, totumque sua luce lustravit atque complevit. Verum Lucæ Valerii commendatio, non tam ex illustrium virorum atque omni virtutum laude principum testimonio, quam ex ejusdem operum præstantia atque æstimatione colligitur: ea enim scripsit edidítque, quibus in tota Geometria neque acutius neque doctius neque præclarius quidquam inveniatur. Primum anno MDCIII librum emisit, de centro gravitatis solidorum, & anno MDCVI alium, non minus eruditum & acuminis plenum, de quadratura parabolæ per simplex falsum. Docuit multos annos, in gymnasio Romano, Mathematicas disciplinas, ac Geometriam in primis; quo toto fere tempore, Margaritæ Sarrocchiæ, poëtriæ, cujus ille ingenio delectabatur, contubernalis perpetuus extitit; cujusque etiam domi mortuus est, fecitque hæredem Joannem quendam Latinum, eidem Sarrocchiæ in primis carum, & contubernii ejusdem necessitudine sibi conjunctum.

ANGELVS GRILLVS.

Angelus Grillus, Januensis, ex D. Benedicti nobili ac locuplete Montis Cassini familia, ad philosophiæ ac sacrarum literarum scientiam, humanitatis etiam & Etruscæ in primis linguæ, cujus erat cupidissimus, studium adjunxit; qua in re tantum profecit, ut celeriter in numerum nobilium poëtarum venerit, atque omnium, quos nostra admiratur ætas, ut Torquati Tassi, Baptistæ Guarini, Jo. Baptistæ Marini, aliorumque, sibi mire animos conciliaverit, ac nulli in Italia extiterint, paulo his literis deditі, quibus cum illi amicitia non fuerit, aut usus literarum; & Academiæ in primis omnes, ejus nominis fama compulsæ, honestum sibi & gloriosum fore putabant, si eum sibi possent adjungere.

Ita-

Itaque earum unaquæque in beneficio & gratia numerabat, cum, ad ipsius cœtum, suum ille nomen adscribendum curaret. Romana vero Humoristarum Academia tantum homini tribuendum esse statuit, ut principem eum sibi delegerit, & mortuo funus fecerit, atque ejus imaginem formæ, in tabula egregii artificis manu depictam, & corona aurea redimitam, una cum aliis Guarini ac Marini, in sua aula, collocaverit. Duo epistolarum volumina edidit, ac varii generis rhythmos quamplures, in quorum multis egregia hominis pietas atque in Christum amor elucet. Multa suæ familiæ cœnobia, Abbatis honore ac nomine, summa cum prudentiæ & probitatis laude, administravit; & cum diem obiit supremum, Parmensi S. Ioannis cœnobio præerat. Nihil fere ambitione districtus tenebatur: nam præter eos honores, quos suus illi ordo demandaverat, noluit ad superiores, cum posset, ascendere; ac sacerdotium Aleriæ in Corsica, & Albingæ in Liguria, sibi oblatum, recusavit accipere; quod aperte fateretur, majus illud onus esse, quam ut ejus vires ferre possent.

PROSPER FARINACCIVS.

QVæ Prosper Farinaccius, in adolescentia atque in firmata jam ætate, fecerit errata, non parum multa nominantur; verum ea, singularis virtus ingenii ac summa juris civilis prudentia, ejus præsertim partis, qua vitia hominum atque peccata in judicium pœnamque vocantur, vel obtexit, vel ætatis humanæque imbecillitatis, quæ vix potest sine casu & prolapsione consistere, excusatione defendit. Illud vero, qui eum novit, satis mirari non poterit, quod cum omnes æquiores adversus eos judices simus, qui criminum eorundem societate nobiscum conjuncti teneantur, attamen ea ille severissime in aliis peccata vindicabat, in quibus ipse princeps habebatur: ac Paulo V Pont. cum esset fisci procurator, sive Reip. causa, quo cives ab ea improbos removeret, sive utilitate privata vel odio adductus, sive animi sævitia compulsus, acerrimam sed justissimam adversus eos tempestatem concitavit, qui turpi flagitiosoque con-
cubitu

cubitu se contaminarent; ac passim ea de re quæstiones apud omnes judices habebantur & exercebantur in eos, quorum delata essent a quadruplatoribus nomina; ita, ut multi, qui ejus criminis conscientia constructi tenerentur, fugæ præsidio ex eo periculo incendioque evolarent: & eorum quidam, qui postea publicatis bonis omnibus, absens eodem crimine damnatus est, dum fugeret, interrogatus a quodam, cui iter erat Romam, qui ibi ageretur, atque ut cives, eo anni tempore fervidissimo, se haberent (erat enim æstas summa) non infacete, male, inquit, nam ibi homines uruntur: alter vero, amicus summus meus, eleganti sane ingenio, ac poëta non in postremis, quem fortasse conscius animus, quo nihil est miserius, exagitabat, totos dies, ubi quemque invenerat, continuo interrogabat, quærebat, investigabat, quid afferrent novi? num cujusquam alterius nomen ad magistratus recens delatum esset? tum quocunque venerat, querebatur, dolebat, vociferabatur, decipi homines fide publica, fidem in eo quod leges promitterent non servari, cum, delatorum indicio, raperentur homines in carcerem, supplicioque afficerentur, ob id crimen, cujus leges illæ eos tantum damnari præciperent, qui essent manifesto in eo deprehensi, ceteros absolverent: & amicis omnibus edixerat, sibi alio transcursu opus esse, proinde, si quid mandare vellent, vel curari, imperarent. Verum ubi Pontificis prudentia, (cui placuit, sermonibus hominum, qui toto terrarum orbe fiebant, ansam præcidere) judicia illa, paucorum dolore, extincta sunt: tum ille securus esse, ad ingenium redire, neque ullam amplius de profectione mentionem facere. Sed quemadmodum Farinaccius multis negocium facessit, ita etiam non nemo malam illi rem periculumque procurare conatus est; atque olim, malorum criminum convictus, pœnas legibus dedisset, nisi Antonii Mariæ Salviati Cardinalis opera servatus, ex eo judicio elapsus esset; cui Cardinali, pro illo deprecanti, Clemens VIII, cui ejus flagitia nota erant, Farina, inquit, ista bona est; vel pollis est potius; sed non saccus, cui ille includitur, bonus est, sed fœdus ac turpis. Semel cibum sumebat in die, illumque sub vesperam laute; ac sæ-

sæpe fidicina adhibebatur. Fuit olim summis quibusdam viris ludibrio, qui eum noctu, ob meretricem abductam, pipulo ante ædes deferebant. Scripsit de testibus, de falsitate & simulatione, de Reo confesso, de immunitate ecclesiastica, de delictis carnis, consilia & Decisiones criminales, ita docte, ita erudite, ita feliciter, ut ex remotissimis orbis terræ partibus plures, non tam urbis visendæ, quam ejus cognoscendi gratia, Romam venirent; neque quisquam est rerum capitalium judex, neque reorum patronus neque advocatus, quin libros ab eo editos habeat, quin legat, quin inde ad persequendos vel tuendos reos arma depromat. Edidit etiam Rotæ Romanæ decisionum volumina ad duodecim, & alia. Mortuus est senex, filio ex concubina relicto.

ZOILVS ARDELIO.

QVo hujus imago oris, penitus oculis hominum subjiciatur, primum detrahenda est illi persona, quam sibi ipse imposuerat. Cum antea alio appellaretur nomine, mutandi ejus causam, malevoli dicunt, fuisse inhonestum fratris vitæ exitum, qui, in vinculis, laqueo sibi gulam fregerat: nam cum a Quæsitoribus fidei, violatæ religionis crimine, damnatus esset, ac de more Triumviris rerum capitalium traditus, ut supplicio afficeretur, quo se illius acerbitati subduceret, occupaverat liberum mortis arbitrium. Vt igitur fratris infamiam, ad se redundantem, effugeret, vetus ab ipso nomen repudiatum ajunt, ac novum ascitum; sed falso: nam antea, quam frater se interimeret, vocabatur hoc nomine. Hic, ex matris utero, animi vitia, quibus laborabat, attraxit: perpetuam videlicet arrogantiam, atque elationem animi non ferendam; & quamvis ingenii acumine & celeritate valeret, quamvis, cum Patavii Pendasio Philosopho operam dedisset assiduam ac diligentem, eruditione doctrinaque præstaret, quamvis, ut de quacunque re proposita docte eleganterque dissereret, multis rebus cognitis, penitusque in mediis iis artibus, de quibus sermo esset, retrusis atque abditis, summoque studio ac diligentia esset consecutus; attamen nemo existima-

ſtimabat, eſſe tanti ulla merita, quanta inſolentia hominis, quantumque faſtidium. Omnes præ ſe contemnebat, neminem quidquam ſcire aut didiciſſe arbitrabatur; atque interrogatus, cur in Academiam Cardinalis a Sabaudia non veniret, arrogantibus ſane verbis reſpondit, nunquam ſe venturum in eum conventum, in eoque verba facturum, ubi neminem ſui ſimilem ingenio, doctrina, & eruditione conſpiceret. Neque erat Academiæ cuiquam magnopere optandum, immo minime ejus intererat in ſuorum eum numerum venire: nam homo factioſus, elatus, inſolens, aut eam diſſolvebat, aut ſimultatibus diſcordiiſque ſerendis perturbabat omnia, atque miſcebat; ac minimum abfuit, quin Academiam Humoriſtarum, cum maxime ingeniis hominum floreret, exitium ac peſtem afferret. Cum de ſingulis, detrahendi gratia, maledice contumelioſeque loqueretur, Gaſparem vero Scioppium, qui in literaria Rep. in primis ordinibus numeratur, imi ſubſellii virum, atque inter literatos proletarios, ut ita dicam, referendum eſſe ajebat; quem ille Scioppium, quoniam in quodam libello ſua tempora, quaſi literatis viris non amica, modeſte reprehenderat, cœpit contumeliis omnibus lacerare, atque palam eum infantem, rudem, & omnino omnis eruditionis expertem atque ignarum aſſerere, minitarique, ſe libro edito ejus inſcitiam palam omnibus facturum. At Scioppius miſit illi, qui diceret, ſi ſibi amplius moleſtus eſſet, non ſe pugnaturum cum eo eloquentiæ doctrinæque armis, ſed dictis teſtium, ac ſententiis judicum, in publicas tabulas relatis, quibus Bononiæ, malorum facinorum argutus, evictus, ac condemnatus fuiſſet; his ſe armis curaturum, ut ejus projecta ad detrahendum bonis viris audacia infringeretur, ac retunderetur. His auditis, a ſcribendi contra illum ſententia deſtitit, ſeque tantum intra verba continuit. Neque ſolum ſibi principatum in literis arrogabat, ſed capeſſendæ recteque adminiſtrandæ Reip. artem a ſe peti debere affirmabat, ac Regum & Rerump. omnium oratores noctu ad ſe domum, capite aperto, varia indutos veſte, & Vulcanum in cornu concluſum gerentes, venire jactabat, ut ſuorum Regum mandata deferrent,

rent, ut ad ipsum de pace, de bello, de summa imperii referrent, & quod ipse de Rep. consilium daret, acciperent; se vero jubere illos in cubiculum ibi proximum tantisper secedere, dum ipse scriptum, vel philosophicum, vel politicum, quod præ manibus haberet, absolveret; eos autem ipsi dicto audientes esse: narrabat etiam, sibi a Rege Poloniæ viros, primorum principes, legatos, qui arcana quædam regni cum ipso communicarent, Regisque verbis salutem ipsi propitiam nunciarent, ejusdemque opes, gratiam potentiamque deferrent: ne multa, nullum esse tota in Europa Strategum, nullum Dynastam, nullum Tyrannum, quantumvis magno a nobis locorum intervallo disjunctum, quin lectis suis, ut ipse ajebat, foliis, non continuo suam per literas amicitiam expeteret, ejus prudentiæ gratularetur, seque totum ipsi habendum possidendumque permitteret; & quosdam etiam Reges ab ipso edoctos, totam Reip. administrandæ rationem commutasse, gloriabatur: quin Regem ipsum Sueciæ, si Romam, ut minitabatur, venire potuisset, multo sapientius facturum fuisse ajebat, quam olim M. Marcellus fecerat, qui, Syracusis captis, tum requisisse dicitur Archimedem illum, summo ingenio hominem & disciplina, cum plurimorum se civium cæde commaculasset; unde, cum audisset eum interfectum, frustra condoluisse: at Ducem illum, fortiorem etiam quam M. Marcellum, capta urbe, nihil gravius de ea constituturum fuisse, nisi prius ipsum requisisset, invenisset, amplexibus implicasset, osculatus esset & consiliorum suorum conscium fecisset; itaque magno se Vrbi auxilio, vel potius saluti futurum fuisse. Illud vero incredibile, quod, cum paucis ante annis vir quidam princeps Romam venisset, qui cum graves illi officii ac necessitudinis causæ intercedebant, rogatus, num ad eum domum salutandi ejus gratia esset iturus, respondit, non alias hoc se illi officium homini persoluturum, nisi sibi antea ei essent honores decreti, quibus olim a principis ejusdem parente fuerat exceptus; qui parens, cum accepisset, ad se eum a Cardinali, cui tum inserviebat, missum venire, vehiculum ipsi primum, equis sejugibus tractum, simul ac ditionis suæ

suæ fines attigit, obviam misit, tum ad suæ urbis portas rhedam, qua ipse vehebatur, una cum honorariis ephebis præsto esse jussit, qui eum exciperent, ad seque perducerent, postremo scabellum genicularium, serica constratum veste, suo in sacello parari mandavit, quo, dum sacrum fieret, niteretur, præterea, lecto a Sacerdote Evangelio, librum exosculandum tradi voluit, qui honos summis tantum viris habetur. Ac multa, his similia, non magis gloriose quam insulse loquebatur, quæ, ne lectorem fatigemus, omittimus. Neque solum literatorum, quotquot ubique essent, se esse longo intervallo primum volebat, sed aliarum quoque ad se rerum arbitrium revocabat; neque ulla tabula picta, ullum signum, ulla fabrica, ullum vas cælatum, ex ebore, ex auro, ex gemma, aliquod precium habebat, nisi quod ipse probasset; ac sæpe vidi, præstantissimorum operum precia, quæ alii in cœlum efferebant, illius æstimatione sic concidere, ut non esset quidquam abjectius, neque depressius. Atque erat optandum maxime, ut ejus maledicta & contumeliæ, ad ea tantum opera, quæ ille ad vituperandum arripuisset, revolverentur; sed artifices etiam ipsos multo magis comprehendebant; ac bene cum iis actum esse existimabatur, quos solum minimi homines precii, vel nihili potius, appellasset: nam quos ille oderat, longe acerbioribus plagis feriebat dilacerabatque. Vnum tantum pictorem eximium habebat, popularem suum; hunc Zeuxidi, Parrhasio, Protogeni, Apelli, anteferebat; hunc Amphioni in dispositione, Asclepiodoro in symmetria, quibus Apelles ipse cedebat, præstare affirmabat; quem propterea in tantum honorem venisse ajebat, quod præceptis suis formatus & institutus fuisset; ceteros, qui eadem essent ætate, non pictores sed pictorum esse umbras, ac vix dignos, qui ad arcas, ad subsellia, ad aqualia, ad vasa vinaria, ad patinas coloribus maculandas adhiberentur; hæc cum in foris, in triviis, in plateis, in officinis, incensis & aculeatis verbis effunderet, fiebat, ut odissent eum homines odio plusquam Vatiniano. Quod suspicioni locum aperuit, fuisse eum non tam pituitæ copia peremptum, quam veneni vi, malevoli cujusquam scelere parati, sublatum;

idque, ut medici ajebant, persuadere videbatur odoris fœditas, ventris tumor, livores toto corpore fusi: verum id, quod parum nobis constat, in medio relinquimus, & ad alia transimus. Erat illi Pinacotheca, præ qua ceteras fœnum esse dicebat, tabulis pictis referta, quarum singulas ad auctorem, qui maxime sibi placeret, referebat, atque hanc Bonarotæ, illam Raphaelis, illam Titiani, illam Corrigii esse commemorabat: sed paucos post menses, quorum illis pictorum nomen primum accommodasset, oblitus, novo modo loquebatur, & quam, verbi caussa, Raphaelis esse dixerat, Corrigio assignabat; quam ad Bonarotam retulerat, Titiano tribuebat. In spectandis laudandisque virorum formis græcissabat: nam ut quemque egregia forma aspiciebat, continuo consistebat, & admotis naso ocularibus, devorabat eum oculis, ejus manum apprehendebat, diu detinebat, ægre dimittebat; sed non alio eos amore prosequebatur, quam quo Socrates Alcibiadem, Epaminondas Michytum, Catulus Roscium: sed hoc inter hunc atque illos intererat, quod honestius illorum amor unico tantum adolescente definiebat, hujus vero castæ benevolentiæ fines sese latius diffundebant, & quicunque corporis forma præstabant, omnes ei erant Alcibiades, omnes Michyti, omnes Roscii, quod in eorum pulcritudine, veniens ab animo virtutis lumen, & honesti formam aspiceret. Sed admonitus, ne hac tam vulgari consuetudine suspicionem aliquam turpitudinis, Philosopho indignam, injiceret, respondebat, ne id posset contingere, a fele fuisse prospectum, qui sibi infanti in cunis pudenda abstraxisset, & in ventrem abstulisset. Sed re vera damnum bonæ literæ, ejus interitu, fecere: nam erat ingenio peracri, & studio flagranti; rem videbat acute, explicabat dilucide, scribebat ornate, & judicasset etiam prudenter, nisi, elatione animi & vana sui opinione, inflatus & corruptus, ornatissimos homines spoliare conatus esset omni commendatione ingenii atque virtutis. Erat liberalis, splendidus, hospitalis; & in prandiis vel cœnis (quas non parum sæpe amicis dabat) accipiebat hominem nemo neque largius neque prolixius: denique nullius erat rei, præter laudem, avarus. Nihil fere

edi-

edidit, præter paucas orationes; sed multa edenda reliquit, quæ, nisi Deus respexerit, quantumvis egregia ac luce digna, vel ad cetarios, cupedinarios, fartores, pomarios ibunt, vel, ut magnus illis honor habeatur, mittentur in vicum, vendentem piper, thus & odores, vel in bibliotheca aliqua concludentur, pulvere, situ, blattisque perdenda. Quorum operum hæc numerantur in primis, Templum Vaticanum, tribus voluminibus explicatum, Breviarium Actorum Pauli V, Bibliothecæ Vaticanæ descriptio, Breviarium Actorum Pauli V contra Venetos, orationes quinque supra centum, Variarum Quæstionum in Aristotelem libri decem, explicationes difficilium locorum Aristotelis, Epistolarum liber unus, varia poëmatia, tum Latino, tum Etrusco sermone scripta. Statura fuit mediocri, facie oblonga, mento, quod cum in orbem deberet exire, desinebat in quadrum, ubi tanquam in inculto, ac derelicto solo, paucorum seges pilorum vix foras emerserat: oculi parvi, ac palpebris, sæpe conniventibus, muniti; nec mirum, si omnia naso suspenderet, quippe cui talis ac tantus a natura nasus contigerat, ut posset cuivis oneri sustinendo sufficere. Vestitus ejus erat, qui magis ad Philosophorum frugalitatem, quam ad aulicorum elegantiam accederet; præsertim cum ipse gloriaretur, pro sua excellenti doctrina atque sapientia, non aliis se principibus viris in servitutem dicasse, nisi qui summos arctissima cognatione attigissent; qui omnino fuerant duo, & cum meminerat prioris, gloriosæ, cum secundi, sanctæ eum esse memoriæ, ajebat: & hunc dictitabat scivisse multum, sed voluisse existimari se nihil scire, illum scivisse multum, sed voluisse etiam sciri, se multum scire. De ejus morte varie a variis narratur: alii enim pituita, largius ad os defluente, suffocatum, alii veneno, ut diximus, interceptum, alii vomitione puris & sanguinis, ex apostemate in interioribus corporis partibus concepta, exhalasse animam tradunt.

IO. ANDREAS RVETTVS.

SI Io. Andreæ Ruetti virtuti par data esset fortuna, floruisset opibus ac divitiis, nec eum, quem sortitus est, vitæ exitum invenisset: nam & magna Geometricæ facultatis intelligentia, qua præditus erat, & omnis fere, digna homine liberali, ab eo percepta doctrina, secundiores illi res, vel saltem non ita fœdas atque adversas, polliceri videbatur. Erat in primis, ut diximus, Geometriæ peritus, quod libri ab eo de Arithmetica & Algebra editi declarant. Flagrabant studia Etruscæ poësis apud eum; in qua quantum præstaret, argumento sunt versus plurimi, quos in unum volumen collectos emit; cui libro Murmuri Heliconis nomen est inditum; tum nonnulla etiam opuscula alia testantur, & in his elegans oda, locupletissimis amici cujusdam sui commentariis illustrata, quæ fere omnia scripta sunt ab eo, cum Ducis de Candal, qui Venetæ Reip. exercitibus præfuit, domum, præfecti munere ac nomine administravit. Verum, si, quam ille operam ac diligentiam ad Geometriam perdiscendam contulit, eandem ad cavendum sibi adhibuisset, longius illi tempus ingenii augendi ac declarandi contigisset: si, quod studium colligendis in Parnassi aut Pindi vertice floribus collocabat, in delectu familiarium, quibus vitam suam tuto committeret, posuisset, non in eas insidias devenisset, quibus postea circumventus interiit: sed, dum in studio dimetiundi cæli & terræ est omni mente & cogitatione intentus, exitium ac pestem, capiti suo paratam, non vidit; dum ociose per juga Pindi se infert, opportunam inimicis suis necis sibi parandæ occasionem obtulit: etenim domi Marii Frangipani, cujus erat consiliorum omnium particeps, ab adolescentulo, nocte quadam, somno sopitus, est interfectus, atque omni auro argentoque spoliatus. Hunc adolescentem, ajunt, Romam Venetiis ab ipso perductum, famuli nomine, & animi gratia; nec ignorasse illum hunc esse impurum ac furacem, quod equos militi cuidam deprædatus esset, atque alia furta fecisset; sed nescio quo impetu, de mente ac cogitatione de-

deductum, non existimasse, idem ad se infortunium posse recidere. Addunt etiam, adolescentem, cum sæpius a domino objurgaretur, quod alio excurreret, neque id illum esse passurum audiret, tum omnes domo exeundi aditus obseptos aspiceret, non tulisse illum, sed, re cum amicis suis, sceleratis hominibus, supplicioque dignis, communicata, cepisse illud plenum sceleris consilium, plenumque audaciæ. Sed ut sese res habeat, illud certum est, miserum illum octavo ab ejus interitu die, cum non appareret, ac teter, ex rimulis cubiculi ejusdem ostii, odor afflaret, jussu magistratuum, effracto ostio, in lecto, multis confossum vulneribus fuisse inventum, adolescentem vero nusquam repertum.

IVLIVS CÆSAR CRVCIVS.

GRavis atque atrox, in bello, ob Helenam Agamemnoni raptam, a Græcis toti Asiæ illato, quo bello Trojanorum opes concidere, Apollinem inter atque Vulcanum est orta contentio, cum alter stantem adhuc ac florentem Trojæ fortunam tutela patrocinioque suo defenderet, alter ad eandem evertendam sua cum Græcis præsidia conjungeret; cujus discordiæ adhuc memores, alter alteri, cum usus venit, incommodare, & quod ægre sit, facere studet. Atque hac nostra memoria deformis ille faber, fumo ac fuligine obsitus Julium Cæsarem Crucium, Bononiensem, in nutricatu Musarum eductum, ut esset qui carmina dictaret, quæ tunicatus popellus caneret, Apollini Musisque surripuit, & ab amœnis Pindi & Heliconis jugis ad nigras atque depressas fabrorum officinas, & a faciendis versibus ad clavos, clatra ferrea, atque ejusmodi alia fabrilia opera conflanda traduxit. Quam injuriam Apollo non tulit, sed Pegaso invectus, alumnum suum, cum maxime, Vulcano cogente & urgente, operi esset intentus, excepit, ac post se equitem, Pegaso impositum, liberum foras eduxit, cum fumido illi fabro animum ad persequendum tardaret infirmitas ac debilitas cruris, quod in illo præcipiti de cælo in terram casu ac ruina perfregerat. Ex officinæ igitur ferrariæ caligine a tenebris in liberam

ram cæli lucem expositus, abluit primum corpus, illuvie ac sordibus squalidum; tum scorteam castullam pallio mutavit, ac pro malleo calamum, pro chalybe chartam, pro aquæ aheno atramentariam thecam accepit; ac totum se ad scribendos versus contulit; quorum tam magnum numerum effudit, ut tonsoribus, circulatoribus, pedibus ac luminibus captis, affatim præbuerit, quod in tonstrinis, in viis, in plateis, cantaretur. Nulla sunt fere impressorum præla, quæ in ejus operibus imprimendis non exerceantur; nullum flabellum circumfertur, in quo aliquod ejus carmen non legatur; nullæ fosiorum tabernæ, nullæ eorundem in foris mensæ conspiciuntur, ubi non plura ejus prostent opuscula; nulla virgo, nulla paulo hilaris nupta, aliquo in gynæceo concluditur, quæ in suis cistellis non hujus aliquid habeat. Neque tamen ita sunt abjecti ejus versus, ut ab eruditis auribus respuantur; neque scurrilibus jocis referti, ut pudicas aures offendant; immo ab omnibus, qui pudicitiæ esse volunt præmium, mirifice laudantur.

NICOLAVS NIGER.

HVnc quoque Apollo, quem sibi poëtam delegerat, a mercatura, in qua vertebatur, ad faciendos versus attraxit, quos vulgus hominum legeret. Hic natione Italus, patria Venetus, simul ac ex ephebis ætate exiit, navigavit in Syriam, ac Hieropoli commutandis mercibus studuit lucro; a quo nunquam abstractus fuisset, nisi a Mercurio, qui mercatoribus præest, impetrasset Apollo, ne in mercimoniis emendis vendendisque eum adjutaret, ac lætum lucris afficeret; ille enim, malevoli cujusdam opera, magnam rheubarbari lectissimi vim in navim impositam, aqua injecta, corrupit; quare ille, ex maximis divitiis pene ad egestatem redactus, animum a mercatura abduxit, eoque appulit, quo eum Apollo vocabat. Sed multo majori ex parte, ejus ad se operam attrahebant Cupido ac Venus, quam Apollo chorusque Musarum. Non potest effari tantum dictis, quantum factis esset profusus in Venerem. Mitto, quod fecit flagitii in Syria, quod Venetiis, unde virginem, ho-

honesto loco natam, abduxit; a cujus postea cognatis, multis vulneribus confossus, sublatus est pro mortuo: mitto, inquam, hæc omnia. Romæ cum esset, ubi diem obiit, omnia ejus negocia illuc denique revolvebantur, ut, postquam aurora illuxisset, aliquam urbis regionem obiret; &, si quam in ea mulierem meretricem offenderat, quæ se nuper populo prostituisset, ære dato, ejus emebat noctem, vel eam statim inibat: itaque nulla erat meretrix (nisi si quæ esset diabolaris pagoque polluta, nam istas non ductitabat) nulla, inquam, erat, quam ille, tanquam mercem aliquam, sua, ut ajebat, nota non obsignasset; & si qua nova mulieris merx aliunde advecta esset, currebat statim, ut suo eam annulo obsignaret: quamobrem, magis in complexu mulierum, quam in aliqua testudine literaria, Homerico more, octonis rhythmicis versibus bellum inter muscas, cimices, & formicas gestum, cecinit, eodemque metri genere, D. Nicolai res gestas, comœdiam Candidam, & aliud Drama, Anima felici nomine, edidit. Erat adeo pinguis, ut geminos in ventre habere liberos videretur; qui venter adeo illi ex adipe extare ac prominere cœperat, ut omnem cum mulieribus concumbendi facultatem adimeret; ex quo in eam ægritudinem conjectus est, ut mortem in beneficio posceret. Quid enim, ajebat, opus est vita illi, cui voluptas ea desit, propter quam vita sit expetenda? Atque votis affuit Deus: nam repentina morte correptus, abiit ad Acheruntem, sine viatico.

LAVRENTIA STROZZA.

NOstro huic sæculo, quod, quamvis reclamante non nemine, & hanc potissimum laudem Leonis X ætati tribuente, doctorum hominum atque omnium literarum fama illustrium uberrimos edidit fœtus, sua quoque Sappho non defuit, quæ eodem carminis genere, non amores luderet, sed divinas laudes caneret, non eadem ingenii, elegantiæ, & eruditionis magnitudine, qua illa (quis enim, ne virorum quidem, cum ea, quæ non ætati modo suæ, sed aliis etiam multis præstitit, conferre se audeat?) sed religione, pietate, sanctimonia,

& carminis argumento, infinitis partibus majore. Si quidem fuit illa vere expers religionis, hæc Christianis sacris imbuta; illa impurissimorum amorum flamma exarsit, quæ, sua etiam confessione, Tribas fuisse convincitur; hæc purissimo sanctissimoque divini amoris igne succensa flagravit: illa nupta uni cum esset, vetiti cum Phaono, quem deperibat, concubitus infamia notatur; hæc Deo immortali dicata, summa virginitatis laude, quam perpetuo coluit, in omnium sæculorum memoria vigebit: in illa, poëticæ facultatis ornamentum, quamvis supra omnem æstimationem, non ita magnam laudis materiam habet, quod illud minus sit aptum mulieribus, quæ ex virorum consuetudine, quibus cum sua carmina communicare coguntur, non parum sæpe pudicitiæ jacturam faciunt, vel, ut eam maxime incolumem præstent, se & famam suam existimationi hominum vindicare vix possunt; in hac, quæ mancipatarum Deo virginum septis se clauserat, ad quæ nec mulieribus, nedum viris, aditus patet, quæque, hac præsertim ratione, exoneraret animum labore, quo, ex divini amoris æstu fatigabatur hæc eadem facultas, eximiæ laudis honore dignatur. Devota Deo virgo vixit sub legibus D. Dominici, in Monasterio S. Nicolai, Patri in Etruria, ubi scripsit hymnos in singulos totius anni dies festos, vario carminum genere; sed in primis Sapphico, quo maxime delectabatur, eosque in Lactantii de Lactantiis, Pistoriensis Antistitis, nomine edidit. Fratrem habuit Kyriacum Strozzam, nobilem Peripateticum, qui utrum sorori, an soror ipsi, majus lumen ac decus attulerit, incertum est adhuc; ita in vario laudis genere uterque pari inter se gloria certant.

ANTONIVS BRVNVS.

ANtonius Brunus natus est Manduriæ, Regni Neapolitani oppido, quamvis ille Astæ in Insubria stirpem antiquissimam suam, originem ducere, affirmaret, ibi familiæ sacra, ibi generis nomen, ibi majorum multa vestigia conspici. Erat corpore obeso ac pingui, sed ingenio neque hebeti neque tardo: nam, & philosophicis ac

ac Theologicis disciplinis instructus, a prima adolescentia, totum se Etruscæ linguæ studio tradiderat; ac multa, tum soluta oratione, tum versibus, docte eleganterque conscripsit; ut licet agnoscere ex tribus epistolarum voluminibus, ex rhythmis, quibus, unico volumine comprehensis, trium Gratiarum nomen est inditum, ex epistolis, quas Heroidas vocat, in tres libros distributis, ex libro Metamorphoseon, octonis rhythmicis versibus explicato, alioque variis ex poëmatiis confecto, qui Mossæus inscribitur, & ex Rhadamisto Tragœdia; quæ omnia & magnam ejus indolem ostendunt, & in primis declarant, quantum vir ille præstare potuerit, si ingenio suo obtemperare quam genio indulgere, maluisset. Etenim in hilaritatem mire propensus, plus operæ dabat amicis ac voluptatibus, quam operibus perpoliendis perficiendisque, quæ dolaverat: tum erat homo escæ maximæ, ac delicatorum eduliorum studiosus in primis; nam quo se curaret nitidiuscule, æs alienum conflaverat, atque æstate, cum a cœna bene potus surrexisset, & urbem frigoris captandi gratia circuiret, si quod in aliqua popina delicatum obsonium offendisset, non dubitabat cœnam repetere, ac celocem rursus saburrare; nec deest, qui dicat, ægritudinem illam, ex qua decessit, ex cibi intemperantia ortam, cum bene cœnatus, pulcreque appotus, ficedularum (nisi memoria me fugit, vel qui narravit, ludos fecit) magnum numerum vorasset; proinde eum, paucis diebus post, lethalem in morbum conjectum, diem obiisse. Sed hæc levia in eo vitia, si vera sunt, plurimis ac maximis virtutibus obteruntur; quibus magno erat apud omnes in honore ac nomine, ac plurimi æstimata est ejus opera a summis viris; nam magnis stipendiis conducta primum est a Francisco Maria Feltrio a Ruere, Urbinatum Duce, cujus capiti nobile illud sertum, omnibus verborum sententiarumque floribus ornatum intexuit, de cujus virtutibus ac laudibus extat in epistola ad ipsum Brunum scripta ornatissimum Jo. Baptistæ Marini elogium; tum Berlingherius Cardinalis Gypsius habuit eum ad manum, consiliorum omnium participem, cujus postea domi, omnia summa sperans, est mortuus. At vir ille, emun-

emunctissimæ naris princeps, maximum se aulæ suæ decus & ornamentum constituturum putavit, si tali ingenio hominem atque prudentia, ad id officium admisisset. At ille fide, assiduitate, industriaque perfecit, ut virum illum principem, consilii sui non pœniteret. Nullus fuit in Italia celebris & illustris Academicorum conventus, qui non eum sibi socium adoptarit, ut Ociosorum Neapoli, Philomatum Senis, Caliginosorum Anconæ, Insensatorum Perusiis, Humoristarum Romæ, in qua etiam sæpius Censoris, atque a Secretis, partes obtinuit, recteque administravit.

FRANCISCVS VALLENSIS.

QVoniam Academiæ Humoristarum facta mentio est, sine piaculo præteriri non potest Franciscus Vallensis Cosentinus, qui tot annos, quot Romæ vixit, honestissimum illum conventum, qui erat quasi theatrum illius ingenii, & suo frequenti ad eum accessu cohonestavit, & voce erudita ac Romanis auribus digna illustrem ac nobilem reddidit. Nullum enim patiebatur esse diem, quo die cœtus ille cogeretur, quin plures rhythmos recitaret; quod erat illi factu facillimum. Nam & ingenio & exercitatione assecutus erat, ut nemo ipso celerius scriberet, neque majorem numerum versuum, fere sine labore, perficeret. Neque dicendi genus afferebat humile atque vulgare, sed elatum ac splendidum. Laudavit multos, tum virtutis tum nobilitatis claritate præstantes viros; sed eleganti in primis carmine, meritis in cœlum laudibus extulit Robertum Vbaldinum, comitiis a Paulo V nuper habitis, in collegium Cardinalium cooptatum. Atque tanta hæc in eo, in faciendis versibus, ubertas ingenii atque fœcunditas eo videri admirabilior debet, quod non ea illi in ocio atque in omnium rerum abundantia contigit, sed tum maxime, cum variis adversæ fortunæ fluctibus agitaretur; cum videlicet, ut in epistola ad Ferdinandum Gonzagam Mantuæ Ducem, cujus nomini anno MDCXVIII suos rhythmos dedicaverat, ipsemet scribit, exilio multatus, patria careret, cum inimicorum insectationibus pre-

premeretur, cum, rebus ad necessarium usum destitutus, cum inopia confli̇ctaretur. Sed illa vis ingenii, cum ad poëticæ facultatis laudem in primis efflorescenet, morte extincta est, ipsi immatura, (in ipso enim ætatis flore decessit) suis acerba, & ætatis ejusdem poëtis luctuosa.

THOMAS CHOREA.

Thomas Chorea, Græce Latineque vir longe doctissimus, natione Lusitanus, floruit eadem ætate, qua M. Antonius Muretus. Nam obtrectarunt inter se, cum uterque humaniores litteras doceret, sed majore Muretus theatro; ac cum essem admodum puer, (ea enim præsertim sunt ad diuturnitatem memoriæ stabilia, quæ prima audivimus) dici memini; non parum ejus laudibus detraxisse, quod Societatem Jesu, in quam receptus fuerat, deseruisset, quodque in eam non recte loqueretur, & quo eidem, qua posset ratione, incommodaret, atque eruditissimis viris, qui in collegio Rom. ejusdem Soc. eloquentiæ præcepta tradebat, & elegantissimos Latinæ linguæ scriptores interpretabantur, discipulos abduceret: etenim in gymnasio Fratrum Dominicanorum, in via, qua iter est ad collegium Romanum, tunc recens excitato, cœpit, eodem tempore, quo illi docebant, de rebus curiosissimis, quæque latissimos ad egrediendum exitus haberent, majore verborum elegantia & sententiarum concinnitate, quam esset utile discipulis, disserere. Atque ejus ego vocem sæpissime, illac iter faciens, accepi; ac memini, pædagogum, qui lateri meo custos erat additus, quique, ubi me in ludum deduxisset, ad eum audiendum accurrebat, dicere, modo ornatissima oratione, tanquam penicillo aliquo, formosissimæ venustissimæque mulieris speciem ornatumque describere, modo damnosi & amatoris adolescentuli profusam liberalitatem, modo illecebrosas meretricum blanditias, modo lenonum turpissimorum artes ac mores exprimere, atque alia ejusmodi efferre, quæ ociosas aures, ac voluptatis quam utilitatis cupidiores, detinerent: verum ita jocabatur, cum a docendi munere in gymnasio Romano statis diebus feriaretur. Nam in duo-

duobus clarissimis Italiæ gymnasiis, Romano ac Bononiensi, magnis stipendiis, extitit dicendi recteque scribendi magister. Scripsit de ea arte, quam docuit, videlicet de Eloquentia libros; de Epigrammate librum unum, & de Elegia alterum: edidit orationes varias, in quibus ea legitur, quam Romæ habuit, in funere Martini Navarri, in Æde D. Antonii Olyssipponensis, nationis Lusitanorum.

IO. BAPTISTA LAVRVS.

QVantum in Io. Baptista Lauro, Perusino, eloquentiæ, eruditionis, doctrinæque extiterit, quantumque in eo omnium laudandarum artium studia flagrarint, ut egregia elegantis sui ingenii monumenta taceant, singulare, de ejusdem præstantia, Vrbani VIII judicium diserte testatur; qui statim ut ad summum illud divinoque proximum dignitatis fastigium evectus est, nihil fere habuit prius, quam ut a Marcello Card. Lanti, cui serviebat ille, prope in beneficio & gratia posceret, ne ferret moleste, eo ornamento domum suam spoliari, ac pontificiam augeri: at Cardinalis, qui Io. Baptistæ propter ejus morum suavitatem sanctitatemque, omnia cuperet, non summa solum voluntate Pontifici eum tradidit, verum etiam aureis ducentis donavit, quibus se vestibus iisque rebus instrueret, quæ aulici pontificii dignitas ac decor exposceret; tum eum Pontifex ad numerum eorum cubiculariorum adscripsit, quos intimos appellant, ut ejus consilio uteretur in iis studiis, quorum erat princeps. Atque hunc locum tenuit honoris ac familiaritatis apud Vrbanum, ac processisset etiam honoribus longius, nisi mors, quæ fallaces spes nostras, & inanes contentiones, in medio sæpe spatio infringit atque subvertit, intercessisset: nam, viridi adhuc ætate sublatus, Pontifici, qui eum diligebat, triste sui desiderium reliquit. Puer educatus est in seminario Perusino, atque a Bonciario humanissimis literis institutus, quarum studium, cum maximos in eis progressus fecisset, nunquam dimisit, sed usque ad ultimum vitæ diem retinuit, semperque novum aliquod atque præclarum inge-

ingenii sui monumentum edidit; quorum ea numerantur in primis, de annulo pronubo B. Virginis liber, Epistolarum centuriæ duæ, Theatri Rom. orchestra, de viris illustribus, de fabricatione Calcis poëma. Sacris initiatus, in Marcelli Card. Lantis familiam venit; apud quem Caudatarii gradu fuit semper; atque inde in Pontificiam aulam, ab Vrbano VIII Pontif. vocatus, ut diximus, transiit.

VALENTINVS PASCHALIS.

VAlentinus Paschalis, Vtinæ honesto loco natus, atque a magistris optimis, liberalibus disciplinis atque humanioribus præsertim literis, eruditus, insigne Aquilejæ sacerdotium obtinuit; unde, ut ab amicis ac popularibus suis audivi, ob cædem sacerdotis alterius factam, dejectus, Romam confugit; ubi Rogerii Abbatis Tritonii, Cardinali Montalto a secretis, cujus tum magna erat in Romana aula auctoritas, ope & gratia, contulit se ad aliorum negocia procuranda, atque ad ea fidem ac diligentiam suam adhibuit; quamobrem, quoad vixit, vixit autem usque ad summam senectutem, honesti, diligentis, atque optimæ fidei hominis nomen obtinuit. Neque tamen literarum studia intermisit, sed usque ad extremum spiritum coluit, Musas præsertim, quibus, ob ingenitam sibi a natura ad versus faciendos materiem atque indolem fuerat ab ineunte ætate addictus; atque varia edidit poëmatia, in his, Currum, illudque quod inscribitur, Cometis nulla fides, scriptum ab eo, ut Paulo V adularetur, qui, ut ceterorum vota sunt hominum, nunquam mori voluisset, cum nova in cælo stella visa esset, quam Græci cometen, Latini crinitam appellant, quam ii, quos præsentis status odium ceperat, & novarum rerum erant cupidi, principi illi mortem portendi vaticinabantur. Edidit etiam librum de rebus Moschicis, ac de Italiæ fluminibus.

SCIPIO PASCHALIS.

Scipio Paſchalis, Conſentinus, erat genere & forma honeſta, neque tam magno corpore, quam figura venuſta, ſed infirma valetudine. Nondum enim ſenex eſt mortuus, ſed atra præſertim bile, pectori pertinaciter hærente, premebatur, quam ille nonnunquam vomitu extrahere & excutere nitebatur. At cum adhuc egregia forma & ætate integra Romam veniſſet, non tamen inanibus adoleſcentiæ cupiditatibus, quas natura ipſa profundit, (quod quidem in vulgus emanarit) adſtringendum ſe tradidit, ſed in labore ſtudioque verſatus eſt; non homines improbos fœdere amicitiaque ſibi conjunxit, ſed optimis viris deditus fuit; nam cum ingenii probitate ac judicii præſertim acumine longe multumque præſtaret, in Academiis, in eruditorum domibus, in conventibus amicorum, ubi nullus fere ſermo erat niſi de literis, frequens aderat, ſuoſque rhythmos, non tam ſententiarum venuſtate prædulces, quam rerum pondere graves, una cum aliis recitabat; quos ego a Porphyrio Feliciano eximie laudari audiebam, cui tum, omnium fere conſenſu, poëticæ facultatis primæ dabantur: nondum enim Jo. Baptiſtæ Marini virtus, quæ omnibus ſuæ ætatis palmam eripuit, qualis & quanta eſſet, ſe ſatis oſtenderat; probabantur etiam Margaritæ Sarrochiæ, in cujus domum omnes, qui literas noſſent, tanquam ſi novum aliquod ſe in cælo ſidus aperuiſſet, ejus viſendi audiendique gratia concurrebant. Sed mirum eſt, eam, quæ, vana ſui ipſius opinione inflata, omnes præ ſe contemnebat, in illius carminibus obſtupuiſſe, niſi ſi adoleſcentis ætas ac forma eam a muliere elatiſſima admirationem eripuerat. Quos ego rhythmos laudatiſſimorum virorum commendatione probatos, nondum editos vidi; quod ſi adhuc communi hominum luce carent, eſt quod vehementer admirer, hominem, laudis gloriæque in primis cupidum, non dediſſe operam, ut typis excuderentur. Atque cum memini, de vitæ ſtatu eligendo, ſecum deliberanti, mihi reſpondere, eum vitæ ſtatum potiſſimum amplectendum, qui poſſet aliquando con-

conditionem hominis mutare, hoc est, ad honores aditum aperire; neque vero hoc solum mihi dixit, sed ipse & sensit & fecit. Nam cum Ferdinandus Card. Gonzaga publice Vrbem ingrederetur, ut a Paulo V, a quo fuerat renunciatus Cardinalis, purpureum capitis integumentum, quod galerum vocant, acciperet, impetravit, ut in ejus aulicis esset, atque ab hoc aditu januaque patefacta, brevi tempore in ejus intimam pervenit familiaritatem, & cum jam posse videretur, ex fructibus, quos ex paternis prædiis capiebat, & ex suo demenso, quod, ut aulicus Cardinalis, consequebatur, Antistitis locum recte tueri, Cardinalis ejusdem auctoritate & gratia assecutus est, ut inter eos numeraretur, qui a referendis supplicibus libellis Referendarii nuncupantur; neque hoc dignitatis gradu se continuit, sed cum, Casalensis Ecclesiæ vetere sacerdote mortuo, novus esset constituendus Episcopus, ejusque nominandi potestas penes Ferdinandum esset, ad quem Mantuæ dominatus, fratris morte, reciderat, de amicorum consilio, qui Romæ ipsi favebant, perfecit, ut cum Dux plures esset nominaturus, quo ex iis Pont. quem vellet, eligeret, ad aliorum numerum, suum quoque nomen adscriberetur. Ita Casalensis Ecclesiæ sacerdotium illud amplissimum, per hanc rationem, obtinuit: atque ex eo tempore, cum grandior jam ætas, & illa Episcopalis auctoritas, gravius quiddam requireret, studium suum omne, ab Etruscæ linguæ venustate, ad Latini sermonis majestatem transtulit; quo in studio, ut tradit Gaspar Scioppius, magno sibi usui adjumentoque fuisse testatur novam Sancii Grammaticam; ea enim perlecta, multum sibi additum alacritatis atque fiduciæ, cum antea titubanti ac perplexo ad scribendum animo solitus esset accedere, quod fere unaquaque in re dubitanter hæreret: ac, ne styli exercendi materia deesset, Carolus Emanuel, Dux Sabaudiæ, per id tempus Montisferrati urbes occupare conabatur, quod eas ad se pertinere arbitraretur; id bellum luculente diligenterque perscripsit: cujus belli historiæ, ferme jam moriens, tria exemplaria confici jussit, quorum unum Bibliothecæ Vaticanæ servandum mandaretur, alte-

rum Duci Mantuæ, tertium nescio cui alteri traderetur.

ANDREAS BAIANVS.

Andreas Bajanus regionem & patriam, in qua ortus erat, repudiavit, barbaro superboque fastidio, atque ex Indo Lusitanum, ex Goano Conimbricensem se dici volebat; quasi puderet se, in ea regione ortum, quæ est margaritarum piscatu insignis, quæ ebur atque aurum mittit, quæ solem quotidie, tanquam a se ortum, ad illustrandum mundum, toto cælo luce diffusa, mortalibus tribuit. Se Grammaticum professus, in aliquot Italiæ urbibus, sed Romæ præsertim, grammaticam docuit, neque ita magna fama, neque sane nimis pingui emolumento, quod non in luce hominum, neque edito atque illustri in loco, pulpitum inscenderit, sed in tenebris, atque Vrbis in angulis, vili plebeculæ, grammaticæ præcepta dictarit. Nam & parvula mercede conductus est ab ejus domus moderatoribus, quæ pueros parentibus orbos alit, ut paucos ex iis, ingenio præstantiore, selectos grammaticis disciplinis erudiret; quibus oratiunculas scripsit, quas in Æde D. Eustachii die eidem sacro, ut est mos illorum adolescentium, haberent; quæ ineptam ac ridiculam pædagogi sedulitatem & industriam declarant; cujusmodi fuit illa, in qua ita verba coagmentantur componunturque, ut ipsa, per sese, se teneant ac sustentent, nec aliquo verborum adminiculo innitantur. Ibi etiam inani labore, plebeis sane versibus, Doctrinæ Christianæ rudimenta exposuit, quæ typis etiam cudenda ac divulganda curavit. Scripsit etiam alia ejusmodi non pauca, tum soluta oratione, tum versibus, quæ piget referre; ac postremo vitæ suæ tempore hanc eandem Grammaticæ artem professus est apud eos, ad quos puerorum Vrbis fæx atque quisquiliæ, tanquam in cloacam aliquam, confluunt, ut literulis imbuantur; in quorum postea complexu animam exhalavit; quibus, cum audissem, id onus incumbere, ut omnia ejus scripta in unum vel plura volumina coacta imprimerentur, quibus ille edendis, aliquot aureorum centena,

ua, moriens nescio cui attribuerat, conveni die quodam duos eorum in via, nam bini solent incedere; salvere jussi, ac demissis & humilibus verbis rogavi, ut operum imprimendorum titulos exponerent; qui vix mihi responsum dederunt, ac statim terga obverterunt. At nullum ille majus ad docendum theatrum est nactus quam collegium Græcorum, ubi præter Grammaticam, veterum Grammaticorum more, Rhetoricam docuit, ac feriis Bacchanalibus fabulam illam Maccaroneam docuit, Carnevalo nomine, quam edidit. Longo Panegyrico res gestas a Jo. Zamoscio, magno Cancellario regni Poloniæ, & copiarum Imperatore perpetuo, laudibus extulit, suasu Jacobi cujusdam Lauri, mendici hominis, qui panegyricum illum impressum, Thomæ Zamoscio, Io. Filio, dicavit. At hic Laurus, novo quæstu, aucupii simillimo, imagunculis, epigrammatibus, atque aliis ejusmodi nugis, transalpinis, fortunatis hominibus ac nobilibus, dicandis, aureos nummulos, tanquam rete jaculo, capiebat; quod si illi aucupium contigit ex sententia, (quod haud scio, non enim in earum regionum divitibus tam liberalem animum expertus sum esse, ac raro eorum quenquam video, hoc cibi genere captum, rem aucupi solvere,) si, inquam, id illi bene successit, certe ex compacto partitus est cum Bajano lucellum. Verum nos, quidquid dici de Bajani virtutibus potest, hac una laude, quæ magna est, concludemus ac perorabimus, nimirum ita Musis usum eum esse amicis, ut admirabili animi motu celeritateque ingenii, magnum numerum versuum, de quacunque revellet, effunderet.

MARGARITA SARROCCHIA.

NVllam ego mulierem, quod quidem meminerim, legi vel audivi, vel ex veteribus vel ex recentibus, quæ ausa sit heroico carmini manus admovere, illudque perficere; nisi, si quis ex veteribus Græcis Erinnam Teiam, ex Latinis Probam Valeriam, objiciat: at illa quidem, proxime ad Homeri majestatem, carmen egregium scripsit, trecentis tantum versibus, neque eo amplius

plius conclusum atque perfectum, Proba vero, quamvis longum opus ac nobile, de Christi gestis ac morte, condiderit, illud tamen Virgilii versibus contexuit, ac nihil de suo propemodum addidit. Nostra vero Sarrocchia, virili plane audacia, Etrusco heroico carmine, rhythmis adstricto, Scanderbegi Epirotarum longe fortissimi res gestas, Phœbo Musisque faventibus, multis libris prosecuta est; nec sicut quidam, qui maligne eam laudabant, soliti erant dicere, fuit inter mulieres vir, & inter viros mulier, sed multiplici variaque doctrina, & carminis elegantia, assequebatur, ut multi nec imperiti nec indocti viri, cum ipsa comparati, mulierum instar habere viderentur. Vt non immerito dici illa possit Etrusca Siren, præsertim cum Parthenope, suam esse civem, asserat. Neque Etrusci tantum, sed Latini etiam carminis faciendi artifex erat. Nam sæpe ego eam vidi, elegantissima argutissimeque conclusa epigrammata, summa eorum, qui aderant, approbatione, recitare. Sed longe meritis major illi inerat vanitas atque superbia; omnibus se anteponere, neminem ferre, injuriam sibi factam queri, si a laudatoribus suis audiret, se mulieribus tantum, ac non viris etiam, quot sunt quotque fuissent, præstare; immortales cum eo inimicitias suscipere, qui in disputando, non continuo iis, quæ ab ipsa dicerentur, assensionem suam præbuisset, aut eisdem adversari ausus esset; ac multos & literatos viros ea causa adversos habebat; in his Io. Baptistam Marinum, quem illa, ut fama erat, alio amore dilexerat, atque Platonico: sed plus in ea poterat amor sui, quam cujusvis alterius, quantumvis elegantis, ac ceteris in rebus sibi obnoxii. Verum ne mortales omnes ab ea odio & iracundia inflati discederent, Lucæ Valerii contubernalis sui opera fiebat, qui, quoties de re aliqua literaria inter ipsam atque alterum orta lis esset, se interponebat, & intolerabilem mulieris contumaciam sua humanitate lenibat, & utriusque dicta, interpretatione aliqua, conciliando, sedare lites eorum conabatur: ac parum habuit, singulorum a se hominum animos abalienare; cum Academiis etiam publice odia inimicitiasque exercebat; ab Academia Humoristarum, capitali odio, dissidebat, quod

quod adolescens quidam, qui in ejus erat contubernio, quoque tum illa utebatur perquam familiariter, in sermone, quem in illo honestissimo doctorum hominum cœtu habuisset, dictum quoddam suum, Sarrocchiæ auctoritate confirmare conatus esset, quod per leges Academiæ minime licebat, quibus cautum erat, ne quis viventis cujuspiam, quantumvis doctrinæ virtutumque omnium principis, auctoritate uteretur; cumque illud esset opus censorium, leviter, modestis objurgationibus, animadversum est in adolescentem illum, magnisque clamoribus actum, ne quis deinceps tale aliquid faceret: quod ubi ejus ad aures pervenit, queri, irasci, minitari omnibus, qui acclamassent, vociferari palam, lacrimas non tenere, propemodum insanire, furere, ac dicere. Ergo ego, supra mulierum, immo supra mortalium omnium, conditionem constituta, paucorum, nescio quorum hominum, placitis subjicior? ergo quisquam audebit dicere, jura mihi esse nata, quæ aliis literatis imponerentur? ergo ego, quæ non una e multis, sed inter omnes, ingenio, rerum maximarum scientia, ac poëticæ facultatis laude, plane singularis existimor, inter gregarios adnumeror? mori me malim, quam tantam injuriam impunitam dimittere, ac nihil propius est factum, quam ut cædes aliqua fieret; atque adolescens ille deinceps perpetuo Academia abstinuit. Domum suam, non solum harum politissimarum artium, sed Philosophiæ, Theologiæ, omnium bonarum disciplinarum, denique virtutum omnium oraculum, haberi volebat. Itaque omnium, qui in aliqua liberali disciplina principes haberentur, concursus ad eam fiebat: illa eorum disputationibus aderat, illa eorum controversias dirimebat, illa quidquid loquebatur, non Sarrocchiam sed Socratem dixisse, non ab ea profectum quæ posset errare, sed Delphis responsum existimari poscebat. Ea pudicitiæ fama fuit, qua solent esse poëtriæ, fidicines, cantrices, eæque quas pingendi fingendique ars a lana & colu abduxit; qua fama verene an falso laboraverit, incertum est mihi, cui non fuit ocium neque consilium, usque a stirpe, auctoritatem, unde illa emanavit, exquirere.

HIERONYMUS BUCCAFERRUS.

Civitas Bononiæ, mater studiorum, Italiæ decus, summum ditionis Ecclesiasticæ ornamentum, nunquam ingeniis hominum caruit, quibus æternam, apud omnes nationes, sui sibi nominis famam gloriamque conficeret: verum nostra memoria in Hieronymo Buccaferro, Francisci filio, multum adepta est claritatis & laudis. Hic, patris diligentia, qui & ipse literas amabat, omnibus doctrinis eruditus est, quibus ætas puerilis impartitur; Jo. Paulo Muzzolo Philosopho, consobrino suo, operam dedit, doctori eximio; qui, cum multos annos Bononiæ docuisset, evocatus est Papiam, ut ex præcipuo gymnasii illius suggestu adolescentibus studiosis Philosophiæ præciperet. Sed Hieronymi satis sua sponte propensum ad utriusque juris scientiam animum, acrius etiam ad id studium impulit Julii Scarlatini Regiensis, amitæ suæ viri, ac celebris I. C. a Philippo Decio laudati, hortatio; quem ille in parentis loco diligebat. Sed quantum brevi profecisset, primum factum est ejus rei periculum in concertationibus de jure civili, quibus Cardinalis Gabrielis Palæoti auspiciis publice se commisit; tum apparuit ex eo, quod dignus habitus sit, cui ab Antonio Gypsio, Berlingherii Card. Gypsii patruo, juris utriusque publice interpretandi facultas tribueretur, atque eodem anno institutiones juris civilis explicandi, in eo gymnasio, munus mandaretur. Postremo quantum sibi Bononienses, in ejus doctrina atque sapientia, præsidii constitutum esse arbitrarentur, illud ostendit, quod decies ac sexies, omnium suffragiis, cooptatus est inter Antianos; qui honos apud illos amplissimus putatur. Erat ad agendas causas aptus; erat civitatis regendæ peritus; sed docendi in primis munere delectabatur, quod nullum ab eo, sicut a ceteris, æternæ animorum saluti damnum metui diceret. At duos & quadraginta annos, quibus jus civile docuit, tanti ad eum concursus fiebant, ut non modo locus in subselliis mature occuparetur, verum etiam schola, atque adeo ambulacrum scholæ adjunctum, auditorum frequentia com-

compleretur; tantum a corona silentium fiebat, ut nemo ne mutire quidem auderet; tam multæ assensiones, tam crebræ admirationes oriebantur, ut, qui procul aspexisset, summum esse in schola magistrum & tanquam in scena Roscium intelligeret. Erat in eo Latine loquendi diligens elegantia, erat suavitas vocis, ac lenis appellatio literarum, adeo ut Dominicus Cæsarius, Rhetor insignis, non ferrea sed aurea eum esse bucca præditum, prædicaret; erat, in disserendo, mira explicatio, argumentorum copia, in interpretando definiendoque acumen, ita, ut Hieronymus Manfredus juris consultissimus, juris civilis subtilitates plane ac dilucide explicandi laudem tribuerit. Verum ex hoc per annos quadraginta & eo amplius ad eum audiendum concursu ex tota Europa facto, ex hac ejus scholæ celebritate, & tanquam officina Jurisprudentiæ, tam multi prodiere, quos Cardinales, Episcopos, Rotæ Auditores, Referendarios, Advocatos, Consistoriales, aliisque præcipuis muneribus functos, ætas hæc vidit, quos terrarum orbis in omnibus celeberrimis Italiæ gymnasiis jus civile docentes admiratus est, ut, si cui sit in animo, in singulorum enumeratione versari, dies unus non sit futurus satis. Patriam usque eo dilexit, ut sæpe luculentis conditionibus evocatus Firmum, Salernum, Parmam, Papiam, Pisas, Patavium, ut ibi doceret, nullum unquam lucrum, patriæ caritati anteponendum esse putaverit: quamobrem universus gymnasii totius consensus duas illi tabulas, quibus nomen suum & familiæ insignia cum suis elogiis insculpta essent, defigendas curavit ad memoriam posteritatemque prodendam; atque Henrico Card. Cajetano, Bononiæ Legato, visus est idoneus in primis, cui fratris filiorum, Bonifacii & Antonii, qui postea Cardinales fuere, institutionem committeret. Omnes fere ad eum causæ deferebantur, neque ulla erat ita magna, ita gravis, quæ non ejus digna patrocinio videretur, nulla in tota Italia controversia oriebatur inter summos Principes, inter Resp. inter privatos, de qua (si de jure civili esset quæstio) aut solus, aut cum paucis arbiter non caperetur, aut quæ sua advocatione consilioque non dirimeretur. Itaque ejus semper domus hominum

frequentia redundabat, neque unius tantum erat perfugium civitatis, sed totius oraculum Italiæ, unde omnes, qui in suis rebus dubiis maximeque perplexis, ex incertis certi, compotesque consilii discederent. At cum jam annos quatuor & quadraginta docuisset, jamque eum, confectum annis, vires deficere cœpissent, Ao. MDCXXII postulavit, ab Administratoribus Reip. Bononiensis, vacationem a docendi munere, qua ad eum usque diem, cum multo ante potuisset, uti noluerat; quam cum illi gravate concederent, peterentque ab eo, ut gymnasii illius honoris gratia, non nunquam, cum ipsi commodum esset, saltem suggestum ascenderet, negavit ille, se commissurum, ut collectam tot annis existimationem uno die amitteret. Quamobrem cum nihil proficerent, permiserunt illi, quid vellet ut faceret; ac suffectus est in ejus locum Franciscus Maria filius, qui jam annos sex in eodem gymnasio extra ordinem jus civile docuerat. Postremo, amissa primum uxore, fœmina lectissima sanctissimaque, ipse quoque, impositæ a natura hominum generi moriendi necessitati obtemperavit, cum jam inde ab anno MDCI testamentum fecisset, in quo quatuor virilis sexus liberos hæredes instituerat, eique ex illis bibliothecam legaverat, qui juris utriusque interpretandi facultatem adeptus esset. Quorum tres, qui patri superstites fuerunt, Franciscus Maria, Alexander, & Hyacinthus, omnibus patriæ suæ magistratibus, aliisque gravissimis muneribus functi, relictam a parente dignitatem, vitæ splendore, ac bonis artibus conservarunt.

FEDERICVS CARD. BORROMÆVS.

CArolo Cardinali Borromæo vita functo, sive potius in cælum recepto, Federicus Borromæus, fratris ejus filius, sive publicis sive privatis de rebus, Romam venit; atque generis ejusdem claritas, virtutum, quæ in eo elucebant, splendor, & patrui, clarissimi sanctissimique viri, nuper extincti memoria, Sixti V Pont. Maximi studium incendit, ad Cardinalatus dignitatem illi mandandam. Atqui ea erat hominis gravitas, ea oris

oris dignitas, ea vultus modestia, ea morum sanctitas, ut, quacunque incederet, tanquam patrui virtutum hæres, prætereuntium digito monstraretur. Cardinalis creatus non tradidit se languori atque desidiæ, nec, si paululum in aliqua cura negocioque versatus esset, quod reliquum erat temporis in amore ac voluptatibus collocabat, aut ludis aut conviviis tradebat, aut in aucupiis ac venationibus conterebat, sed totum in literarum studiis exercitationibusque ponebat. Vigebat in ejus domo mos ecclesiasticus ac disciplina: nullus erat in ea locus riduculis hominibus, aleatoribus, ac parasitis; sed honestis ac doctis viris semper ea patebat; nullæ ad eam libidines, nullæ voluptates commeabant, sed pudor, probitas, continentia, omniumque virtutum studia properabant; non interiores ejus aulæ parietes sericis atque aureis vestibus tegebantur, non Attalicis peristromatis, non aulæis, insanissimis preciis emptis, induebantur, sed stragulis coriaceis, rubrica depictis, vestiebantur; non atria, non cubicula, non domus tota signis ac tabulis pictis, summorum artificum manu elaboratis, in quibus comparandis nullum libido hominum finem precio facit, exornabatur, sed probitate, sed honestate, sed gloria decorabatur; non omnes erant ad eum allegationes difficiles, non omnes ad eum aditus ardui ac pene interclusi, sed omnibus fere horis cuivis, adire volenti, obvii atque aperti. Quicunque sanctitatis doctrinæque laude præstarent, eorum amicitias appetebat, iis se dabat, cum eis familiarissime conjunctissimeque vivebat. Fuit illi familiaris ac proximus, literatus, ex rerum omnium humanarum ac sui ipsius contemptu, sanctitatis notissimæ vir, qui etiam domi suæ est mortuus; sed arctissimo in primis familiaritatis vinculo sibi devinctum habuit Philippum Nerium, qui postea in Sanctorum numerum relatus est; a cujus latere, quoad Romæ fuit, nunquam discedebat. Diligebat etiam plurimum, ex eadem sancti ejusdem patris familia, Juvenalem Ancinam, qui postea Salutiarum Episcopus moriens, magnam, in opinione hominum, sanctitatis suæ famam reliquit, magnamque ex illius sermonibus, summa pietate doctrinaque refertis, delectationem voluptatemque percipiebat. Sed cum

Mediolanensis Ecclesiæ quasi navis, veteris Antistitis morte, suo gubernatore ac moderatore destituta alium exposceret, qui in ea tanquam in puppi sedens, clavum teneret; non fuit Clementi VIII magnopere laborandum, quemnam potissimum ex iis, quos tantæ spei imminere cernebat, eligeret. Namque erat in propatulo Federici Cardinalis virtus longe clarissima, quæ, suo fulgore, ceterorum lumen lucemque præstingueret. At homo sacrarum literarum peritus, qui non esset nescius, quantam in se negocii vim attrahant, quibus animarum cura impendeat, invitus ac recusans, ejus Ecclesiæ gubernaculis manum admovere coactus est. Legi ego adolescentulus Augustini Valerii Cardinalis Veronæ longam ad eum orationem scriptam, qua gravissimis rationibus eidem persuadere conabatur, ut Pontifici imperanti manus daret, suumque ab eo propositum, quantumvis laudabile, expugnari vincique pateretur. Simul atque Episcopatum iniit, nihil ab eo factum est prius, quam ut corruptos clericorum mores emendaret atque corrigeret. Itaque multa sanxit, de vestibus, quibus uterentur, de coma ac barba, quam, ad certam rationem, resectam haberent, de conviviis, quæ nullo modo inirent, de mulieribus, quarum consuetudinem usumque refugerent, aliisque de rebus necessariis ad recte honesteque vivendum. Ac tanta cum severitate Remp. administrabat, ut nemini delicti cujuspiam, quantumvis levissimi, gratiam faceret, sed illud, ex legum præscripto, coerceret atque constringeret. Quam arbitror fuisse causam, cur ille non processerit honoribus longius. Metuebant jam illum omnes, ac verebantur ii, qui omnia sibi licere arbitrantur, ne si talem sibi dominum imposuissent, minus liberas omnium voluntates rerum essent habituri. Sed de viro clarissimo sæpius audivi, cum diceret, in primis obfuisse illi eam, quam habebat, ad omnes Religiosorum ordinum familias, offensionem atque fastidium, sive, quod ab eorum moribus abhorreret, sive quod ferre non posset, suæ eos jurisdictioni imperioque eripi. Itaque semper erat auctor, ut Pontificum Max. constitutionibus, illorum jura ac privilegia intra angustiores fines concluderentur, suaque in eos au-

auctoritas latiore campo extenderetur. Quod si rerum potius esset, nihil erat tam verendum, quam ne illos spoliaret tam ampla dignitate, ac vinctos Episcopis traderet; quæ res maximam in Remp. Christianam confusionem perturbationemque induxisset. Hinc fiebat, ut ad nulla eos munia adhiberet, sed eorum tantum sacerdotum opera uteretur, qui nullius religiosæ familiæ claustris continerentur; iis præsertim, quos vocant Oblatos, qui suam Episcopo Mediolanensi voluntatem, ad omnia ejus imperia exequenda, jurejurando habent adstrictam; hos ille diligebat, hos in oculis ferebat, hos officiis beneficiisque omnibus exornabat. Tum insignem Bibliothecam, magnifico opere excitatam, erexit ac dicavit, omnibus cujusvis professionis libris, undique magno sumptu conquisitis, refertam, Ambrosianam ex D. Ambrosii nomine, Ecclesiæ illius tutelaris Divi, nuncupatam, quam duodecim sacerdotibus, omnium doctissimis, commisit; quos etiam collegii Ambrosiani doctores apellavit. Fuit ingenio præstanti, eruditione magna, eloquentia majore; & a summis suis occupationibus feriatus, non aliam animi remissionem habebat, præter hanc literarum humanissimam ac liberalissimam. Neque nulla ejus ocii ratio extitit; immo plura atque majora ab ejus animi remissione, quam ab aliorum negociis, hominum generi commoda provenere: ejus ocii fructus egregia illa opera numerantur, quæ ad communem attulit utilitatem, atque in conspectu luceque proposuit. Hæc sunt, sacra colloquia, Principum favor, divinæ laudes, sermones synodales, de Episcopo concionante, Meditamenta literaria, de Christianæ mentis jucunditate, de sacris nostrorum temporum oratoribus; quæ non sine summa illius ingenii, doctrinæ, eloquentiæque admiratione leguntur. Sed demum, innumeris, pro Ecclesia sibi commissa & tradita, tanta tamque longe lateque diffusa, laboribus egregie perfunctus, sanctissime moriens, ad optatissimos B. Caroli patrui sui complexus, ut ejus vita laudabiliter acta persuadet, excessit.

GVI

GVILELMVS SIRLETVS.

QVanta doctrinæ magnitudo, quantaque virtutum omnium exsuperantia, in Guilelmo Sirleto extiterit, ut cetera alia argumenta desint, ex eo manifeste perspicitur, quod sacer purpuratorum Patrum senatus, magnum ordini suo splendorem ac decus accessurum existimavit, si illud ingenium, illa humanitas, illa virtus, in ipsorum numerum venisset. Quamobrem universi a Pio IV Pont. Max. in beneficio & gratia postularunt, ut eum quamprimum cooptaret, nec diutius tantum bonum collegio suo deberi pateretur. Ortus est Stili in Calabria, non summo ille quidem loco sed honesto, atque a parvo, parentis diligentia, qui & ipse quoque erat cupidus literarum, omnibus ingenuis ac liberalibus doctrinis eruditus. Verum, qua erat ingenii docilitate atque præstantia, ita exquisitam, ita perfectam, trium linguarum, quæ ceteris præstare putantur, intelligentiam assecutus est, ut nihil in eis sciri discive posset, quod ejus notitiam effugeret. Itaque sic Hæbraice, sic Græce, sic Latine loquebatur, ut in unaquaque earum linguarum natus videretur, sic in pronunciando proprium suæ cuique linguæ adhibebat sonum, ut appareret, in ejus oratione nativum quendam colorem esse, non ascitum. Deinde assidua sanctorum Patrum lectionè, longa sacrarum literarum observatione, tanta divinarum rerum scientia pectus compleverat, ut non modo omnium facile princeps haberetur, qui in eodem studii genere totos se collocassent, sed tanquam ærarium esse diceretur, ubi divinarum disciplinarum opes omnes divitiæque, tanquam uno in loco, constructæ essent atque reconditæ. Illud autem mirabilius fatendum est, quod summam rerum, de quibus diximus, scientiam cum incredibili morum sanctitate vitæque innocentia conjunxit; ut non satis constaret, utrum ille doctior an melior vir esset: quæ res eo majorem in illo laudem habet, quod omnibus sæculis inventi sunt admodum pauci, in quibus vita impura, ac flagitiis omnibus inquinata, non omnem ingenii commendationem ever-

everteret. Atque adeo omnibus Christianis virtutibus floruit, ut nihil ferme illo fuerit in eis excellentius: ac primum de ejus in pauperes amore plura testimonia possemus referre; sed duobus erimus contenti, ex quibus facile conjici potest, quantus, ad eorum necessitates sublevandas, apud illum ardor studiumque flagraverit. Etenim cum ex nimia in eos liberalitate omnia profudisset, neque quidquam sibi reliqui fecisset, præter vestes, quibus induebatur, pauperum uni, qui nuda brachia proferebat, detractam sibi subuculam tradidit, ut se illa contegeret; alteri, quem nudis item pedibus ingredientem aspexerat, calceos, quibus tum utebatur, detulit; atque suis edixerat, ut si, in erogandis eleemosynis, nummi defecissent, bibliothecam suam, carissimo emptam, divenderent. Obedientiæ vero, quam nunquam reliquerat nec abjecerat, tum divinis imperiis obtemperando, tum superiorum voluntati obsequendo, adeo erat diligens, ut, si quam in aliis aspexerat, in ea clamores & admirationes efferret. Nam cum S. Philippus Nerius die quodam, una cum octo e suis domum salutatum ad eum venisset, Sirletus sellas poposcit, quibus illi se commendarent; vetuit sanctus pater eas afferri, ac nihil sellis esse opus ait; atque eadem opera jussit omnes circa humi sedere; quæ res cum ad nutum & voluntatem ejus facta fuisset, admirans Sirletus, exclamavit, o sanctam obedientiam, quantam vim habes in hominibus probis ac rectis, præsertim si accessit studium & disciplina? At, demissione animi quanta fuerit, quamque, cum tot virtutum laudibus abundaret, nihil de se elate ac magnifice senserit, ex hoc uno intelligi potest, quod cum Pius IV, Amplissimorum Patrum senatus, honoris gratia, a quo enixe postulabatur, ut diximus, eidem, de eo Cardinali eligendo, perspicua sua consilia fecisset, restitit quantum potuit, ac, ne eligeretur, elaboravit: novo animi demissioris exemplo; id, ultro sibi oblatum, recusavit accipere, quod aliqui per ignem ferrumque petunt. Sapiens videlicet homo solus intelligebat, quanto majus esset, summos honores fastidire, quam accipere. Sed non aliam decebat urbem quasi theatrum esse illius ingenii, præter urbem Romam, ut

non

non unius modo oppidi civibus, sed omnibus nationibus ac populis spectaculo esset. Et sane, Deo ipsi favente, accidit, ut Romam veniens, in eam domum reciperetur, non quæ virtutem depressam vellet, sed quæ, eandem in altum efferri percuperet, non quæ pessimis exemplis, ejus nitori tenebras offunderet, sed quæ optima disciplina ac sanctissimis moribus eidem lucem afferret. Etenim exceptus est in aulam Cardinalis Cervini Politiani, qui postea creatus est Pontifex, Marcelli II nomine; a quo, si vita suppeditasset, exornatus fuisset ex suis virtutibus; sed breve tempus ejus augendi exornandique fuit: nam summus ille Pont. morte extinctus celeri est, vix diebus undecim post eum diem, quo fuerat ad id fastigium evectus. Nec postremum tenuit locum amicitiæ & gratiæ apud Paulum IV, qui Marcello successerat; a quo & ad interiora ejus consilia admittebatur, & in recitandis horariis precibus socius adhibebatur. Sed demum Pius IV, multis cumulatum honoribus, ad eam amplitudinem perduxit, quæ summæ est proxima. Nam & Protonotarii munere decoravit, & S. Marci primum, deinde Scillacienſi Ecclesiæ, Episcopi jure præfecit; postremo in amplissimum Cardinalium collegium adlegit; immo eum, ut diximus, augustissimo illi senatui, sedulo postulanti, concessit. Laudatur eximie a tribus summis viris, a Mureto, Rescio, & Lipomano. Carolus vero Card. Borromæus tanti hominem fecit, ut post avunculi mortem, summam dederit operam, quo in ejus demortui locum subrogaretur. At quis est, qui non putet, cuivis illum homini placere oportere, qui tantopere Borromæo probatus sit? At quo erat in pauperes amore, nunquam S. Laurentii in pane & perna Ecclesiam deseruit, quæ ipsi, cum Cardinalis crearetur, obtigerat cum ad honestiores pinguioresque transeundi facultas daretur, quod inclytus ille Martyr, in sublevandis Christi pauperum necessitatibus, eodem quo ipse studio flagrasset. Multa ex Metaphraste in Latinum sermonem convertit, plura etiam alia doctissime scripsit, quæ, cognatorum negligentia bibliothecæ Vaticanæ custodiis inclusa, nondum communem lucem aspexerunt. Obiit unum ac septuaginta

annos

annos natus, ac sepultura affectus est in ea S. Laurentii Æde, quam diximus, anno MDLXXXI.

TRAIANVS BOCCALINVS.

TRajanus Boccalinus, Romanus, novam se invenisse viam gloriatur, quam Philosophiæ cupidi sequantur, non salebrosam, scrupulosam, & sentibus obsitam ut antea, sed placidam, voluptuosam, amœnam, floribus herbisque depictam, vel potius philosophicarum se rerum acorem, insuavem ac molestum, lepidis ac prædulcibus inventis, tanquam saccaro, condiisse, ac bolum conflasse dulcem simul acidumque, qui satietati fastidioque medeatur, ac, gustatui præter modum jucundus, impura & immunda secernat ac depellat. Sed re vera homo inflatus ac tumidus, hac in re plus aliquanto sibi tribuit, quam veritas & ratio patiatur: nam aliquanto ante Nicolaus Francus, homo natura maledicus (quod illi infeliciter cessit) & Caporalis poëta facetus, hanc primum philosophandi viam aperuerunt; sed Boccalinus, omissis ceteris, hanc unam persecutus est, ac novam in Parnassi vertice civitatem instituit, cui præesset Apollo, poëtarum Deus, apud quem judicem, tum literati omnes de suo inter se jure contenderent, tum de Principum ac privatorum negotiis referretur; cujus ad arbitrium judiciumque summum omnium rerum rediisse narrabat; quorum ille hominum res gestas, vel laudibus efferebat, vel infamia notabat, prout laude vel vituperatione digna viderentur; quæ res a famosis libellis non ita longo intervallo disjungitur. Atque acta ibi omnia, ad nos perlata, tanquam divulganda curabat. Quæ scribendi ratio, adeo illi elegans, adeo expetenda visa est, ut ad eam, si diis placet, amplectendam quicunque ingenio & eruditione præstent, hortetur. Sed nemini id sano persuadebit, nisi cui vel scapulæ pruriant, vel quos vivendi fastidium, vel satietas capiat. Namque nimia hæc in principes viros, qui propter imperium metui expetunt, atque in privatos honestos viros, invehendi licentia, denique vel in fustem, vel in nervum, vel in crucem erumpit. Equidem sapientiam istam, quæ conjun-

juncta est cum existimationis vitæque periculo, nihil moror: malô enim tutam inscitiam, quam periculosam doctrinam. At quem ille, ex hac sua præclara docendi ratione, Venetiis exitum vitæ invenerit, dicant ii, quibus id notum est, magis, quam mihi, qui non interfui. Verum elegans admodum atque amœnum a natura ingenium obtinuit; quod etiam multarum rerum eruditione ac scientia expolivit atque auxit. At in ea præsertim arte fuit excellens, quæ in Rebuspubl. in civitatibus recte administrandis tota versatur: & in quadam ad Scipionem Card. Burghesium scripta epistola, se commentarios in Cornelium Tacitum editurum, spondet, qui nondum apparuerunt; quos ego commentarios, pro singulari hominis ingenio, omni elegantia doctrinaque refertissimos esse, non ambigo. At qui se aliis Reip. bene gerendæ ducem ac magistrum profitetur ac præstat, in iis oppidis, quorum illi administratio commissa fuerat, regendis, suis ipse præceptis non paruit, sed multa, ut ajunt, commisit, quæ ab illorum rationibus essent aliena. Quamobrem fiebat, ut Romam crebræ de ipsius injuriis quærimoniæ deferrentur, ac locus proverbio fieret, quo dicitur, tria esse hominum genera, qui nihil fere legibus, quas ipsi aliis imponunt, utantur, nimirum Juris consultos, medicos, atque theologos: nulli enim magis in negociis ab jure, ab æquitate, discedunt quam I. C. nulli tuendæ valetudinis rationem minus servant quam medici, nulli conscientiæ aculeos minus metuunt quam theologi. Itaque qui justitiam, valetudinem & conscientiam amittere satagunt, Juris doctorum, medicorum, theologorumque amicitias colat: quod tamen de iis tantum intelligendum, qui ea studia non serio ac sedulo, verum in speciem, & dicis causa, profitentur.

NICOLAVS MASINVS.

PAucos, ac vix paucos proferre ex omnibus possumus, qui, nostra memoria, literarum studia coluerint, in quos plura virtutum omnium ornamenta convenerint, quam quæ in Nicolao Masino Cæsenate exti-

te-

ferunt; quibus ille, non patriæ solum suæ, Æmiliæque, sed Italiæ etiam universæ, dignitatis ac splendoris plurimum attulit. Etenim tum hæ politissimæ in eo literæ eminebant, quæ ab humanitate nomen invenerunt, tum illæ, quæ recondita in arte summaque rerum in obscuritate versantur, mathematicæ nimirum philosophicæque disciplinæ, se efferebant; ac medendi præsertim arte, in qua excellebat, complurium, tum æqualium tum superiorum, qui magnum in ea nomen habuerunt, famam & gloriam æquavit. Quorum studiorum cupidissimus fere ab ineunte ætate, Patavium se contulit atque præstantissimis magistris in disciplinam tradidit, a quibus, omnium bonarum rerum instructu ornatuque refertus, est dimissus in patriam, ut, quæ in medicina didicerat, ad usum utilitatemque suorum civium aliorumque transferret; in quo adeo erat felix, ut fere innumerabiles, periculosissimis implicitos morbis, ex ancipiti levaret. Quo fiebat, ut non solum sui cives, sed alii etiam, ac viri præsertim principes, ad quos ejus virtutis fama emanarat, in dubiis suis ægritudinibus, ab eo opem atque auxilium expeterent. Quamobrem in omnibus fere consultationibus medicis, una cum Mercuriali, Cardano, aliisque summis ætatis suæ medicis, in consilium adhibitus, suam de re proposita sententiam dicebat. Sed in nemine magis quam in illo id verum esse apparuit, quod dicitur, nullam esse sapientiæ vim tantam, in quam non aliquis stultitiæ rivulus influat, cum eaque permisceatur. Nam fuit varius, singularis, &, quibusdam in rebus, propior stulto, quam sapienti. Cujus rei plura possunt argumenta proferri; sed illud numeratur in primis, quod cum Clemens VIII, ejus virtutis fama compulsus, dandas ad eum literas curasset, ut, quod ejus commodo fieret, Romam veniret; capere enim se ejus opera in tuenda valitudine uti; ille, sumpto spacio ad deliberandum, rem ad famulam, Sanctam nomine, detulit, cui ille magnam rerum suarum fidem habebat, & omnem rem domesticam, omnia consilia credebat, & quod illa dixisset, non femellam nescio quam, sed Delphis Apollinem locutum esse, arbitrabatur; cujus ea fuit sententia, ut se loco non moveret, atque ubi juventutem

habuisset, ibi senectutem ageret. Itaque, de famulæ sententia, rescripsit Pontifici, se maximas illi gratias agere; sed ea esse jam ætate, quæ cupidior esset quietis quam laboris, ocii quam gloriæ; eam obstare, quo minus ultro delatum sibi beneficium acciperet. Quod cum fecisset, non irridicule urbani quidam homines dixerunt, apud Masinum plus auctoritatis ac ponderis habuisse Sanctam, quam Sanctitatem. In eo vero miros de se ludos dabat, quod, si quando iter aliquod suscipiendum esset, simul ut in tabernam diversoriam veniebat, continuo sua manu accuratissimum conficiebat indicem, non rerum modo quas secum ferebat, etiam vilissimarum, ut acus, ligulæ adstrictoriæ, & his similium, sed equorum quoque, canum, hominumque, qui erant in comitatu, quorum ipse erat princeps; deinde cum profectionis tempus instabat, sumpto in manus indice primum recensebat hominum capita, unumquemque magna voce appellans, atque initium faciens a se ipso, clamabat, Nicolaus; qui sibi respondebat, Adsum; & deinceps idem factitabant alii, ab ipso vocati: & quoniam equis canibusque nulla erat vox, qua responderent, Adsumus, alius, cui hæc provincia demandata erat, illorum partes gerebat, suamque illis ad respondendum vocem accommodabat; tum ab animantibus veniebat ad sarcinas, ac multo majore diligentia sigillatim unamquamque rem suo ordine repetebat, cavebatque, ne quid desideraretur. Risus etiam omnium excitatus est in eo, quod Cæsenæ, quo anno Consul fuit, omnibus audientibus dixit. Venerat ad eum, questum, cetarius quidam tenuis ac miser homunculus, quod vectigalium ejus civitatis redemptor stateram ab ipso abstulisset, eoque nomine multam peteret, quod eam diceret obsignatam non esse, cum esset perspicuum, illius in ea signum hærere; Masinus miseratus hominis inopiam, accersiri ad se jussit redemptorem illum, rogavitque, cur stateram illam damnaret, quam suo obsignatam esse signo videret? Cui redemptor, non satis fuisse, respondit, semel imprimendam eam curasse, sed id quoque faciendum fuisse singulis annis; idque in suis privilegiis expressum contineri. Quæsivit ille rursus, quisnam iis

eum

eum privilegiis exornasset; Pontifex, ait ille; tum Masinus, Bene inquis, ego quoque nihil ab eo rectius factum esse dico; tum conversus ad eos, qui ipsi assidebant, Ne istuc quidem, ait, apud Orcum a diabolo committeretur. Nihil æque horrebat, ut aquæ vinique nivati haustum, atque in ejus odium, librum edidit, quem inscripsit, de gelidi potus abusu: in quo multis rationibus conatur ostendere, quam sit incommoda valetudini ejusmodi consuetudo. Complura etiam alia docte eleganterque conscripsit; sed eorundem edendorum spacium illi non fuit; quæ una cum magno veterum numismatum numero, in ejus bibliotheca, quæ apud hæredes ipsius etiam nunc visitur, jacent in tenebris, muribus blattisque ludibrium.

FEDERICVS BONAVENTVRA.

EA est in studiis literarum jucunditas, ea delectatio atque suavitas, ut earum cupidos, a corporis voluptatibus, ab ambitionis labore, a pecuniæ studio avocet, totosque individuo quodam amoris nexu sibi constringat atque connectat. Verum suam vim, si in quoquam alio, nostro sæculó, in Federico Bonaventura declararunt; quem non quies, non remissio animi, non infinitus aulicarum rerum labor, non domesticarum solicitudo, non susceptæ, ut fit, in adolescentia cum fortibus viris inimicitiæ, retardare potuerunt, quo minus duodenas singulis diebus horas, amœnissimæ liberalissimæque studiorum occupationi tribueret. Hic Vrbini, nobili in primis genere ortus, patre amisso, strenuo copiarum duce, exceptus est in domum Cardinalis Vrbini, qui patrem unice dilexerat, admodum puer, atque una cum Marchione a Ruere æquali suo institutus liberaliter educatione doctrinaque puerili, tum in aulam Francisci Mariæ, Vrbinatum ducis traductus, in equitandi arte, in ludicra armorum tractatione, & in aliis militaribus studiis, se exercuit, quæ in viro nobili requiruntur. Sed in primis ita discendi cupiditate flagravit, ita Philosophiæ, qua Dux ille, cui serviebat, plurimum delectabatur, amore exarsit, ut sponte sua, ac nemine mon-

ſtrante, ad intima ejus cubilia penetrarit, ſeque cum ea conjunxerit, ac fecit idem in Græcis literis, quas cum maximo adjumento ad Philoſophiam & ad ceteras bonas artes fore animadverteret, qua erat ingenii docilitate, celeriter arripuit, atque in eis perfectus evaſit; quo lumine, ad multa Ariſtotelis loca, denſiſſimis obſita tenebris, & a nemine adhuc percepta, illuſtranda acceſſit; ejusque poëticam non eſſe inchoatam & mancam, ſed abſolutam atque perfectam, ſi unicus tantum locus excipiatur, oſtendit. Quæ res, apud doctiſſimum & ſapientiſſimum Ducem, magnum ei amorem & gratiam conciliabat: nam ſuis eum conſiliis intimum habebat, in maximis rebus adeſſe jubebat, multumque ejus auctoritate movebatur: at quanto eum ſibi ornamento eſſe exiſtimaret, tum præſertim declarabat, cum legationes omnes, quæ eſſent illuſtriores, videlicet ad Gregorium XIV, ad Margaritam Auſtriacam, ad Ducem Sabaudiæ, aliosque ſummos viros, per ipſum adminiſtrabat; quas ille diligenter obeundo, fideliterque adminiſtrando, quantum conſilio, doctrina, eloquentiaque valeret, oſtendit. Tantus enim, ut in Pericle, ejus in labris lepos aderat, tanta in ejus ſermone, ad capiendos detinendosque hominum animos vis erat, ut in eis, quibus cum loqueretur, quaſi aculeos quosdam relinqueret, qui in ſui amorem eos impellerent. Sed cum videret, fere omne ſuum tempus aulam cripere, in qua ita magnæ de rebus levibus eſſe occupationes ſolent, ut non multum aulico, ab officiis, ocii ad celebranda literarum ſtudia relinquatur; ſumma ope petiit, a Duce, ut ſe miſſum faceret, ac ſuo more vivere ſineret; quo impetrato, ruri ſe totum in literis abdidit, ibique librum, qui circumfertur, de Ventis, cum aliis opuſculis eidem adjunctis, compoſuit. Sed tantum Ducis beneficium non licuit illi eſſe diuturnum; nam revocatus eſt ab eo rurſus in aulam; qui poſtea Dux cum animadverteret, quantum damni bonæ literæ facerent, ſi tale ingenium, feriatum a ſtudiis, hebeſcere & languere cogeretur, honorifico attributo ſtipendio, permiſit illi, ut domi ſuæ, quanto majore ſtudio poſſet, in omnium doctrinarum meditatione verſaretur. Ex hac igitur tanta ocii abundantia, il-

illa etiam tanta librorum copia profluxit, quæ in lucem edita, per eruditorum manus volitat; illud nempe opus de octomestri partu, summa eruditione refertum, de Hippocratici anni partitione, de monstris, de æstu maris, de calore cæli, de via lactea, de cane rabido, in Themistii paraphrasim, de jure regni liber; cui ne postremam adderet manum, intempestiva mors, qua, annos septem super quadraginta nec eo amplius natus, surreptus est, obstitit. Ac ne fœcundior ingenii, quam corporis viribus videretur, ex uxore Penthesilea Carpegna duodecim liberos suscepit, cui, propagandæ sobolis causa, nupserat, ne tam nobilis familiæ opes, quæ se uno nitebantur, conciderent.

SEBASTIANVS MACCIVS.

NEmini, quem quidem noverim, tanta, tum soluta oratione, tum versibus, Latine scribendi facilitas & celeritas contigit, quanta in Sebastiano Maccio extitisse narratur. Hic castri Durantis, quod nunc Vrbania appellatur, ortus, puer humaniores literas ac Rhetoricam didicit a Livio Vitali Orosio Spoletino, quem longo intervallo superavit; tum ad Philosophiæ, Theologiæ, ac juris utriusque studia se contulit: quibus disciplinis cum egregiam & assiduam operam dedisset, quinto & vigesimo ætatis suæ anno, earum unamquamque publice interpretandi docendique facultatem, ut mos est, Maceratæ accepit. At quantum in earum singulis notitia intelligentiaque processerit, declarant in primis libri, quos de iis rebus omnibus scripsit. Sed cum elegantissimis ac politissimis literis sibi rem magis esse existimabat, ad quæ majora a natura adjumenta ac propensionem acceperat. Itaque, omissis ceteris studiis, in hoc uno dies noctesque urgebatur, ac multas res quotidie, tum soluta oratione, tum versibus, diligenter elaboratas afferebat. Solutæ orationis illa feruntur in primis, de Historia scribenda liber, de Bello Asdrubalis, de Historia Liviana volumen satis amplum, aliudque non minus magnum in Virgilium, quo conatur ostendere, quantum vir ille, poëtarum facile princeps,

præter poëticæ facultatis laudem, ad quam adspirare nemini licet, in omni doctrinæ & eruditionis genere, præstiterit; Variæ lectiones, in duo volumina distinctæ; de portu Pisaurensi, quem Vrbini Dux, Pisauri, operis sumptuosissimis fecit; tum mirum hominis laborem & industriam declarant inscriptiones antiquæ, tota ex Italia collectæ, atque uno volumine comprehensæ: cujus laboris suscipiendi occasionem & facultatem obtulit illi docendi humaniores literas munus, quod in omnibus fere illustrioribus Italiæ gymnasiis sibi traditum implevit. Latinorum autem versuum, ad quos conficiendos majora etiam quam, in soluta oratione, habuit instrumenta naturæ, tam magnum numerum fudit, ut vix proximum vero videatur, potuisse illum ab uno, etiamsi ejus ætas supra centum annos exisset, exarari. Quod enim ille poësis genus non attigit? quod non graviter eleganterque tractavit? Pastoriciæ primum fistulæ labra admovit, & elegantibus eclogis rura ac pascua cecinit, e quibus volumen justum confecit. Tum grandiori ac pleniori voce, immaturum Curtii Michalori, adolescentis optimi, in quo magnatum spem majores natu dignitatis suæ collocarant, interitum deploravit eleganti carmine, cui nomen est Curtius; in quo, multa cum venustate atque lepore, audita illius morte, omnium fere fluminum concursum ad Metaurum esse factum, exponit, ut consolando atque æque dolendo ægrum & afflictum, tali cive alumnoque amisso illius animum sublevarent: deinde longo carmine, artis ac venustatis pleno, Christi Salvatoris nostri vitam, id quod antea Vidas, sed multo paucioribus versibus, fecerat, texuit; illudque carmen Soteridi nomine appellavit; ne videlicet, sicut argumentum, ita etiam & nomen a Vida mutuasse videretur. Quid verbis opus est? tam multa in scribendo opera fecit, ut in dexteræ manus pollice atque indice, qua ab eis parte calamus adstringitur, ex assidua illius tractatione, duo quasi sulci alte impressi conspicerentur. Verum, id quod raro contingit, tantam virtutis indolem, tantamque ad optimas artes propensionem, transmisit in filios, quos ex uxore sua suscepit; quorum ille, qui virilis erat sexus, exceptum paternæ virtutis semen ita alu-

aluerat, ut tanquam herbescentem ex eo viriditatem eliceret, quam etiam adultam, ad frugem perduxisset, sed mors immaturo eam funere messuit: nam annos natus duodeviginti, Doctoris & Magistri insignitus honore, ac nomine, obiit: ex duobus autem fœminis, ejus, quæ monasticam amplexa est disciplinam, epistolæ aliquot Latine leguntur. Atque earum utinam parens, diuturnioris usuram vitæ habuisset; (nam annum agens septimum supra quinquagesimum, desiit vivere;) næ ille, quæ egregie inchoaverat multa, ad absolutionem perfectionemque perduxit. Laudatur ab omnibus hujus ætatis, qui in aliquo literatorum numero fuerunt, ut a Justo Lipsio, Bonciario, aliisque.

GALILÆVS GALILÆVS.

INter eos, qui bene atque præclare, virtute ingenii, maximarumque rerum scientia, nostra memoria, de Florentinæ civitatis nomine ac dignitate meruerunt, primum sine dubio locum ac numerum obtinet Galilæus Galilæus, Florentiæ nobili ac vetere prosapia, non tamen legitimo toro, natus. Etenim quisnam est in toto orbe terrarum locus ita remotus, ita a nobis locorum intervallo disjunctus, quæ natio tam efferata, tam barbara, ubi aliquis sit bonis literis honor, in qua Galilæi nomen, omnium sermonibus ac literis, summa cum ejus patriæ, quæ talem virum genuit, honore ac laude non usurpetur? Sed quid miramur, tantam hominis virtutem orbem omnium peragrasse terrarum, cum tubæ a se inventæ præsidio, tanquam curru invectus, atque in sublime elatus, per immensas cæli regiones evagaverit, clarissimum solis jubar adierit, atque umbris similes in eo maculas deprehenderit, intra Lunæ, aliena micantis luce, sphæram penetraverit, & latos in ea campos & colles & valles inspexerit, æthereos omnium siderum orbes obierit, ac novas in eis stellas, quas Mediceas, ex Principum suorum cognomine, appellavit, invenerit? Atque utinam, cum res tantas, tantoque intervallo ab adspectus judicio remotas contemplaretur, imbecillitatem oculorum, qui in rebus propinquis atque perspi-

cuis sæpenumero hallucinantur, in consilium adhibere voluisset; nunquam profecto, se vidisse ea, quæ non vidisset, affirmasset, neque ea, quæ sacrarum literarum testimoniis, sanctorum Patrum consensu, ac fidei catholicæ veritate nituntur, libris editis convellere ac labefactare conatus esset; præterea non habuisset necesse, a Quæsitoribus fidei, Romam evocatus, palinodiam canere, ac cælum moveri, terram autem stare, contra id, quod docuerat multis audientibus, palam asserere: quamquam non id tum primum ab eo excogitatum & inventum sit; nam alii multo ante, fortasse ingenii acuendi declarandique causa, se in hac hæresi esse assimularunt. Verum, quamvis singulare hominis ingenium, ob ejus venustatem formæ amœnitatemque, simul, ut aspectum, adamatum sit etiam, tamen ubi suum illud admirabile oculare in medium attulit, cujus ope longissime oculorum acies intenderetur; ita ejus nomen celebrari omnium sermonibus cœpit, jam ut nihil sit eo illustrius, neque celebrius. Nam cum olim Patavio, ubi octingentorum aureorum stipendio mathematicas disciplinas juventuti tradebat, venisset Venetias, admonitus est a quodam patricii ordinis viro, in Germania inventum esse oculare, quod oculis admotam, res quantumvis remotissimas, ea qua essent magnitudine, aspicienti subjiceret, ille, qui fortasse jam diu hoc saxum volvebat, simul ac domum se recepit, fistulæ plumbeæ, ex organo detractæ, vitreos varii generis orbes ad certum intervallum accommodavit, unde eventum sibi ex sententia processisse cognovit; itaque alacris ad nobilem illum virum accurrit, a quo primum, tum ab aliis deinceps multis sui ordinis, summa eorum cum admiratione & Galilæi laude, factum est ejus ocularis periculum in turri campanaria S. Marci; qui omnes uno ore fuerunt illi auctores, ut Senatum adiret, deque suo illo tam admirabili invento ipse doceret; fore enim, ut patribus illis amplissimis rem gratissimam faceret; neque prædictionem fefellit eventus: nam adeo illo delectati sunt munere, ut ex S.C. veteri singulorum annorum stipendio ducentenos aureos nummos alios addiderint. At reversus Patavium, totum, ad opus suum expoliendum,

dum, se contulit. Jam in omnes Italiæ, Hispaniæ, Galliæ, atque adeo Europæ totius oras, Galilæi nomen emanarat; jam notum erat omnibus, ocularis a se inventi ope, novas in cælo stellas orbesque, omnibus ante sæculis obstructas ac reconditas, esse detectas, palamque prolatas; jam elegantissimus ille Nuncii Syderii titulo inscriptus ab eo liber exierat; cum hac fama compulsus Magnus Etruriæ Dux accersivit eum Pisas, ut mathematicarum artium Doctoris ac Magistri nomine, centenos singulis mensibus nummos argenteos magnos, quos laminas vocant, acciperet, alterum vero, quem vellet, muneris sui vicarium, & tanquam hypodidascalum sibi sufficeret: quam ipse tam luculentam conditionem, bona Senatus Veneti cum venia, libens accepit; quæ tam insignis liberalissimi in eum Principis benignitas, nunquam, quoad vixit, clausa est; ejusque beneficio, nullius rei egens, patrio sermone, complures pertinentes ad Mathematicam libros composuit; in his, Dialogum de systemate mundi, in quo execrandam illam suam de terræ, circa cæli orbes, nullo agitatos motu, conversione sententiam aperuit. Quatuor ferme & octuaginta complevit annos, quorum postremos, luminibus orbatus, in tenebris vixit. Obiit in villa agri Florentini; cujus fines ne excederet, Quæsitorum fidei sententia cautum fuerat, in pœnam, quod Sapientia ipsa, a qua a principio mundus constitutus est, sapientior esse affectasset.

MARCELLVS IOANNETTVS.

MVlti profecto atque præstantes in omni fere literarum genere fructus ex Marcello Joannetto Asculano percepti fuissent, si, quemadmodum in eo ostendebantur, ita pervenire ad maturitatem suam potuissent. Magnum hominis ingenium, multæ in eo literæ nec vulgares, egregia ad poësim indoles; sed sicut in agro pingui ac fertili segetes, cum maximam uberrimæ messis spem afferunt, si subita de cælo calamitate feriantur, tanquam decoquunt, & quasi debitores, qui rem fregerint, neque fœnus neque sortem reddunt; ita etiam, quæ

in eo ſtudiorum ſeſe ſpes dabant, cum maxime ad ſummam laudem efflorefcerent, immatura morte fractæ convulſæque interciderunt. Gregorio XV Pont. Romam venit, quo tempore nobiliſſima illa Academia, ex optimorum ingeniorum flore collecta, advocavit ad ſe omnes ex Italia, qui magnum in literis nomen haberent; cumque ille egregium ingenii in ea ſui ſpecimen dediſſet, ab invidis & obtrectatoribus, qui ſe eſſe rerum omnium primos cupiunt, livido nigroque inſpectus eſt oculo; ac memini, tum elegantiſſimos ab eo elegos, clariſſimis illuſtrium ſententiarum luminibus ſplendidos, fuiſſe emiſſos, qui ne pervenirent in eorum manus, ad quos rerum ſumma redierat, quique amœniſſimis hominum ingeniis delectabantur, magna data eſt opera ab iis, qui ingenii apud eos fama pollebant; quod nimirum vererentur, ne ipſorum ſplendor, carminum illorum fulgore, præſtingueretur, vel minores imposterum haberentur. Edidit interea lepidiſſimos, ac plenos ſententiolis vibrantibus rhythmos, qui extant. Sed tandem a manſuetioribus Muſis, quæ neque ad opes neque ad honores perducunt eos, a quibus coluntur, tranſtulit ſeſe ad juris civilis ſtudia, in quibus fertilis eſſe cultura exiſtimatur; ac Jo. Baptiſtæ Covino, Rotæ Romanæ Auditori atque Decano, fuit a ſtudiis; quo in labore, morbo ſublatus, interiit.

FRANCISCVS DIOTALLEVIVS.

NObilis totaque Italia celebris Ariminenſium civitas, nullique Æmiliæ urbium, ſplendore & claritate, inferior, familiæ Diotalleviæ plurimum debet; quæ præter nominis antiquitatem, nobilemque progeniem, multos ſemper domi militiæque præſtantes armis belli ac doctrinæ gloria viros edidit, quorum ſinguli ſingulis civitatibus ornamentum & decus poſſent afferre; in quorum commemoratione verſari ſi velim, longius ab incepto diſtraherer. Quamobrem in præſentia in uno Franciſco hærebo, quem noſtra ætas omnibus inſignem laudibus vidit. Atque, ut primum illum actum iſtius vitæ ſanctiſſimum honeſtiſſimumque prætermittamus,

mus, pueritiam videlicet, quo tempore, quæ a magistris prima illa puerili institutione traduntur, arripuit, adolescens Romam invenit, ut in gymnasio Rom. Soc. Jesu, iis primum studiis, quibus homines informari ad humanitatem solent, tum Philosophiæ ac Theologiæ artibus erudiretur. At quantos in humanioribus studiis profectus fecerit, ex poëmatiis quibusdam suis licet conjicere; quæ quia a mediocritatis terminis, intra quos non licet poëtæ consistere, longissime absunt, summopere laudantur. Ab horum amœnitate studiorum ad latissimos fructuosissimosque Philosophiæ ac Theologiæ campos excessit; in quarum facultatum spatiis ita versatus est, ut nullum reliqueris in iis locum ita amplum ac magnum, quem non peragrarit, ita abditum atque reconditum, quem non perlustraverit, ita arduum atque difficilem, quem non superaverit. Cujus rei, præter quotidianas disputationes, easque, quæ pompæ & ostentationis magis quam pugnæ ac certaminis rationem habent, quæ universo pene amplissimorum Cardinalium collegio præsente celebratæ sunt; periculum factum est in triduanis illis Philosophicis concertationibus, cum sine magistri cujusquam ope patrocinioque, solus in arenam descendit, & omnibus, qui vellent secum cominus rationibus, tanquam hastis, pugnare, disputandi potestatem fecit: in quod certamen cum ex omnium Religiosorum aliorumque ordinum hominibus doctissimi & acutissimi quique venirent, & totis in eum viribus, fortissimorum argumentorum tela torquerent, ita fortiter animoseque eorum vim impetumque excepit ac rejecit, ut omnium, qui aderant, sententia, sit judicatum, neminem eorum, qui tum collegii Romani, Soc. Jesu, scholas frequentarent, homini in primis studioso, & ad perdiscendum acerrimo, ingenii judiciique acumine anteire. De cujus facultate judicare plenius licet ex libro, quem unicum edidit, de auxiliis, qui inscribitur, Opusculum de concursu Dei ad actus liberos voluntatis creatæ; in quo ita receptam a Theologis Patrum Soc. Jesu, de divinis ad salutem hominum auxiliis, sententiam tuetur ac firmat, ut F. Nicolaus Riccardius, cognomento Monstrum, Sac. Palatii Apostolici Magister,

ster, fateri sit coactus, neminem adhuc extitisse, qui gravioribus argumentis contrariam opinionem, in quam eunt omnes, qui in D. Thomæ verba jurarunt, convellere ac labefactare sit conatus. Dolavit insigne aliud opus, de usuris, sed non perfecit; quod ne ad absolutionem perfectionemque perveniret, primum fecit ejusdem occupatissima, & publicis ac privatis amicorum districta negociis vita: nam S. Angeli, quæ est urbs regni Neapolitani, sacerdotalem cathedram, Episcopi honore ac nomine tenuit, & in regno Poloniæ, sedis Apostolicæ functus est munere; qui honos iis tantum demandari solitus est, qui insignis prudentiæ, rerum usus, & nobilitatis laude præstent; quod eæ res in remotissimis illis urbis terræ partibus, ad tutandam amplificandamque sedis Apostolicæ auctoritatem dignitatemque, præsertim adversus Catholicæ religionis hostes, in primis valere semper a Summis Pontificibus cooptari in amplissimum Cardinalium collegium soleant: in amicorum vero, quibus plurimum deditus erat, negociis procurandis ita fidelem, assiduam, ac diligentem operam dabat, ut suarum fere rerum oblitus, nulli neque labori, neque incommodo, neque sumptui parceret. Deinde non potuit recte inchoata perficere, quod, a cogitandi scribendique labore, magna eum ex parte avocaverat adversa valetudo, qua cum conflictabatur, tum ex acerrima attentissimaque studiorum, quibus affixus fuerat, meditatione contracta, tum ex Poloni cæli inclementia, comparata: atque aëris illius diritas, quem annis septem hauserat, (totidem enim annos eam ibi provinciam administravit) & vivendi ratio, a nostra longe diversa, cui assuescere non potuit, celerem illi vitæ exitum properavit. Nam cum, re bene gesta, Romam ad novos majoresque honores, qui decreti illi erant ab iis, qui tum rerum potiebantur, capessendos accurreret, in itinere, tabe confectus, interiit, annos circiter unum & quadraginta natus.

LAV-

LAVRENTIVS AZOLINVS.

Laurentius Azolinus Firmanus, nobili loco natus, Episcopus Narniensis, ingenii præstantia morumque suavitate & elegantia in primis floruit. Nam Theologiæ, Juris civilis, ac multarum maximarumque rerum scientia præstitit; & fuit concinnus atque aptus amicis; nec minorem ex vitæ sanctitate & innocentia laudem meruit, cum multos annos Ecclesiam, cui præfuit, admirabili probitatis & Episcopalis vigilantiæ exemplo rexerit. Poëticæ etiam facultatis nomine claruit; multa enim scripsit, atque præclara; elegantissimas in primis Satyras Etrusco carmine, illud scribendi genus secutus, quod pluribus hac ætate, adolescentibus præsertim, probatur, inflatum, elatum, ac sententiis venustis ac vibrantibus frequens. Evocatus est ab Vrbano VIII Pont. Max. ut sibi a secretioribus epistolis, & consiliorum omnium particeps esset; quibus in rebus fidem illi suam, studium ac diligentiam præstitit; ac si *principibus placuisse viris non ultima laus est*, hanc ille suo sibi jure vendicat. Etenim ita Vrbanus Pont. elegantissimis ejus moribus delectatus est, ut carissimum eum semper habuerit, & amplissimis honoribus destinaverit; sed ille infirma ac tenui valetudine cum esset, nec laborem, quorum occupationibus districtus tenebatur, ferre posset, eorum oneri succubuit, atque in ipso honorum cursu antea corruit quam portum conspicere potuit. Namque erat opinio, si vita contigisset, ad summam eum amplitudinem perventurum; ac si inter purpuratos patres, ut fama erat, fuisset adlectus, non primus honorem illum in suam familiam intulisset: nam alter, Decius nomine, hujus patruus, forma egregia, nec minus elegantibus moribus, sed non eodem ingenio & eruditione, qua iste, fuerat a Sixto V in eum honoris locum evectus, ac celeriter mortuus, conditus in Æde D. M. Majoris, in sepulcro, eleganter constructo marmore.

IACOBVS MICHALORVS.

OPtima ac præstantissima Vrbinatis cœli temperatio moderatioque, tum superioribus sæculis, tum nostra memoria, complures singulari acutissimoque homines ingenio peperit, qui, doctrinæ elegantia ac maximarum rerum scientia, nullis cujusvis populi atque nationis hominibus cedant; quorum multos jam antea enumeravimus: sed in eorum numero, jure optimo, reponendus esse videtur Jacobus Michalorus, Canonicus Vrbinas. Hic enim, ab ineunte ætate, maxima atque clarissima virtutum, quibus est nobilitatus, indicia præbuit. Nam quemadmodum ab exorientis auroræ lumine atque nitore licet nobis de totius diei serenitate amœnitateque conjicere; ita etiam ex celeritate arripiendi, memoriaque retinendi ea, quæ illi, vix e nutricis lacte depulso, a magistris tradebantur, sui eum cives matura ætate summum virum, ac multarum virtutum laudibus excellentem fore augurabantur. Sed, ne ante secundum & vigesimum ætatis suæ annum, adolescens discendi cupidus, & ad rerum naturalium causas indagandas a natura factus, in aliquo celebri Italiæ gymnasio, philosopho operam daret, sed domi se contineret, fuit in primis causæ immatura Curtii fratris sui I. C. mors, quæ omnes domesticas suas rationes & vitæ consilia conturbavit atque pervertit. Neque interea inertiæ desidiæque se tradidit, sed elegantium artium studiis assiduam ac diligentem operam dedit; in quibus quantum profecerit, declarant ea, quæ tum Latine tum Italice, tum soluta oratione tum versibus scripsit: in quibus accurata ac diligens observatio ac labor inspicitur. Non enim solitus erat continuo sua aliorumque omnia probare, sed notandis animadvertendisque eorum vitiis, existimator doctus & intelligens inveniebatur. Sed præsertim irridebat eos, qui Etrusca scribentes lingua, de industria, Florentina verba exoleta ac rancida consectarentur, quod illud, quod scriberent, tum elegans visum iri existimarent, si putidis vocabulis, & ab usu remotis explicatum, Florentinitatem oleret; & quo eos homi-

nes

nes populo irridendos ludendosque præberet, fabulam fecit, cui, Nuptiis fictis, nomen indidit, Lucianum in Lexiphane imitatus, in quam, personam induxit, veteri Florentinorum Aboriginum lingua loquentem; quæ fabula, aliquot post annos, ob sermonis elegantiam multitudinemque jocorum, data est a Communi Vrbinatum, in nuptiis Federici, eorum Principis, & Claudiæ Mediceæ, magno apparatu sumptuque, ac typis impressa. Annum igitur agens secundum supra vigesimum, Bononiam profectus, suum illud fertile & amœnum ingenium, tanquam agrum, elegantioribus literis aratum, novatum, & iteratum, gravioribus disciplinis serendum exhibuit: sed annonæ eum caritas, vel fames potius, quæ eo anno, qui fuit a Christo nato M D XC, Italiam totam afflixit, & gravis morbus, qui diu eum lecto implicitum habuit, sationem illam interupit; & anno post, quam illuc venerat, coactus est in patriam redire; ubi biennium commoratus, disputationem de Sphæra mundiali, quam Bononiæ feriis studiorum absolverat, non inquinato atque corrupto, ut vulgarium philosophorum turba, sed eleganti Latinoque sermone conscriptam relegit, emendavit, auxit, ornavit & anno M D CXXVI edidit. Post illud biennium, quo eum patria habuerat, contulit se Romam; ubi in gymnasio Patrum Soc. Iesu, non modo Philosophicis disputationibus, ut occeperat, pectus insevit, verum etiam Theologicis disciplinis excoluit: jam pridem enim sacerdotalis muneris dignitatem animo conceptam habebat; ideo majore theologiæ studio exarserat. Sed cum jam earum doctrinarum tanquam fluentis ita se implesset, ut redundaret atque difflueret; quo ea communicare cum aliis posset, Vrbini Philosophiæ ac Theologiæ, publice aliis tradendæ, facultatem accepit: in eisque disputationibus, quæ periclitandi ejus vires ingenii causa præcesserant, ita omnes argumentationum impetus fortiter excepit ac rejecit, ut omnium consensu sit judicatum, vicisse eum expectationem, quæ de ipso erat. Accidit per id tempus, ut in oppido Castelli Durantium, quod nunc Vrbana civitas appellatur, insignis cujusdam sacerdotii Præpositus moreretur; cumque in demortui locum, subro-

subrogandus esset alter, qui ceteris doctrina præstaret, atque ob eam causam, multorum concursus ad Fori Sempronii Episcopum fierent, qui erat futurus certaminis arbiter, coactus est ab amicis, una cum aliis competitoribus nomen suum profiteri; ac factum est, ut ille ceteris longe superior discederet, ac per hanc rationem sacerdotium illud auferret: quod cum oppidani ferrent indignissime, ac quererentur, tam pinguem bolum, suorum civium e faucibus ereptum, & alterius civitatis homini traditum, summum Pont. appellarunt, perfeceruntque, ut res iterum in contentionem certamenque deduceretur. Nec mora, ille, æstate summa maximisque caloribus, cum duobus aliis Romam venit, qui ne ejus quidem aspectum ferre potuerunt, & in certamen vocati, venire recusarunt; itaque habitus est rursus honore illo ac loco dignissimus. Sed cum intelligeret, nunquam sibi cum hominibus illis conventurum, quibus invitis ac repugnantibus in eum locum venisset, resignavit eum alteri, bonis conditionibus; & cum indicta esset pugna literaria, in qua pro sacerdotio alio, in præcipua Vrbini ecclesia adipiscendo, certandum esset, se quoque una cum competitoribus aliis in aciem eduxit, ac pedem inde victor reflexit. Itaque illud itineris Romam incommodum, quod anni tam adverso tempore susceperat, sibi in bonum conversum fuisse intellexit, ac reversus est in patriam Canonicus, ubi ob insignem doctrinam, summa cum probitate conjunctam, traditam sibi munerum gravissimorum provinciam, usque ad extremum vitæ spiritum, magna cum laude administravit. Etenim fuit Archiepiscopo a consiliis in causis fidei, sacrarum Deo virginum domibus præfuit, interrogando eorum industriæ periculum fecit, qui sacris initiari, vel ad aliquod sacerdotium promoveri, poscerent. Postulatus est a Francisco Cardinali a Balneo, ut suam de Erycii Puteani Cyclo Vrbanico, sententiam judiciumque proferret; qui libro illud edito palam exposuit; cui Puteanus alio libro, quem Vindicias, seu Apocrisin inscripsit, luculente respondit; refutavit ille rursum Puteani responsionem, alio volumine, Antipocrisin nomine, quem etiam Romæ edidit; ubi cyclum illum

illum vanitatis arguit, atque erroribus ad ſeptuaginta refertum oſtendit. Alia ipſius opera, variis de rebus tum Latino tum patrio ſermone ſcripta, ſingulari quadam animi magnitudine, a rerum omnium humanarum deſpicientia ducta, typis mandare neglexit, cum ſenex jam ex naturali oculorum imbecillitate, prope cernendi facultate amiſſa, totum ſe ad mortis ac cœleſtium rerum contemplationem contuliſſet; & amicis poſtulantibus ac perſuadentibus, ne tam egregia ingenii ſui monumenta interire pateretur, reſpondebat, cum non una amplius nocte ſibi vivendum eſſet (cæcitatem nimirum intelligens ſuam) nihil ſe de humanis laudibus laborare, neque memoriam impoſterum ingenii ſui aliquam poſcere.

ANGELVS ANGELOTIVS.

ANgelus Angelotius Camers, fuit in omni fere diſciplinarum genere excultus. Jus civile, ac Pontificium noverat; Philoſophiam non a limine, ut dicitur, ſalutaverat, ſed ad intima ejuſdem cubilia penetraverat, & unamquamque ejus partem accurate diligenterque luſtraverat, tum eam, quæ eſt de moribus, tum illam, quæ in differendi ſubtilitate, & in naturæ obſcuritate verſatur; mathematicas omnes diſciplinas complexus fuerat; neque eas literas, quæ ab humanitate nomen invenerunt, contempſerat, quippe qui poëtas, oratores, & hiſtoricos omnes perlegerat, nominabat, ſcienter ac proprie de unoquoque dicebat. Memoria erat ſumma, adeo ut quidquid legiſſet, vidiſſet, audiſſet, cogitaſſet, animo comprehenſum haberet, ab eoque unumquodque, cum eſſet opus, tanquam ab armario proferret. Verum ita erat loquax, ut iis, quibus cum una eſſet, nullam ſermonis partem relinqueret, ſed ſolus orationis aliorum munus perſequeretur. Neque ejus ſermones erant de rebus ludicris ac levibus, ſed de literarum ſtudiis fere omnes, quibus erat mirifice deditus, ac bonam diei ac noctis partem tradebat; ſed quia videbatur velle eſſe omnium ſapientiſſimus, & tanquam magiſter ac dominus, ſæpenumero fiebat, ut odioſus interveniret.

Imitabatur homo Camers veteres Græculos; nam quocunque in loco, quoscumque inter homines sive cum uno sive cum pluribus versaretur, sciscitabatur ab eis, qua de re vellent audire; neque fas erat illis recusare, quin rem aliquam in percunctando ponerent, de qua argutissime disputaret: & ubi quempiam in via convenerat, quem inter & ipsum vel levis saltem aliqua notitia intercederet, se illi invito atque aliud agenti comitem addebat, ac vim prope imponebat, ut aliquid ab ipso percontaretur, de quo maxime vellet audire; neque antea divelli ejus a latere poterat, quam inchoatam disputationem perorasset conclusissetque: atque olim, me admodum adolescentem, quem semel cum amico colloquentem suo viderat, atque eadem opera, ut mos est urbanorum, salutaverat, cum feriis Bacchanalibus solum euntem aspexisset, est audacter aggressus, atque, o I te, inquit, volebam, ut vales? quid agis? quo is? Ego, neque quid agam, respondi, nec, quo me conferam, scio: nam cum pigeret ociosum domi manere, ejeci me foras, ut saltem oculos hominibus personatis, tota debacchantibus urbe, delectarem, ac molestas ab animo cogitationes ejicerem; neque decretum aliquem locum habeo, quo me præsertim ire expediat. O te felicem, inquit ille, auspicato domo foras pedem extulisti; non poteras, si totam urbem perreptasses, oportuniorem hominem invenire, qui suavibus alloquiis, atque eruditis disputationibus, omnem tuo ab animo molestiam abstergeret. Sed quoniam advenienti mihi ad sinistram fors eum obtulerat, id quod ego non animadverteram, advolavit illico ad dexteram, atque, Demus primum, ait, operam, ne merito in sermones hominum, vituperationemque veniamus; nam quos de nobis sermones dabimus, quos populo risus præbebimus, si me, te tanto ætate majorem, &, quod refert, tanto literis doctrinaque superiorem, tecum in via ad lævam incedentem aspexerit? age vero, mihi quæstiunculam, de qua tuo arbitratu loquar, impone; sed illud quære, quod sit amœnum, lepidum, jucundum, Bacchoque dignum, cui sunt hodie Dionysia. Ego, qui in eas me tricas devenisse conspicerem, unde quemadmodum expedirer, non inve-

venisebam, demitto auriculas, & quo aliquid responderem, Dic, ajo, de Amore, ex Platone præsertim, quem tibi, præ ceteris Philosophis, audio esse in amore atque deliciis. O sapiens, inquit ille, postulatum, & ætatula ista, quam obtines, dignum: nam fit verisimile, tibi, ut ceteris adolescentibus, amorem in corde versari, tuumque animum apud aliquam lepidam, venustam, tuique similem adolescentulam, cupidinis clavo defixum hærere: age dum, Amor sit nostri materia sermonis, sed ille purus, defæcatus, nobilis, mellisque fœcundissimus, ad quam faciem cupio esse eum, quo ardes, non ille impurus, inhonestus, quique amarum ad satietatem usque aggerit. Ac cœpit primum definitionibus explicare, quid esset amor; tum causas enumeravit, unde Amor ortum haberet, quas vel conferebat in astrum, cujus imperio, ut Plato voluit, duo subjicerentur, vel ad statum cæli siderumque revocabat, in quo illi nati essent, vel similitudini geniorum assignabat, vel ad eandem temperationem corporum aut morum convenientiam, aut ad formarum simile in utrisque exemplar referebat; deinde alia non parum multa subjiciebat, plena illa quidem doctrina, & quadam prope admirabili varietate rerum ac copia, sed quæ mihi, tum in variis nugis occupato, odium & fastidium crearent. Invitabat sæpe aliquem, ex amicorum numero, ad prandium, his fere verbis, Veni mecum, sodes, non tibi dubium aut milvinum dabitur prandium, sed quod philosophum maxime deceat. Nam primum frustulum pernæ erit, mihi Camerino missæ, quo non quidquam dixeris te gustasse in vita suavius, tum vitulina apponetur madida, cum pulte; quam caseus ac fœniculum sequetur; postremo liber unus, & alter in manibus erit, cujus epulis animum pascas. Postquam venit Romam, habitavit primo in vico, qui Classis vocatur, a navali cum Turcis pugna, ibi depicta, tunc temporis infami, quod a diabolariis pistorum, cetariorum, servorumque sordidorum scortis frequentissime habitaretur, ibique inferiorem modicarum ædium partem, vix contiguam, parva mercede conduxerat: sed non ita multos post menses, conducta est ejus opera a viro nobili, ut ipsi ad

juris civilis scientiam aditum aperiret; postea fere semper usus est amicorum ædibus, in quas primum immigrabat precario, videlicet ut tantisper sibi ibidem esse liceret, quoad domunculæ cujuspiam occasio se daret; tum vi & ingratiis, ac reclamantibus dominis, earundem ædium usum arrogabat; ut de quodam honesto viro, literarum ac philosophiæ in primis cupido, Cæsare Pontano nomine, narratur: hic cum per paucos tantum dies ab ipso rogatus, tecto hominem recepisset, & in præcipua ædium suarum parte, honoris eum gratia collocasset, vix tandem potuit post longam litis concertationem, judicis sententia, foras ejicere. Nam cum unus, alter, ac tertius annus præteriisset, nec ille, tanquam si in suo esset, abeundi mentionem faceret, modeste rogatus est a domino, ut aliud hospitium, aliam domum quæreret, eamque ædium suarum partem, qua in primis egeret, liberam traderet. Tum ille, Quid audio? inquit, nondum me Orcus ad se recepit, & partem domus repetis, cujus mihi usum, quod vita suppeteret, sponte donasti? Obstupuit homo quietissimus hominis dicto, quem ex aliorum calamitatibus, in primis litigiosum, & concitum ad rixam noverat; sed cum paulum se collegisset, Quibus, inquit, hoc testibus, quibus literis, hoc planum facis? quos testes, quas literas, prædicas? respondit ille, tanquam si, ut cetera alia argumenta desint, non id satis testetur patientia, qua me tot annos passus es domi tuæ esse, ac docti illi sermones, quibus rudem tuum in philosophia animum expolivi? Ne multa, in jus ad Prætorem itur, controversia defertur, lis contestatur, in qua, non ob obscuram dubiamque juris rationem, sed ob judicantis moram, & adversarii calliditatem, tantos sumptus miser dominus fecit, ut vix tanti domus, de cujus parte ambigebatur, esset. Sed tandem judiciis sententia exire coactus, se suaque ille omnia in Capranicense collegium transtulit, & in cubiculum amici cujusdam sui contulit, æstate ineunte, quo tempore cum res prolatæ sint, simul prolatæ res sunt alumnorum illorum dentibus; itaque, quo ad res redeant, se domum illi suam conferunt, ibique suo sibi succo, ut cochleæ, vivunt. Sed cum circiter instauratio-

nem

nem studiorum ille rediisset, cubiculum etiam tum ab homine occupatum invenit, ac commotus, Itane, ait, a te mihi verba data sunt? nonne ea tibi lege hoc cubiculum patuit, ut post paucos inde dies excederes? quamobrem ejice te hinc foras, quantum potes. At ille ad id confugit, quo se plurimum posse intelligebat, nimirum ad litium terrores, ac quoddam juris Pontificii caput objecit, quo interpretatione sua probabat, sibi, semel in cubiculum illud admisso, jus perpetuo in eo permanendi fuisse quæsitum: sperabat enim, si res in quæstionem vocata fuisset, se occasionem & moram inventurum, qua se diutius in eo contineret. At verba illa homini cerebroso (sicuti sunt discipulorum fere omnium ingenia) tanquam quædam faces fuerunt, quibus inflammatus, Quid leges Pontificias blateras? quid jus tibi ab illis quæsitum crepas? at scin, quomodo? nisi hinc propere properas fugere, jam ego te obtorto collo traham in viam. Sed cum ille cunctaretur, ac nescio quid adderet, adolescens, convocatis aliquot ejus collegii alumnis, valentissimis hominibus, res illius omnes foras exportavit. Dicitur reversus in patriam, ibi diem obiisse supremum; neque aliud reliquit, quod sciam, unde judicare de singulari hominis ingenio liceat.

OCTAVIANVS CASTELLVS.

MVltorum ego hominum, mea ætate, ingenia vidi, ad omnia summa nata, qui homines, quamcumque in partem vel per jocum ludumque se darent, facile multorum in ea re diligentiæ studioque præcurrerent: verum me novisse neminem fateor, qui Octaviano Castello Spoletino anteiret; cujus ingenium ita ad plures res aptum, ita versatile fuit, ut non rota, non turbo, ita versetur, ut illud: ad omnia ea studia, quamvis varia, quamvis diversa, convertebatur, in quæ mente & cogitatione sese conjiceret; neque ad illa solum, quæ sunt gravissima ac severissima, ut ad Philosophiam, Medicinam, Geometriam, Astrologiam, verum ad ea etiam leviora celeri quodam animi motu ferebatur, ut ad Poësim, Musicam, picturam, recte saltandi artem, atque

ad alia id genus multa, prope ut alter Heleus Hyppias posse dici videatur; quamquam ille progressus est longius, atque in plures res abiit, quam sapientiæ studio so conveniat; nam cum Olympiam venisset, ut traditur, tota bene audiente Græcia, gloriatus est, annulum, quem haberet, pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se sua manu confecisse. At nondum mihi perspectum fuit, novum hunc nostrum Hyppiam ad has quoque humiliores artes, ut veterem illum, descendisse; sed non est dubium, si eas etiam voluisset attingere, quin semper sui similis inventus fuisset; quamvis in omnibus illis laudibus, de quibus diximus, conatus in eo magis atque adumbratio, quam perfectio cernitur: etenim ille multa, majore animo quam viribus amplexus est; sed nulla in re fuit excellens; nec mirum. Nam ingenii nostri vis non est infinita, sed exiguis quibusdam finibus continetur; quamobrem, cum in plura studia distrahitur, debilitatur, ac se ipsa fit minor, nec singulis satisfacit. Verum laudari in eo propositum debet; non enim aliunde, quam a magnitudine animi & ingenii, ducebatur, atque in iis scholis, quas, simul ac medendi artem publice tradendi facultatem adeptus est, in gymnasio Rom. extra ordinem habuit, satis signi dedit, quantum præstare potuisset, si, omissis ceteris studiis, totum in uno aliquo animum collocasset. Audivi, de medico in primis nobili, qui tum eum docentem audierat, ita sibi probatam ejus orationem fuisse, ut nihil in ea neque doctrinæ neque eruditionis neque eloquentiæ desideraret. Sed felicius docendi, quam corporis medendi, artem aggressus est: nam ægrotanti amico, ejusmodi medicatam potionem diluit, qua pene ad interitum hominem dedit: parum enim abfuit, quin disrumperetur medius, cum ejus vi, tanquam turbulenti cujusdam tribuni plebis concione, lien, pulmones, jecur, & cor, atque intestina omnia, seditione facta, conarentur foras erumpere; & quod conata erant, perfecissent, nisi alterius, longe illo experientioris medici ope auxilioque, quasi sedati consulis & gravis oratione, seditio fuisset cohibita, imperatumque, ne intestina se loco moverent, sed eorum unumquodque in sua sede quiesceret. Deinde con-

convertit se ad amicorum causas agendas; sed, sive strepitum fori perosus, sive judicio, ad mansuetiores Musas animum transtulit, ad Poësim in primis, ac Musicam; ac singulis fere annis, singulas, & interdum binas, populo fabulas dedit; quarum postremis modos etiam fecit. At cum vir princeps, ab ipso invitatus, laudavisset ejus versus & modos, dixissetque, nihil ipsi deesse præter pingendi artem; tum enim eum fore ab omni parte perfectum; ejus fabulæ, quam proximo anno docuit, scenam sua manu affabre sciteque depinxit; quam viro illi principi ostendens, Vide, ait, neque ea a me perfectio absolutioque, quam desideras, abest. Ex comœdiis omnibus, quas spectandas præbuit, suo judicio, primas deferebat illi, cujus in ædibus Regis Galliarum oratoris, inspiciundi fecit copiam, quam etiam edidit; fortasse, quia majore sumptu, magnificentiori apparatu, ac præstantioribus musicis acta est: verum quia nihil est in ea primum neque postremum, sed omnia confusa atque permista, & quia ob longitudinem fastidiis hominum adhærescit, non inurbane a quibusdam, Tædii, & Confusionis Nuptiæ, appellatur: optima omnium stylo, argumento, atque sententiis existimatur ea, quæ Appollinis intemperies vocitatur. Multæ erant in eo facetiæ, multus in jocando lepos; cavillator facetus, conviva commodus, in imitandis hominum quorundam ridiculorum moribus, vultu, voce, & ipso genere sermonis, admirabilis. Postremo, ne quam artem intentatam reliquisse videretur, paucis ante mortem mensibus Tabellariorum Galliæ Præfecturam tribus aureorum millibus comparavit, ac mense Majo, anni M DC XLIII, cum menses aliquot pituita, ex intemperantia vitæ concepta, vehementer laborasset, est mortuus.

RAPHAEL MENICVCCIVS.

CVm præsertim, ut antea dictum, a nobis hæc Pinacotheca instituta sit, ut hominum ingenuorum animos oblectemus; cum videlicet a negociis, vel ab honesto aliquo opere feriati, tradere se voluptati voluerint; ideo data est opera, ut illorum in ea imagines collocarentur, quæ commemoratione hominum, & cognitione formarum, sine fastidio & societate eam illis possent, quam quærerent, voluptatem afferre. Verum quia perspicuum est, non minorem ea ora voluptatem objicere, quæ insigni aliqua notantur turpitudine, in qua sedes & quasi regio ridiculi continetur, quam egregia atque venusta; propterea inter elegantium formarum quasi tabulas, quorundam etiam imagines interjecimus, qui ob præcipuam nec vulgarem animi deformitatem notissimi, derdiculo omnibus fuere. Ita enim fastidio & societati, quæ ex similium rerum continuatione oritur, facilius occurri posse existimavimus. Sed jam pridem Raphael Menicuccius, Romæ totaque in Etruria celebris, ad Pinacothecam nostram adspirat, suamque, in eam, imaginem inferri, ad obtinendam nominis immortalitatem, cujus semper fuit avidissimus, postulat. Ortus est in oppido Montis S. Sabini, celebri atque illustri, quod summos Pontifices, S. R. E. Cardinales, clarissimos maximorum exercituum Imperatores, honorariæ Jerosolymitanæ militiæ equitum magistros, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque non parum multos viros, domi militiæque nobiles, tulerit. Fuit statura, quæ magis ad mediocrem, quam ad longam accederet, paulo habitiori corpore, magno capite, pleno ore, fœdis oculis, colore subnigro, sed ingenio plane ridiculo, verum non prorsus absurdo. Posse ex tempore versus fundere, bona dicta dicere, risum movere, parasitum non illepidum agere; in re vero familiari sive astu sive industria tuenda augendaque, longe suæ ætatis plures, artificio & acumine, superavit. Sunt, qui illum existiment non vitio mentis aliquo ad stultitiam fuisse delapsum, nec, quo aliis derdiculus esset, parasiticam artem exercuisse, sed in-

insaniam simulasse, & parasiti personam suscepisse, quo se per hanc rationem in principum virorum familiaritatem insinuaret atque intruderet, ut rem faceret, & patriæ suæ honori commodoque serviret; neque illi parum sæpe nec mediocriter commodavit, sed frequenter ac plurimum; ut in magna quadam hæreditate accidit; quam, nisi suis consiliis retinuisset, e patriæ finibus expulsa, alio exulatum abiisset. Oppidanus quidam, in primis locuples, testamentum fecerat; hæres Ædem sacram, & domum illi adjunctam, jussus erat ædificare, ubi virgines aliquot Deo dicatæ alerentur; nisi ædificasset, ac virginibus victum præbuisset, hæreditas Vaticani templi ædificio committebatur; quod cum esset prætermissum, jamque venissent, qui Vaticanæ Ædis ædificio hæreditatem illam peterent, (erat enim pergrandis pecunia) neque esset admodum dubium, quin ea deberetur, ipse Magnum Etruriæ ducem adiit, ad quem nulli unquam aditus ipsi, utpote homini ridiculo, erant occlusi; ac tota de re hominem docet; tum pluribus verbis ostendit, quam foret patriæ suæ perniciosum, si ea utilitate & commodo spoliaretur, ipsi vero indecorum, si pateretur, tot aureorum millia ditionis suæ fines egredi & coloniam commutare: quamobrem tundendo, ac molestis denique precibus effecit, ut vir ille princeps negocium susciperet, commendaret, ac rem cum ædificii procuratoribus parva pecunia decideret. Hujus præsertim insania (si insania appellanda est, quæ emolumenti sui gratia simulatur) famæ, nominisque sui, toto terrarum orbe propagandi studio continebatur; idque jam sibi perfectum esse jactabat: nihil enim tam sciri volebat, nihil tam crebris usurpare sermonibus solitus erat, quam nominis sui famam iisdem, quibus terra definitur, cæli regionibus contineri. Itaque nullam esse, toto orbe terrarum, gentem, sive humanitate ac literis præditam, sive morum feritate immanem & barbaram, sive linguæ nobiscum societate conjunctam, sive ejusdem a nobis varietate dissidentem, quæ esset expers ipsius notitiæ, nullum esse in terris locum, sive propinquum sive remotum, sive celebrem sive solum, quo nominis sui fama non permanasset, nul-

lum esse Regem, nullum Imperatorem, nullum Dynastam, qui non incredibili sui videndi cognoscendique cupiditate flagraret; & Idalianem nescio quem in primis nominabat, quem Regem Maurorum longe potentissimum esse ajebat: sed neminem frequentius habebat in ore, quam magnum Mogorem, quo nullus esset in toto Japone Rex clarior, neque cujus regni fines latius extenderentur; iis adjungebat Sinarum Imperatorem, aliosque non parum multos, quos sigillatim enumerabat. Hos igitur, nominis sui fama permotos, certos ad se homines mittere, dictitabat, qui suis ipsi verbis salutem plurimam dicerent, munera traderent, ac suorum regnorum opes viresque deferrent, atque ipsos quoque venturos fuisse, neque itineris longitudinem, difficultates, pericula, & incommoda recusaturos, si per bella licuisset, quæ perpetuo cum aliis regibus, sibi finitimis, agunt: tanti nimirum æstimabant, se posse vel semel ipsius intuitu frui, ac tanta oculis bona concipere. At, quo aliquo titulo ea fama niteretur, spretis ac repudiatis ceteris, Comitis cognomen accepit, seque ab omnibus Comitem Menicuccium appellari volebat. Cum omnibus erat illi de loco contentio: nam, ob tam insignem partam gloriam, omnibus anteferri præponique postulabat. Itaque advenienti sibi omnes assurgere, de via decedere, ingredienti ad lævam incedere, in amicorum cœtibus, in conviviis, primam ante ceteros sellam apponi jubebat; qua in re, multa jocose, multa inepte, multa ridicule ab eo dicta & facta narrantur; sed unum referre sat erit. Florentiæ, in celebri quodam convivio, cum post honorarios magni illius Ducis ephebos locus illi esset attributus, negavit, se unquam commissurum, ut tam insignem celebritati nominis sui contumeliam imponeret, si postremus inter illos adolescentes, quantumvis nobiles, quantumvis opulentos, quantumvis honestos, convivium iniret; adeo enim non esse imi subsellii virum, ut neminem videre se diceret, cui ipse deberet cedere. Erat in eo conclavi, ubi convivium dabatur, armarium, ita grande atque præaltum, ut pene ad laquearium usque pertingeret; quod ubi suspexit, Hic, inquit, tam perspicuus, tamque editus in altum locus,

cus,

cus, dignus est, ubi ille prandeat, famam qui terminet astris: atque scalas afferri, quibus in ejus culmen satis latum ascenderet, ibique sellam cum mensa collocaret, imperavit; tum bonum sibi anteponi prandium jussit, atque, ut tubicines solent, cum tuba canunt, ambas cœpit malas, lepidis bolis farctas, inflare, ac cibum merumque in se avide ingurgitare: quod ubi ab ephebis illis animadversum est, factus est omnium risus & admurmuratio; cœpitque unusquisque in corde senatum cogitationum suarum habere, ut inveniret, quemadmodum ea homini cautio in damnum malumque converteretur; atque in id simul omnes conveniunt, primum ut clanculum scalam subducant, quo omnis illi fugæ ratio eriperetur, tum ut circa eum, ignem, ex paleis aqua madidis, excitent; quod ubi factum est, miserum tanta vis fumi invasit, ut in os & in oculos irrumpens, pene illum, ne quidquam Dei atque hominum fidem implorantem, respirandi aspiciendique facultate privaret; quod ubi factum est palam, accurrit ad spectaculum Magnus ipse Dux, accurrunt alii, quibus non potest satis narrari, quos ludos de se ille præbuerit; sed postquam satis fuit omnibus deridiculo, fumo excruciatus ac vix vivus inde detractus est. Sed, ne tanti claritas nominis gratis sibi obtigisse existimaretur, narrabat, ideo se venisse in tantum honorem, quod percrebuisset, fore, ut aliquando universus terrarum orbis ab ipso, dominatu regio premeretur: idque explicare conabatur annulo, quo epistolas obsignabat; ubi impressum erat astrum, Soli Lunæque incumbens: se enim esse illud astrum, quod Lunam, hoc est, Turcarum imperium, & Solem, ceterorum nimirum regna, sibi subjecta faceret. Erat sæpenumero inepte insanus: nam de tabano sive œstro nimium multa blaterabat, quemadmodum videlicet a vespa, a fuco distingueretur; quænam esset illius vis, forma, natura, calor; atque alia id genus, oppido insulsa. Ibat sæpe, vocatus & invocatus, ad cœnas ac prandia, ne videlicet parasiticæ arti renunciasse videretur. Neque malos quorundam mores imitabatur, qui invitati, ceteris convivis sunt in expectatione, & diem morantur, ac nocti nocent; quod jure ac merito a Planti-

tino Curculione, tanquam indecorum & incivile, damnatur; sed eo, ubi prandium vel cœna dabatur, antea veniebat, quam res parata esset, atque adeo antea quam obsonator obsonatu rediisset. Interea iis, qui aderant, solitas illas næniis decantabat de sua apud omnes gentes, & in primis apud Japonios, fama; quam etiam volebat in proverbium abire, ut quemadmodum ingens cujuspiam labor, ab Hercule, qui septem summos exantlavit labores, labor Herculeus dicitur, ita etiam celebris cujusque fama, a se, qui ea erat præ ceteris inclytus, fama Menicuccia appellaretur; ac præsertim insignem illam gratiam commemorabat, qua apud magnum Magorem pollebat; atque, ubi res frigeret, molestum illum de tabanis sermonem inferebat. Verum ille, qui, dum viveret, expectabat esse non unus e pluribus, sed fama ac nomine singularis, demum, domi suæ moriens, penetravit ad plures; non inter senatores, vel equites, vel assiduos, sed inter plebejos, aut proletarios, aut capite censos, adversus animi sui sententiam numerandus.



PINA-

PINACOTHECA ALTERA.

342

IOANNI BAPTISTÆ GRATIOLIO RINALDINIO
IANUS NICIUS ERYTHRÆUS
S. P. D.

SUperioribus annis, quod non te fugit, cum mihi essent domi complures clarorum virorum imagines a me quoquo modo descriptæ, qui mea ætate, cum aliqua doctrinæ vel ingenii laude, e vita migrarunt, a multis, qui cupidi erant eas videndi, sæpe rogabar, ut spectatum ipsos admitterem. Quamobrem, ut omnibus satisfacerem, Pinacothecam quasi quandam, in qua omnes illæ imagines exponerentur, institui. Sed ea fuit angustior, quam ut cunctas posset excipere: nam plures reliquæ hominum quorundam erant, quæ illorum commemoratione, & formarum animi cognitione, delectationem afferre non minimam possent. Itaque a multis & in primis a te, cohortatus sum, ut eas, perinde ac superiores, eorum, qui videre vellent, oculis animoque subjicerem. Parui, obtemperavi; tibique, cui, ob tua singularia in me beneficia, nihil denegare audeo, dicto audiens fui; atque Pinacothecam alteram, in qua eas collocarem, exstruxi. Neque mihi fuit magnopere quærendum, cujus eam nominis inscriptam, iis, qui tanquam ingredi in eam vellent, aperirem. Nam tu statim occurristi, qui ejus condendæ, tam sæpe auctor, impulsor, adjutorque fuisti. Sed, cujusnam tutius eam fidei custodiæque mandarem, quam illius, qui faceret eam plurimi? Tu enim, (nisi sit magis benevolentiæ, quam judicii, testimonium,) so-

les mearum rerum omnium pretia nimis exaggerare, quaque ego nihili facio, in cælum efferre. Quamobrem cum sæpe fiat, ut, quo aliquid carius æstimetur, eo etiam diligentius asservetur; quem patronum, præter te, adscribere illi alium potui? Ac potest etiam contingere, ut, te conciliatore, & indicatore, idem apud multos pretium, quo a te æstimatus, inveniat; qui, quemadmodum in omni reliqua vita, ita etiam ingenio judicioque excultissimus, omnium, qui te norunt, consensu, existimaris. Nam primum, in amplissima civitate, nobili genere natus, omnibus, a puero, dignis homine nobili artibus ac disciplinis eruditus, ita in hac luce orbis terrarum, Roma videlicet, in re opulenta ac lauta vivis, ut nemo propemodum, te melius & honestius, divitiis uti videatur. Domus ampla, pretiosa supellex, ita tamen, ut non domus domino, sed dominus domui sit ornamento: circumpedes plures, varia ac decora veste induti; cubicularii, corporis forma cultuque præstantes; mensa liberalis ac splendida; rheda magnifica; equi, rhedæ magnificentiæ pares. Sed, his omnibus in rebus, ea a te cautio adhibetur, ut ne sumtus rei familiaris modum excedat; neque committis, id quod pleraque pars hominum facit, qui splendidum vitæ consectantur genus, ut ii, quibus a te aliquid debetur, usque a mane ad vesperum, flagitatores astent ad ostium, assidui atque molesti, suum repetentes; sed statim argentum, quibus debes, resolvis. Verum, hæc exteriora & corporis. Illa autem interiora & animi, primum, mens, in rebus arduis, multoque magis in rebus ad voluntatem fluentibus, æquabilis ac recta: quippe, ut ait ille, secundæ res sapientum animos fatigant. Nam, cum apud magnos Principes pluri-

mum

mum auctoritate & gratia valeres, nemo te intolerantius jactantem, nemo æquabilitatem communis juris, magnitudine gratiæ atque potentiæ, transeuntem, aspexit; immo, quidquid poteras, quidquid magno tuo labore, magnisque periculis, tibi pepereras, non tam ad tuum commodum, quam ad aliorum utilitatem & fructum, conferebas. Id quod tibi principium maximæ calamitatis fuit: cum nimirum pessime relata est gratia ab eo, quem inopem, & alienæ opis indigentem, perfeceras, ut ad opes divitiasque perveniret. In eos enim, per illum, calamitatum fluctus conjectus es, qui sine lacrimis commemorari non possunt. Tu vero, qua magnitudine animi, qua constantia, utpote qui omnia in te posita esse duceres, multitudinem illam malorum sustinuisti! quam tibi non alia culpa, nisi tua nimia in alios humanitas benignitasque conflaverat; carceres, exilia, fugam, rei familiaris damna, aliaque incommoda, quæ non est enumerare necesse, tibi præsertim, qui, cum fuerint gravia, aspera, ac difficilia perpessu, semper ea memineris. Quid dicam de literarum studiis, quæ, ab ineunte adolescentia, a te, primum exculta, tum, maximis aulæ occupationibus, longo intervallo intermissa, deinde, post gravissimum tuum casum, revocata sunt? Quos & quantos in illis progressus fecisti! primum, in jure civili; cujus docendi interpretandique facultatem, in Gymnasio Romano, tibi delatam, accepisti: tum, in humanioribus literis, quibus præsertim studium tuum dedisti. Quis enim est orator, historicus, poëta, qui Latine loquatur, quem tu non legeris, penitusque cognoveris, de quo non docte scienterque loquaris, & judices, ut etiam eorum non neminem, ex Latino, in Etruscum sermonem, lepide

eleganterque converteris? neque eorundem lectione studioque unquam expleris, sed totum illud tempus, quod tibi ab officiis, & negotiis domesticis, superest, non aleæ aut levioribus aliis occupationibus tribuis, sed in hac liberalissima honestissimaque animi remissione consumis, teque inde ad amicorum, tui similium, consuetudinem transfers, eisque plurimum tuæ suavitatis impertis. Nam semper comis, semper commodus, omnem humanitatem, hilaritatem, ac venustatem exerces. Huic igitur patrono, tam erudito, tam eleganti, tam nobili, non putem Pinacothecam meam ita posse committi, ut plurimum ab eo splendoris & æstimationis accipiat? Quamobrem, ad tua alia in me beneficia, hoc etiam adde, ut tua eam custodia tuearis, ac munias; neque grave videatur tibi, vel non ferendum, quo tempore me oporteret, de referenda tuis maximis in me meritis gratia, cogitare, tunc poscere, ut novo me beneficio cumules, atque augeas. Vale. Romæ, Kalend. Januar. cIↄ Iↄ CXLV.

IA-

IANI NICII ERYTHRÆI

PINACOTHECA ALTERA.

I. GEORGIVS DE VALENTIA.



Voniam ſuperior Pinacotheca fuit anguſtior, quam ut tot clarorum hominum imagines, quos, vivis nobis, vita defecit, capere poſſet; ideo fuit neceſſe, alteram illi proximam addere, in qua eorum, qui prætermiſſi fuiſſent, depictæ noſtra oratione, quaſi coloribus, formæ proponerentur. Verum, quoniam in ædificiis novis, ad voluptatem amœnitatemque excitandis, præſertim requiritur, ut ſint illuſtria, ac ſpeculo ipſo clariora, quo ſigna, aut tabulæ pictæ, ſi quæ ibi locentur, in bono lumine collocatæ, gratiores jucundioresque ſpectantium veniant ad oculos; ideo data eſt opera a me, tum, ut totum hoc ædificium luculentum eſſet, tum, ut ejus in primis aditus veſtibulumque clariori luce eniteret. Sed unde poteram majus illi lumen arceſſere, quam ab eo, cujus nomen, non ſolum Societati Jeſu, in qua numerabatur, ob ſingularem doctrinam, præſtantemque rerum maximarum ſcientiam, ornamento eſt, verum etiam, ſolis inſtar, orbem omnium terrarum, ſua luce, luſtrat ac complet? Hic eſt Gregorius de Valentia; qui, ortus Metimnæ, quod eſt oppidum provinciæ Caſtellæ, in Hiſpania, plus patriæ reddidit, quam ab illa accepit; jamque Metimna Gregorio, quam Gregorius Metimna, apud omnes eſt notior. Huic, ab adoleſcentia, non pecunia, non voluptas, non ambitio, quæ, quaſi materies omnium malorum, mortalium pleroſque ſubvertunt, grata fuere; ſed, Dei metus, mores optimi, literarum ſtudia,

longe potiora extiterunt; in eisque juventutem, ac reliquas vitæ suæ partes, exercuit. Quibus in studiis quo, rerum humanarum omnium curis omissis, totum se collocaret, Societati Jesu nomen dedit: in qua, dici vix potest, quantum in omnibus iis virtutibus brevi excelluerit, quibus perfecti religiosi forma continetur: neque minores in liberalibus disciplinis profectus fecit; in iis præsertim, quæ in acri ac vehementi rerum subtilissimarum investigatione meditationeque versantur, quibus studium suum dederat. Quamobrem celeriter est adeptus, ut nemo illi, ingenii acumine, intelligendi præstantia, differendi subtilitate, anteire putaretur. At, cujusmodi esset hominum de illius excellentia judicium, illud in primis ostendit, quod, cum nondum sacris initiatus esset, cum vix ex studiorum curriculo pedem extulisset, inventus est ceteris aptior, qui in Germaniam mitteretur, ut Dilingæ, in Gymnasio, ab Othone Card. Augustano, cujus ditioni oppidum illud suberat, fundato, sacram Theologiam doceret. Non fefellit hominum de se expectationem, sed superavit: nam incredibile est memoratu, quantam sibi, optimi præstantissimique Theologi, quantam, singularis eruditionis, famam confecerit. Quæ fama, unius civitatis terminis non contenta, quasi extra ripas diffluens amnis, longe lateque sese diffudit, ac Germaniam primum, tum Europam universam, excurrens, omnium virorum Principum animos, omnium Academiarum studia commovit: unusquisque enim vir princeps, unusquisque locus, ubi literarum domicilium esset, inflammato studio, tantum sibi doctorem expetebat, a quo, in ipsorum Gymnasiis, juventus, ad omnem divinarum humanarumque rerum scientiam, institueretur. Sed vicit tandem, eximium Gulielmi V, Bavarorum Ducis invictissimi, studium; cui, ad Ingolstadiensis Gymnasii ornamentum ac decus illum deposcenti, non potuit obsisti. At, quænam tanta est vis ingenii, quæ tanta orationis ubertas, quæ honores summique significationes officii, a præstantissimo illo omnium fere suæ ætatis Principe, Gregorio exhibitas, possit explicare dicendo? Non enim sapientissimum illum Ducem fugiebat, quantum ornamenti ac nominis,

Gy-

Gymnasio illi, tam eximii in omnium doctrinarum genere hominis adventu, quæreretur, qui præsertim, doctissimis suis disputationibus, infestissimus hæreticarum partium hostis haberetur. Quemnam enim, ad incredibilem admirationem non efferret illa ejus, de omni re, quæcunque in disceptationem quæstionemque vocaretur, copiosa ac sapiens oratio? quis in illo ejusdem, in argumentando, & argumentis respondendo, acumine ac prompta subtilitate non exhorresceret? quis, non stupefactus hominem, de rebus horridis nitide, de obscuris perspicue, de jejunis copiose loquentem, intueretur? quis altissimis defixam radicibus, ac firmiter hærentem, vim varietatemque doctrinæ, non summis in cælum laudibus efferret? Quid verbis opus est? si quæ ab eo responsa darentur, iis, non ut ab homine acceptis, sed ut a Deo cælitus immissis, honor habebatur. Neque in oppugnandis hæreticorum castris, aut in eorum conatibus repellendis, tum publicis disputationibus, tum libris editis, se ipso inventus est minor, nemo enim hæreticus cum illo congressus est, quin ab eo certamine, aut ipsius argumentorum quasi telis confossus, aut sua ipsius confessione victus superatusque, discesserit. At, quænam tanta vis esset, quæ rationum, quæ ab ipso afferebantur, firmitatem soliditatemque infringere ac labefactare conaretur? Quid mirum, si, communi omnium voce, eodem, quo D. olim Augustinus, Mallei hæreticorum, decoraretur elogio? Circumferuntur, in unum collecta volumen, variis temporibus variisque de causis pugnata, cum hæreticis certamina, hoc titulo inscriptum, *De rebus fidei, hoc tempore controversis, libri, qui hactenus extant, omnes, & alii, nondum antea editi, ad Serenissimum Bavariæ utriusque Ducem Gulielmum V.* Reliquit etiam, ad D. Thomæ Aquinatis summam, commentarios, quatuor voluminibus explicatos; quibus, incredibili subtilitate, brevitate, ac perspicuitate, quæcunque ad sacram Theologiam pertinent, traduntur, exponuntur, firmantur: qui commentarii, a cupidis, ejus facultatis, vehementissimo studio postulati, ac tandem in lucem editi, cum ob ingentem emtorum numerum, quem invenerant, exempla eorum omnia fuissent distracta, ne-

cesse fuit eas iterum ac sæpius prælo committere. Quamobrem unus ex bibliopolis Vrbis, cum, die quodam, ante tabernam suam, prætereuntem Gregorium aspexisset, Hic, inquit, est ille, qui suis libris, sæpius impressis, bibliopolas plures, magnas ad divitias opesque perduxit. Nihil illi facilius fuerat, quam suos hos commentarios, longissimis disputationibus, acutissimisque meditationibus, quemadmodum a pluribus præstanti ingenio ac doctrina viris factitatum esse videmus, auctiores ac locupletiores efficere; quod ea omnia, longo studio diligentiaque collecta atque disposita, in sua literaria suppellectile numerarentur: sed, dedita opera id a se prætermissum ajebat, quod spes sibi esset, fore, ut melius de sacræ Theologiæ studiosis mereretur, si omnia rerum capita, quæ in ea facultate continentur, ex immenso prope spacio, in exiguum sane gyrum compellerentur, ac brevi, facili, perspicuaque via ac methodo traderentur. Id quod est egregie ab ipso perfectum. Quæ res magni argumenti loco esse debet, summam illum atque perfectam ejus scientiæ notitiam egregie animo comprehensam habuisse. Per annos sedecim Gregorius Ingolstadiense oppidum Gymnasiumque, doctrinæ suæ lumine, apud omnes gentes nobile atque illustre reddiderat: sed, utpote optime de hominibus illis meritus, octo alios annos superioribus addidit; quos ibidem, a maximis gloriosissimisque laboribus feriatus, exegit: cum interea summis esset viris honori, literatis venerationi, hostibus catholicæ fidei terrori atque formidini. Verum, non solum oportebat, sed necesse erat, ut tam clarum sidus non uni tantum eidemque remotissimæ orbis terræ parti luceret, sed in Vrbem, omnium terrarum arcem, translatum, radios inde suos latius longiusque diffunderet. Romam eum evocandi causa fuit inopinatus & immaturus P. Mutii de Angelis, summi Theologiæ doctoris, interitus, in cujus locum alter erat subrogandus. De quo Mutio nihil dicam amplius, nisi, illud Angeli in eo cognomen apte dignoque in loco fuisse collocatum; tum, ob insignem ingenii celeritatem perspicacitatemque, tum etiam, ob suavissimos mitissimosque ejus mores, nulla amaritudinis labe conspersos. Sed quid mirum

rum est, tantam in eo vim suavitatis fuisse, cum fel, amaritudinis receptaculum, in ejus, post mortem insecti, extis, non apparuerit? Quæ res, prodigio similis, poëticæ facultatis in Collegio Rom. studiosis materiam attulit, qua, vario carminum genere, argute eleganterque, in ejus pene prodigiosam lenitudinem animi, luderent. At Gregorius, ubi Romam attigit, quæ Vrbs futura erat theatrum illius ingenii, & voce erudita dignum, simul auditus & probatus est, ac singularis propemodum doctor existimatus. Sed vix Theologiæ docendæ munus exequi cœperat, cum traditam sibi præfecti studiorum provinciam accepit, summaque eorum cum laude administravit, qui dabant operam literis, quique, in eo studiorum, quibus ille præerat, genere, principes habebantur. Sed nulla adhuc illi, Clementi VIII, qui tum Petri cathedram obtinebat, ejusdemque aulæ, facultas obtigerat declarandi, quis esset, quantumque ingenio ac doctrina valeret; cum fuit ante ipsum Pont. gravissimis acutissimisque disputationibus, P. Ludovici Molinæ suscipienda defensio, de eo, quod attinet ad societatem consensionemque divinæ gratiæ cum libero hominis arbitrio. Quæ controversia, quia illustre ejus nomen reddidit, eumque in maxima apud omnes existimatione & gratia posuit, cogeret me, ut quædam, quæ in ea causa ventilanda excutiendaque contigerunt, paucis exponerem, nisi & loci, ubi disputatum fuit, reverentia, & negotii ipsius indoles tenerrima, mihi silentium imponeret. Accedit, quod summus Pontifex gravissimo edicto caverit, ne quidquam eorum, quæ tunc gerebantur illic, vulgaretur. Vnde ergo solidi quid constaret mihi, quem nec suspicione nec incerto partis alterius relatu niti oportet? Hoc interim notum omnibus est, quod Clemens Pont. cum summa ipsius, erga Gregorium, voluntatis significatione, eos illi honores habuerit, qui vix præstari cuipiam solent; ut mense Martio, in ea disputatione, quæ ceteris finem attulit, cum Gregorius ita vehementer ex stomacho laboraret, ut stare non posset, atque Pont. ejus esset audiendi in primis cupidus, sedentem, disputationi operam dare permiserit. In quo ille declarare visus est, quanti hominem faceret, cui id concesserit,

rit, quod ipsis etiam Episcopis denegatur. Interea, cum morbus illi fieret amplior, adeo, ut medicamentorum vi aliqua reprimi vincique non posset, de medicorum sententia experiri placuit, num Neapolitani situs amœnitas, ac saluberrimi suavitas aëris, aliquam laboranti opem afferret, & amissam valetudinem recuperaret. Nulla vox est, quæ honores, atque omnia officiorum genera, ab humanissima illa civitate, ac præsertim a primis ejus proceribus, in illum exhibita, possit exprimere: nam, quidquid dixerit, minus erit. Dabat operam unusquisque, ut tantum virum, tantorumque meritorum fama notissimum, morbi injuria afflictum, sublevaret, & in veterem amissæ valetudinis locum revocaret. Sed frustra hæc ab illis opera suscepta est: nam, cum jam morbus ita invaluisset, ut ejus viribus obsisti non posset, coactus est Gregorius illi cedere. Itaque, multis editis pietatis egregiæ signis, magno bonorum literatorumque omnium cum luctu, in villa Tiberii Caraffæ, Bisiniani Principis, diem obiit supremum, annos natus quatuor supra quinquaginta. At, simulac Ingolstadium fuit de Gregorii morte allatum, in qua ille urbe tot annos, tanta cum gloria, vixerat, Gymnasium illud, deberi a se tanto hominis ingenio ac virtuti existimavit, ut elogium, quod subjicitur, marmoreis incidendum tabulis locaret, quod esset & perpetui sui erga illum animi testimonium, & vivam illius apud posteros memoriam conservaret, atque immortalem, si fas esset, efficeret.

Gregorius de Valentia, Metimnensis, Hispanus, Sacræ Theologiæ Doctor, inter Theologos sui temporis nulli secundus, Parisiis vehementer expetitus, a Stephano, Poloniæ Rege, diu postulatus, præclarum hujus Academiæ decus, in qua annos XXIV commoratus, cum Sac. Theologiam, sexdecim annis continuis, magno auditorum plausu & fructu, fœcundissimaque eruditionis propagatione, docuisset, atque interim, in omni controversiarum genere, contra hæreticos quam multos, compluribus libris editis, nunquam non victor, egregie dimicasset, universamque Scholasticam Theologiam, qua-tu-

tuor Commentariorum tomis, commemorabili opere illustrasset, immortalem nominis gloriam adeptus, anno cIↃ IↃ XCVIII, superiorum suorum voluntate, Romam advocatus est, cum illic, partim Sac. Theologiæ Professor, partim supremus in Collegio Soc. Jesu studiorum moderator, aliquando clarissimus vixisset, demum, assiduis laboribus fractus, & inveterata ægritudine consumtus Neapoli, quo, valetudinis causa, ager concesserat, e vivis, semper victurus, excessit, XXV aprilis, anno cIↃ IↃ CIII, ætatis LIV.

II. IO. BAPTISTA STROZZA.

SI quisquam Reip. in qua natus est, utilem operam præstitisse perhibetur, in his non postremum obtinet locum Jo. Baptista Strozza Florentinus. Nam, dum vixit, assiduam dedit operam, quod in ipso fuit, ut magno civibus suis usui esset. Atque, si melius de Rep. mereri dicendi sunt ii, qui probos illi cives, atque, optimis moratos moribus, præstant, quam qui urbes, sua pecunia, mœnibus cingunt, ædificiis exornant, opibus augent, quanam alia in re Jo. Baptista studium suum posuit, nisi ut civium suorum animis, detractis vitiis, virtutes insereret? In quo magnam meruisse laudem existimatur, ac merito: nam, ut urbium incolæ, opibus ac divitiis abundent, ut ædificiis amplis & illustribus habitent, ut pulcre muniti sint muris, si tamen in illis avaritia, luxuria, scelus, perfidia, & inscitia versetur, divitiæ sunt civibus suis oneri atque miseriæ, quod sint fomenta vitiorum; tum, elegans urbis species dedecori, quod honestius corpora, quam animi, habitare dicantur; munitionum moles nulli fere usui, quod, nisi vitia ab oppidis exulent, centuplex murus rebus servandis sit parum. Summa igitur cum laude, omnes ille ætatis industriæque suæ nervos in eo contendit, ut patria iis rebus pollens existeret, quibus veræ Rerump. fortunæ continentur. Etenim præclara adolescentium ingenia, quæ natura, ad omnes egregias artes, tanquam inchoaverat atque dolaverat, excipiebat, ut expoliret atque perficeret,

ret. Erat ille Philosophicis ac Theologicis doctrinis instructus, Græcis ac Latinis literis doctus, poëticæ facultatis ita peritus, ut non cum æqualibus suis solum, sed cum majoribus etiam natu poëtis, compararetur. Has ille disciplinas, in instituendo docendoque prudentissimus, juventutem edocebat, & quotidianis, domi suæ, disputationibus exercebat, ac sæpius, quod umbratili illa institutione didicerat, in pulverem & solem cogebat educere: cujus rei magnam illi facultatem dabat insignis academia, quæ suis in ædibus, magno literatorum omnium, qui essent Florentiæ, concursu, celebrabatur. Quæ vero ingenia, fortunæ culpa, ne emergerent, oppressa cernebat, suis ipse opibus ac facultatibus, quibus erat affluens, sublevabat; libros, vestem, cibos, habitationem, omniaque ad necessarium usum illis præbendo. Vtinam eorum non nemo, si non rem, parem tamen voluntatem ac studium, eidem emetitus esset, neque odium pro amore, injuriam pro beneficio, rependisset. Erat oculis, pituita e capite defluente, captus; quæ calamitas multos ejus familiæ viros invasit; sed ingenii acie perspicaci, judicii acumine acerrimo. Mortuus in patria, triste omnibus sui desiderium reliquit: sed ejus obitus iis luctuosus fuit in primis, qui multum ingenio, parum vero a fortunæ muneribus instructi, ducem, magistrum, patronum, ac regem, sibi ereptum esse, querebantur.

III. IVLIVS ROSCIVS HORTINVS.

HOrti, urbs, nulli earum, quæ in Faliscis numerantur, antiquitate ac nobilitate inferior, Phœbi Musarumque deliciæ, fere semper præclara hominum ingenia, ad omnia elegantissimarum artium studia, & ad poësin in primis apta, produxit; quæ, tanquam flores eximii, odore & amœnitate, non uni tantum civitati, sed omnibus, apud quos Græcæ Romanæque literæ vigent, essent voluptati, admirationi, ac laudi. Mitto eos, quos Philosophiæ ac Jurisprudentiæ laus nobilitavit, ex iis, qui, cum aliarum etiam laudandarum facultatum gloria

ria

ria florerent, poësin etiam sunt amplexi. Ita Horti Julio Roscio, nobili apud suos genere nato, delectantur, ut non alio magis cive & alumno glorientur, neque magis se jactent. Hic admirabili quodam naturæ ipsius habitu, ac prope divino, præditus, cum eximiam hanc illustremque naturam ad omnium rerum magnarum atque artium scientiam contulisset, quid mirum, si orator, si poëta, omni laude cumulatus, extiterit? Etenim, nisi oratorum ac poëtarum, ex rerum cognitione, efflorescat ac redundet oratio, tanquam cassa nuce inanior, negligatur ac repudietur necesse est. Itaque tanta vis ingenii, ab omnibus, qui tunc temporis magnum in literatis viris nomen habebant, primum cognita, (non enim insignis flammæ cujuspiam splendor latere diutius potest, quin suo se lumine prodat,) tum adamata, deinde expetita, postremo exculta omni officiorum genere est; sed in primis, ab Aldo Manutio, arctissimo sibi amicitiæ vinculo constricta, ac ita illum placuisse Manutio, tantum in ejus laudibus pondus mea sententia habet, propemodum ut ceteris anteponendum esse videatur: nisi enim summa ac prope singularis, in ejus ingenio atque doctrina, vis boni fuisset, nunquam ita a tali viro coli diligique potuisset, ut vix quidquam in amore fuerit ardentius: cujus viri eruditio, a majoribus ipsi suis quadam quasi hereditate relicta, ita deinde, perpetuo labore studioque, suis est opibus aucta, ut parenti etiam ipsi Paulo, quo tum in his literis humanissimis nil habebat orbis terræ præstantius, esset admirabilis. Quanta autem inter Aldum & Julium necessitas amicitiæque usus intercesserit, declarant epistolæ, quæ extant impressæ, & eruditorum manibus teruntur, tum Manutii ad ipsum, tum ipsius ad Manutium, scriptæ. Sed, quid tam eorum, qui se literis abdiderunt, ostendit industriam, quam quæ potuerunt ad communem afferre fructum, atque in conspectum lucemque proferre? Sunt in medio complures ejus orationes, ab ipso editæ, in quibus & orationis copia, & sententiarum gravitas, & elegans verborum comprehensio, atque artifex etiam stylus, apparet. Summa omnium cum voluptate leguntur epigrammata, elegiæ, odæ, & sacrorum carminum liber: quo omnia,

omnia admirabilem ejusdem ad poësin indolem, ac divinum illum spiritum, quo poëtæ dicuntur afflari, mire testantur, exstant elogia militaria, tanta cum fide, industria, ac sermonis majestate conscripta, ut ejus ingenii magnitudinem, candorem animi, ac magnificum orationis genus, ante oculos ponant. Attigit etiam Remp. ac, pluribus & maximis muneribus functus, in gravi atque difficili provinciæ cujusdam administratione, vitam reliquit.

IV. FRANCISCVS BALDVCCIVS.

FRanciscus Balduccius, Panormitanus, Siculus, fuit ingenio magno; quippe qui, naturæ bono, sine multis literis, quibus vix tinctus erat, eo mihi pervenisse videtur, quo alii ejusdem ætatis, omnibus liberalibus disciplinis instructi, Græcis ac Latinis literis docti, multo præterea labore multaque industria, adspirare non potuerunt; non quia illis ingenium, sed poëticum ingenium defuerit. Erat illi genus dicendi elegans, sublime, magnificum, succi plenum, perspicuum, dilucidum; sententiæ graves, concinnæ, acutæ, venustæ. Dictitabant, venisse eum Romam, quod non liceret illi esse in patria, eo quod hominem occidisset, & mulierculam secum adduxisse, ex qua liberos, tum virilis tum fœminei secus, susceperat. Erat in suis carminibus oda, quæ filiolam, Clementia nomine, quæ infans in cunis excesserat, Etruscis elegantissimis versibus deflet. Sed mas, inopia cogente, se insinuaverat in domum meritricis cujusdam locupletis ac nobilis, ex qua pauculos interdum nummos, stipis gratia, referebat: at, cum die quodam, ab ea ære gravior domum se recepisset, Balduccius, extemporaneo carmine, manum, quæ tam large munera, præbuisset, in cælum extulit, illudque per eundem puerum ad meritricem misit. Aderat ibi forte vir doctus, poëta summus, amicissimus meus, qui aliquot ante annos est mortuus: huic meritrix carmen legendum dedit, quod simulac legit, admiratus est divitem hominis pauperculi venam. Florebat, per id tempus, Romæ, Academia Humoristarum, magnoque erat apud omnes gen-

te;

tes honore ac nomine. In hanc Balduccius ab Henrico Falconio, acerrimo optimorum ingeniorum æstimatore, introductus est: in qua, simul auditus, & probatus est. Cœpit tum, viros nobiles ac divites, suis carminibus spe mercedis ac præmii, laudare; nec sua spes illum fefellit: nam a pluribus magnam interdum vim auri & argenti capiebat; qua facile inopiam tolerare potuisset, si nummis uti scivisset, neque homo, suavia in præsentia quæ essent, prima ducens, neque parum consulens in longitudinem, totum, quod esset datum, statim dissipasset. Quamobrem, cum, præter poeticam facultatem, qua nemo unquam factus est dives, nullum aliud esset illi artificium, quo se tueretur, nisi librarii ars, quam aliquandiu exercuit; cogebatur, mutuam ab amicis pecuniam, quam nunquam redderet, petere. Atque ipsi etiam creditores ita dabant, ut qui se nunquam quidquam ab eo recuperaturos existimarent; sed, cum sæpius eundem piscis ad hamum recurreret, neque mutuandi finem faceret, eorum non nemo, Ecquando, ajebat, expleberis? modo tibi dono dedi, decem videlicet aureos nummos, & nunc alios decem petitum advenis. Cui ille, iracundia, supra quam dici potest, elatus, respondebat: Quid somnias de pecuniis, a te mihi dono datis? egone tuis nummis egeo? ac mox potero te pecunia obruere, mox tibi auri argentique fiscos ob os objicere, si expectandi copia erit. Sed, cum inanis semper incederet, nec dicta sonarent, cogebatur, nisi inedia confici mallet, invocatus, amicorum mensas obire; quamquam satis sua sponte alienis escis studebat. Ac tandem invenerat tonsorem quendam, qui, sive misericordia motus, sive animi magnitudine ductus, cum mane tum vespere communicabat eum mensa sua. Verum ille, ut erat plane contumax gloriarumque plenissimus, illum sibi cibum non gratis præberi, sed tanquam debitum, ac longe infra meritum suum, persolvi, existimabat: adeo ut, die quodam, cum magna esset piscium caritas, in macello, pisciculos minutulos aliquot in prandium coemeret. Tum Balduccius, tanquam si insigni aliqua injuria affectus esset, minaci ore, irata voce, ardentibus oculis, Itane, inquit, accipis poëtarum hujus ævi facile prin-

principem? itane tibi dignus videor, quem illudas? tune hos mihi pisciculos ausus apponere, tanquam si essem homuncio unus de multis, ac non, inter omnes, plane singularis? vel hæc puls, quam insulsa, quam contra animi mei sententiam! at te decet facete animadvertere animum tuum ad animum meum, curamque adhibere, ut prævolet, quo ego velim. Ac multis præterea aliis gravioribus verbis hominem verberavit, tantum quod non fustem in manus sumpsit, domoque præcipitem illum ejecit. Ac tonsor, qui multos jam menses admirabili patientia toleraverat incredibilem hominis contumaciam, atque fastidium, tandem victus, Itane, inquit, agis? Surgensque, obtorto eum collo e mensa surripuit, atque extrusit hominem foras: qui, ut erat mappa ad collum alligata, amenti similis, per viam excurrens, exclamabat, Vestram opem, populares; hic Busiris, hic Lycaon, violavit hospitium, violavit hospitium. Locavit deinde operas suas, in scribendis epistolis, Jo. Antonio Vrsino, S. Gemini Duci: cui cum ejus oratio nimis putida, nec, quæ satis eos deceret, ad quos scribebatur, videretur, ad manum eum potius quam ab epistolis habuit. Illud vero homini iracundo, & magna sui ipsius opinione inflato, quasdam quasi faces admovebat, quod Dux, ad corrigenda atque emendanda ipsius carmina, cocum accersiri juberet, qui, domi suæ, universæ familiæ, cœnas & prandia coqueret: ferebat enim indigne, sua scripta, quæ ceteris anteferebat, in coci existimantis arbitrium vocari: itaque se domo illa, quantum potest, eripuit. Neque ita multos post annos, exceptus est domo, a Duce Brachiani; verum, ob morum importunitatem, quibus ferri tolerarique non poterat, coactus est brevi, alium dominum, alios Lares, aliam urbem, aliam civitatem exquirere. At Neapoli, ubi principi cuidam viro in servitutem se dicaverat, cujus uxore mulier alia nulla erat pulcrior, duo contigerunt, primum, per viam publicam iter facienti, nescio quid superne e fenestris dejectum, in oculos incidit, quod statim ab eis lumen exulare coëgit; quamvis illud redux factum sit postea, egregia medici cujusdam excellentis opera: deinde, captus amore dominæ, eo insaniæ evasit, ut,

ut, cum æger in lecto decumberet, in culcitra, ità, ut erat linteis involutus, eo deferri se jusserit, qua erat mulieri transeundum: quam ut venientem aspexit, cœpit clamare, ut sibi, ex amore ipsius laboranti, suppetias ferret, neque se tam misera affici ærumna fineret. Ac non potest satis narrari, quam lepidos de se ludos jucundosque præbuerit. Reversus Romam, cum non esset unde viveret, cogebatur quotidianum victum a caupone, credita pecunia, coëmere: sed cum solvendo non esset, nec quidquam cauponi præter verba præberet, judicis decreto sibi addictum, a lictoribus in carcerem rapi curabat: sed celeriter aderat vir aliquis dives, qui percontatus, quanti esset addictus, tantundem pro illo solvebat. Quod sæpenumero erat faciendum: nam identidem ad eosdem inopiæ fluctus revolvebatur; quibus fluctibus ut se eriperet, & tanquam ad littus scapham adverteret, sæpius ab eisdem abreptus est, & tanquam in profundum abstractus; hoc est, nihil propius est factum, quam ut ille, dum se ab inopia studet eximere, sub fuste vitam finiret. Venerat Romam a Cæsare ad Vrbanum VIII missus orator, ita dives, ut Picos divitiis superare diceretur: in hunc, solito suo aucupio, Balduccius carmen scripsit, illudque, in membrana elegantibus sane literis exscriptum, & coriaceo tegmine, multo auro interlito, septum, illi tradidit: ac primum orator ita delectatus est munere, ut jusserit, trecentos poëtæ, a quo ornabatur, nummos aureos numerari: sed, cum postea legisset, scriptum in eo, se, oratorem, a Cæsare, ad præstandam Vrbano obedientiam missum, iratus, revocavit decretum de trecentis aureis nummis, ac pro illis trecentas plagas eidem infligi mandavit. Nam Cæsares, non obedientiam, sed cultum & honorem, Rom. Pontificibus a se deferri debere contendunt: qua de re, per eos dies, tantis viribus tantisque contentionibus actum fuerat, ut nihil magis: neque tantulum moræ intercessisset, quin imperata perficerentur, nisi orator a quibusdam bonis viris fuisset inhibitus, qui persancte affirmabant, id ab homine imperito, non astu neque dolo, sed inscitia vel incuria, fuisse admissum. Neque mentiebantur, in defendendo: nam quibusdam in rebus, non

plus

plus erat illi cordis, quàm lapidi. Fuerat, hyeme quadam, a viro principe, tunica serica pingui, & malaco calido pallio Hispano, ne algeret, donatus; sed postea æstate urgente, cum sub illis vestibus sudaret, nec leviores haberet, forte transiit per forum Hebræorum; quorum fere singuli, ut illorum mos est, cœperunt hominem ad se attrahere, ac dicere, vestes, quibus uteretur, esse graviores, quam ut anni tempus fervidissimum posceret; se alias illi, magis ad id tempus accommodatas, exhibituros. Homo, qui interdum non plus saperet, quam sus occisa, hereditatem sibi obvenisse arbitratus est, ac se totum nebulonibus illis permisit, vestesque detritas ac pene laceras, iis, quas habebat, longe optimis mutavit: ac postea, ut quemque amicum offenderat, Hebræorum in se caritatem ac benevolentiam commemorabat, ex semine Abrahæ prognatos esse, qui ita hospitalis fuisset, asserebat, ac, posthac pueris se inimicum futurum, qui eos lapidibus insectarentur, ajebat. At cuculus non intelligebat, vestes, quas dimiserat, longe pluris esse, quam eas, quas susceperat, & a vafris illis sibi manum aditam fuisse. Voluit postremo sacris initiari, ut, re divina facienda, tantum lucraretur, quantum esset ad sustentandam vitam satis: ac primum, Xenodochio S. Xisti navavit operam cappellanus; tum Paulo Sfortiæ gratus fuit, ac demum Principi Gallicani acceptus; cujus domi cum in morbum incidisset, ac Principis illius munificentia, omnibus in rebus, liberalissime tractaretur, maluit ad nosocomium Basilicæ Lateranensis; quo æger sæpe confugerat, deferri, ubi, paucos post dies, vi morbi sublatus interiit. Reliquit volumen egregium, carminum Lyricorum; quod opus multas superstes ætates erit, nec una cum auctore, ut in plerisque usu venit, mortem obibit. Neque id non intellexit ille: nam, quoties amicula cum eo altercabatur, quo illam ex fera mansuetam faceret, Vide, ajebat; si pergis odiosa esse, ego tibi immortalitatem adimam, quam parere meis versibus possum.

V. MARIVS ALTERIVS.

QVemadmodum a vicinis malis boni nihil expectari potest, unde verbum illud vetus, *Aliquid mali esse propter vicinum malum*; ita etiam, a vicinis bonis, multarum sæpe utilitatum fructus emanant. Familia Alteria est cum primis Romæ vetus ac nobilis; nam & platea, celeberrima parte Vrbis, jam pridem Alteria vocatur, multosque domi militiæque claros viros Reip. genuit; ac nostra memoria quatuor præstanti pietate fratres, ex optimo patre, edidit, Marium, Rutilium, Laurentium, & Horatium, non tam in sinu parentum, quam in disciplina patrum Soc. Jesu educatos, ex vicinitate domus professæ Soc. Jesu, illorum ædibus proxima: quæ Societas florebat, ut cum maxime, illustribus doctrina & sanctitate viris; & in his, generis auctore, Ignatio, tum cum isti puerili essent ætate; e quibus haurire Christianæ vitæ præcepta poterant, quæ ipsis in omni ætate usui essent: tum, templi vicinitate, excitabantur ad frequentem Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentorum usum, & ad conciones audiendas; quæ ab optimis sapientissimisque Patribus habebantur, quibus nondum consilium erat, ea, quæ dicebantur, inanibus verborum coloribus pingere, nec venustarum magis quam utilium sententiarum flosculis spargere, (etenim, haud ita multo ante, nonnullos, qui ab ipsis prodierunt, æstus consuetudinis hujusce absorbuit, & ad sermonis morem ornati abstraxit;) sed eorum omnis vehemens, incitata, plena sanctimoniæ & gravitatis, erat oratio, quæque nervorum vel plurimum, suavitatis autem vel minimum haberet. At, ex quatuor his fratribus, Rutilius, omnibus iis disciplinis instructus, quibus ætas puerilis informari ad humanitatem solet, ad percipiendum jus civile se contulit, atque ex clarissimorum, per id tempus, legum doctorum scholis egressus, ac dignus habitus, cui juris utriusque interpretandi facultas tribueretur, primum civibus suis, in dubiis ipsorum rebus, a se consilium expetentibus, ingenii, prudentiæ, & eruditionis suæ lumen exhibuit: tum, quod I. C. honorificum est

maxime, cooptatus est in collegium sacræ consistorialis aulæ Advocatorum, idemque electus, qui, ingenii legumque præsidio, pauperum innocentiam, ab iniquorum calumniis judiciorumque pœna, defenderet. In quo præsertim munere, ad extremum usque vitæ spiritum, non sine magna caritatis laude, versatus est. Tanta enim vi, eorum, quibus egestas imperabat, patrocinium acceperat, ut pro cujusque illorum salute non minus laboraret, quam si arcta sibi esset cognatione propinquus. Cujus tam insignem in pauperes misericordiam, tum ille, quo mortuus est, annus declarasse videtur. Annus enim cIↃIↃ L vitæ illi initium fecit, annus vero cIↃIↃ C vitæ ejusdem exitum attulit; qui omnes piaculares anni fuerunt. Ut quodammodo divini numinis providentia factum fuisse videatur, ut eum, qui futurus esset ex misericordia in pauperes clarus ac nobilis, eo tempore & nasci & mori contingeret, quo tempore divinæ in omnes homines misericordiæ lumen clarius elucesceret. At Horatius & Laurentius, pari probitatis innocentiæque laude posteris commendati traduntur; uterque omnes populi magistratus obtinuit, summaque cum prudentia atque justitia administravit; uterque ædilis, uterque consul sæpius fuit. Sed Laurentius in primis, plures, ex uxore quam duxerat, sanctissima ac præstantissima fœmina, liberos suscepit: qui ad unum omnes, ad majorum instituta, atque civitatis disciplinam, instituti eruditique, magno Reip. usui fuerunt. De quibus sigillatim dicere non est necesse; unusquisque enim longam orationem desiderat. Sed silentio præteriri non potest Jo. Baptista, S. R.E. Cardinalis, & Episcopus Tudertinus; de quo nihil aliud dicam, nisi quod communis bonorum omnium opinio prædicat; nempe, non illum semper in hoc eodem dignitatis gradu, in quo nunc est, permansurum, sed processurum, honoribus, longius. Verum, ut tandem ad Marium, a quo latius, quam voluntas fuerat, evagata est, deducatur oratio; fuit ille quidem omnibus fere iis laudibus ornatus, quibus reliqui fratres; sed ad eas divinarum rerum scientiam (fuit enim Theologus) ac summum honorum contemtum adjunxit. Nam cum, ob insignem probitatem atque doctrinam, locuple-

pletes ipsi Episcopatus ultro deferrentur, nunquam animum induxit, illorum quenquam accipere: ac propemodum unus, ex omnibus, intelligens, quanto satius sit, onus omnium maximum fastidire, quam illi cervices subjicere; nunquam passus est sibi persuaderi, ut in illud fastigium se reciperet, sed, homo natura mitissimus ac quietissimus, contentus canonicatu, quem in Æde principis Apostolorum obtinuerat, summa animi tranquillitate, in literarum studiis ævum agitabat, quorum studiorum fructus non avare intra se continebat; sed cum aliis etiam large liberaliterque communicabat; cum canonicatui illi, quo fungebatur, id etiam oneris esset adjunctum, ut moralem Theologiam Parochis traderet, qui ecclesiasticæ, ejus Basilicæ, ditioni subjiciuntur, quo munere functus est egregie; neque solum doctrinæ suæ fontes in eos, qui præsentes essent, atque ab ejus ore pendebant, aperuit, sed, posteritati etiam consulens, in eos, qui futuri essent, effudit. Nam librum de Censuris, in primis utilem ac doctum, emisit.

VI. FRANCISCVS VENTVRA.

SI Principibus probis, doctis, atque sapientibus, placuisse, in minima laude ponendum non est, cur non hoc præsertim nomine celebretur Franciscus Ventura Florentinus, cujus ingenio, eruditione, ac moribus, delectabatur in primis Scipio Cardinalis S. Susannæ, qui summæ sapientiæ doctrinæque opinione, quam de se conceperat, fretus, fastidiebat & contemnebat omnes, in quibus mediocris earum doctrinarum facultas inesset, in quibus se principem ac ceteris superiorem esse opinabatur. Multum igitur ingenii, eruditionis, doctrinæ, omniumque bonarum artium, in Francisco extitisse oportet, qui tantopere homini sapienti probatus sit. Sed, quod ad elegantes has literas attinet, omnis ejus facultas perspici potest ex vita S. Andreæ Corsini, quam Latino sermone scriptam emisit. Quamobrem merito Card. illi fuit eximius, cui omne illud erat odiosum ac putidum, quod non esset in suo genere summum atque perfectum. A quo etiam, domi suæ, in suorum familia-

rium numero habitus est, educatus, & quibuscunque honoribus posset, ornatus. Nam primum, perfecit, ut in Referendariorum ordinem cooptaretur, tum, ut S. Severi Episcopus fieret. Creditur, illius opera Cardinalis usus, in constitutione illa literis mandanda, qua Gregorius XV, Pont. Max. Patrum Amplissimorum Collegio, eligendi Rom. Pontificis leges & jura præscribit. Episcopatus autem honorem, ita sibi creditum & commissum accepit, ut se omnium officiorum obstringi religione arbitraretur, itaque in eo administrando, non nomen amicitiæ, non alterius cujusvis necessitudinis vinculum, non hominum potentiorum gratia, non utilitatis privatæ ratio, plus apud eum valuit, quam mos majorum, quam leges, quam veritas, ac ratio, atque, ut esset sui juris & mancipii Ecclesia, cui non nemo conabatur libertatem eripere. Non dubitavit igitur hominum potentissimorum inimicitias suscipere, multorum in se odia convertere, laboris plurimum capere, vitæ pericula, pro suarum ovium incolumitate, tanquam pastor bonus, adire: nam nefarios juris Ecclesiæ prædones, cum, sæpius admoniti, non resipiscerent, palam sacrificiis interdixit, statuitque, ut numero sceleratorum atque impiorum haberentur, neque quisquam aliquid cum iis sermonis conferret, vel negocii contraheret, nisi ex eorum contagione infici, atque in ejusdem execrationis laqueos vellent incidere. Quo tempore, mira quædam & horribilia divinæ animadversionis exempla edita sunt, in improbos & contumaces: nam, cum nulla eos sceleris, quod patrarant, pœnitentia subiret, nec darent operam, ut ab eo, qui ipsos devovisset, resacrarentur, atque ex devotis eximerentur, factum est, ut tanti repente terræ motus existerent, ut oppidum corrueret, multis ejus agri locis labes facta sit, terra desederit, & tanquam apertis faucibus, villas, homines, greges, & armenta, in se ingurgitaret, & in ventrem abderet, ipse vero Episcopus, tanquam Lot alter, vix vivus evaderet. Venit igitur Romam, amissis rebus omnibus, ubi cum, afflictis suis rebus ac perditis, auxilii nihil inveniret, Florentiam, hoc est, in patriam, ad suos, petitum auxilium, se contulit, neque piissimus ille Princeps, de spe sua

sua decipi passus est eum : nam, cum per eos dies, Archidiaconus, Deiparæ Virginis Deflore, excessisset e vita, in ejus locum illum subrogavit; ut tantisper, dum cujuspiam Episcopatus occasio se daret, ejus fructibus vitam sustentaret. Sed hominem antea ad se cœlum arripuit, quam aliqua ejus rei sese offerret occasio. Verum magnus Etruriæ Dux, ut propensam suam erga Franciscum voluntatem ostenderet, in ejus demortui locum fratrem subrogavit.

VII. IO. BAPTISTA RAIMVNDVS.

CVm doctus ac peringeniosus vir aliquis properat, quæ olim recte cogitaverit inveneritque, literis consignata, omnium seculorum posteritati mandare, quidnam aliud studet, nisi ea omnium, quot sunt, quotque futuri sunt, hominum arbitrio judicioque subjicere? Quæ judicia hominum cum sint varia, incerta, ac sæpenumero absurda atque iniqua, ut apparet in iis, qui, canino dente, divina Ciceronis Virgiliique, ingenii monumenta lacerare sunt ausi; inventi sunt plures, qui maluerint, nihil omnino scripti relinquere, quam aliis invidiæ ac maledicentiæ exercendæ facultatem ac materiem dare; tum, arbitrati sunt, se satis magnam adeptos esse ingenii gloriam, eamque etiam majorem, ut inquit Cicero, visum iri, si in existimantium arbitrium sua scripta non venissent. Atque, ex eorum numero, qui memoriam in posterum ingenii sui non desiderarunt, fuit Jo. Baptista Raimundus. Erat in hoc homine ingenium peracre, acutum, amœnum, urbanum, facetumque; magnum in primis studium linguarum, pene omnium: nam literis Græcis, Latinis, Chaldaicis, Arabicis, multisque præterea aliis, egregie doctus, multos in sui admirationem & amorem attraxerat: in his Cynthium Card. Aldobrandinum, Clementis VIII, Pontificis Max. sororis filium: qui, non usitato a reliquis viris principibus more, quotquot erant in Vrbe, atque etiam foris, præstantes ingenio & eruditione viri, domum suam invitabat,

in clientelam recipiebat, quibus poterat rebus ornabat. Hic igitur Cynthius Jo. Baptiſtam, quoad vixit, in ſuorum familiarium numero habuit, dilexit; eique quotidianis ſumptibus ſuppeditando, ne quid deeſſet, curabat. Cardinali mortuo, quandam in domum ſe contulit, eamque usque ad vitæ exitum habuit, amœno ſane ac remoto ab arbitris loco, non procul a porta Collina; ubi ſe literis abdidit. Atque etiam erat fama, chymicæ eum arti nonnihil operæ ſtudiique tribuere; quod arbitror fuiſſe cauſæ, cur non multum reliquerit: nam qui ſunt ejusmodi, parum heredem adjuvant. Sed quoniam, ut diximus, plurimum in eo erat leporis ac facetiarum, in apologis inveniendis ſcribendisque non minimum operæ ſolitus erat ponere, quorum quaſi involucris & integumentis aliquid contineretur, quod poſtea philoſophica interpretatione, ex illis integumentis evolutum, non minimæ, vitæ hominum, utilitati atque uſui eſſet. Quos deinde apologos cum doctis & eruditis viris, amicis ſuis, communicabat. Quorum unus Julio Antonio Rodulphio pene exitium ac peſtem capitis attulit. Apologus autem, ſicut ab ipſo Julio Antonio audivi, hic erat. Fumus, ventus, ac Dæmon, olim inter ſe fœdus ſocietatemque coierant; ac ſimul ſigna quædam dederant, quibus, ſi diſperſos errare contingeret, nullo fere negocio invenirentur: atque, Ego, inquit fumus, in vaporariis, ex quibus ignis erumpit, adeo: Me autem, ait ventus, e rimulis oſtiorum flantem, invenietis. Ego vero, ſubdidit Dæmon, nusquam niſi in gibbum gibberi, ſedem ac domicilium meum collocatum habebo. Quam fabulam cum Julius vetulæ cuidam famulæ ſuæ narraſſet, quæ hoc corporis vitio laborabat, Ergo, inquit, Dæmonem incluſum in ſcapulis gero? Quid ni? reſpondit Julius, ſi gibbera es? Tum illa, furore percita, haſtili, quod ibi erat, arrepto, ibat, ut eum medium transverberaret; neque, quod conata erat, non perfeciſſet, niſi ille ictum, celeri ac docta corporis declinatione, vitaſſet. At, ſi ferrum eo, quo illud vis inimica direxerat, pervenire potuiſſet, nulla eſt tam diſerta docti cujusquam oratio, quæ poſſit explicare verbis damnum, quod Græcæ Romanæque literæ, talis viri interitu, feciſ-

cissent. Qui vir qualis sit & quantus, quamvis ex scriptis cognosci ipse suis potest, quæ scripta, eruditorum manibus contrita, non plus redolent doctrinæ, quam suavitatis; adeo ut non quisquam ab eis fastidio ac satietate abalienetur: quamvis, inquam, satis suo sit ipse ingenio clarus, tamen deberi hoc a me tanti hominis virtutibus putavi, ut aliquas ex eis breviter ac strictim attingam. Nulla est in arte earum, quibus liberales doctrinæ continentur, quod ipse nesciat; nullus est orator vel poëta Græcus, Latinus, Italus, quem non penitus ille cognoverit; nullus est de Theologia vel Philosophia liber, quem non attente diligenterque percurrerit, de quo scienter prudenterque non judicaverit; nullum sapiens cujusquam dictum vel factum audivit aut legit, quod memoria septum custoditumque non teneat; unde eorum unumquodque, cum opus est, tanquam ex penu, depromit; nulla quæstio, nulla dubitatio, in immensis illis D. Thomæ Aquinatis voluminibus continetur, de qua, ex tempore, & ad cujusvis arbitrium, non possit longas disputationes intexere. Græce autem sic loquitur, ut Athenas ipsas ejus sermo redolere videatur; quem si vetula illa posset audire, cui Theophrastus hospitis speciem visus est habere, nullam illi peregrinitatem objiceret. Ita ejus est oratio pura, suavis, atque Athenarum urbis propria. Quam suavitatem in illam suam Tragicocomœdiam, quam Ulyssis tubam inscripsit, est transferre conatus. Quod illi contigit ex sententia. Sed magnam summis illius virtutibus injuriam facere videor, dum eas ex latissimo, in quo vagantur, campo in exiguum sane gyrum conor includere. Quamobrem, satius esse arbitror, tanquam Agamemnonis caput, involutas silentio relinquere, quam non ex vero eas exprimere. Sed ut ad Jo. Baptistam, unde paululum digressa est, revertatur oratio; postquam multos in literarum studiis annos explesset, tandem evocatus est eo, quo necessario eundum est omnibus. Nec propterea noluit mors eum ad se recipere, quod literatus esset, sed eodem, quo indoctos ac rudes, jure comprehendit; ac pejore etiam habuisset conditione, si a doctrina, quam profitebatur, mores discrepassent.

VIII. ATTILIVS AMALTHEVS.

HVic, si non divinarum humanarumque rerum scientia, si non vita laudabiliter acta, si non mores ex vetere illa atque sanctissima disciplina, si directum illud ad virtutem iter, quod semper tenuit, non propriam ac peculiarem laudem, non æternam nominis famam confecissent, magno honori ac decori dandum existimem, quod ab Amaltheorum familia genus & originem duxerit. Nam parentem habuit Hieronymum Amaltheum, Jo. Baptistæ fratrem: quos, ex iis, qui, nostro ac paulo superiore ætate, ad scribendos versus se contulerunt, quibus & sententiarum gravitate, verborum splendore, suavitate, elegantiaque cedere debeant, plane non video. Verum Attilius, hanc poëticæ facultatis laudem patri ac patruo remittens, eorum, qui ex eadem familia, gravioribus disciplinis, quos enumerare non est necesse, floruerunt, æmulatus est gloriam: ac Juri civili & Pontificio primum, tum sacrarum literarum studiis, egregiam operam dedit. Et, quamvis arcanum earum notarum, quibus aliud scribitur, aliud intelligitur, sibi commissum a summo Pont. esset, P. Mutio de Angelis, ac Gregorio de Valentia, qui illi successerat, ita erat tamen deditus, ut in illis occupationibus, quemadmodum ipse sum testis, qui etiam tum adolescens summis illis doctoribus operam dabam, nullum fere diem, ab illis audiendis, intermitteret: totum se deinde Reip. tradens, cœptus est adhiberi ad referendas summo Pont. causas, ab eoque in illum ordinem cooptatus. Post aliquot annos a Paulo V, Athenarum Archiepiscopus creatus, missus est Coloniam, Sedis Apostolicæ Nuncius: quam provinciam ita gessit, ut ingenium agnoscerent omnes, animi integritatem susciperent, abstinentiam admiratione prosequerentur. Nullum beneficium, nullum decretum vendebat, gratis fere omnia dabat: nullum appetentis animi signum præbebat. Quamobrem eum omnes, tanquam a cælo delapsum, intuebantur. Incredibili erat erga pauperes beneficentia, & in eos præsertim, qui ex hæreticorum castris in nostra præsidia confugissent, de qui-

quibus, in quadam ad Cardinalem Bellarminum epistola, a quo rogatus fuerat, ut cujuspiam illorum necessitatibus subveniret, Si mihi, inquit, centum annua aureorum millia contingerent, nonaginta quinque istorum usibus assignarem. Romam reversus, totum se Deo, ac pietatis operibus tradidit, Sodalitatem B. V. Assumptæ, in Domo professa Soc. Jesu, frequentabat, Nosocomia adibat, ægrotantium cubilia circuibat, iisque sua manu lectos sternebat, cibum præbebat, atque alia, quantumvis sordida, pietatis officia præstabat: in quibus operibus senex est mortuus, atque in Æde Nominis Jesu sepultura affectus.

IX. ALEXANDER CARD. VRSINVS.

SVnt quidam, quibus regalis purpuræ dignitas, splendoris ornamentique plurimum afferat; nempe ii, in quorum vita nihil invenias, quod multum reprehendas, nec quod magnopere laudes. Itaque isti, quod celebrentur, quod niteant, non semper virtutis suæ merito, sed fortunæ quasi beneficio, debent. Sunt alii, qui plus ex dignitatibus dedecoris & damni, quam honoris & commodi contrahunt; quemadmodum ii, qui insignis cujuspiam vitii infamia notati, in editum atque illustrem aliquem dignitatis locum invaserunt. Minus enim, sermonibus hominum vituperationibusque essent obnoxii, si vitia, quibus laborant, in privatæ vitæ tenebris jacerent, neque ea clarissimi illius honoris lumen accenderet. Postremo, sunt alii, qui multo plura ornamenta ac decora ad honores afferunt, quam ipsi ab iisdem accipiant; videlicet illi, quos non ambitio, non hominum favor, non magnitudo pecuniæ, non vitiorum eorundem societas & conjunctio, sed multorum magnorumque in Remp. meritorum ratio, ac perfecta atque absoluta virtutum omnium laus, ad culmen illud attraxit. Cui generi hominum tertio si aditus soli pateret ad honorum fastigia, atque interclusus ceteris esset, quænam esset ejus ordinis, in quem illi venissent, majestas! quod [illegible] X 3 [illegible] de-

decus? qui splendor? quanta, ex eo, generi hominum, utilitas fructusque maneret? Hæreticorum hominum factiones, quorum præsertim improbitas, stultitia, audacia, ex illius ordinis vitio, ubi incurrat in oculos, corroboratur ac nititur, dilaberentur atque diffluerent, malarum artium, quibus improbi ad honores nituntur, vastitas, pernicies, exitiumque contingeret; optimi in Repub. mores dominarentur, pessimi exularent; semper uni cuipiam Reip. Christianæ navis regendæ clavus illi committeretur, qui, non imperitia vel cupiditate aliqua adductus, eam in scopulos ac syrtes impelleret, sed qui feliciter in portum adveheret, cui non bella, non odia, cordi essent, sed inter Christianos principes, pax, amor, atque concordia. Ad id exemplum, de quo loquimur, tres viri clarissimi nostra ætate extiterunt, ex quorum virtutum hominibus, maximus est Cardinalium Collegio splendor accersitus. Primum, Alexander Vrsinus, Virgilii Ducis Brachiani filius, & Pauli Jordani nepos; qui eximie a Sfortia Pallavicino collaudatus est in dialogo, quem scripsit de bono, ubi de hoc homine certamen fuisse narratur inter naturam, fortunam, atque virtutem, quænam illarum, pluribus eum ornamentis ac donis instrueret. Nam, in amplissima civitate summo genere ortus, cognatione & affinitate summis etiam Regibus implicatus, maximis honoribus amplificatus, nihil fere eorum desideravit, quæ a fortuna tribui solent. Tum, nactus est a natura ingenium perspicax, acutum, docile, nobile, incredibilem morum suavitatem elegantiamque. Nam liberalis, splendidus, & in omni vita victuque affabilis, tantaque oris atque orationis commendatione præditus, ut nemo esset, quem non ipse in sui amorem impelleret: præterea, memoria tanta, quantam in iis fuisse legimus, qui tanto hoc naturæ bono excelluisse narrantur; neque ea tantum, quæ signum est ingenii præcipuum, cujus est virtus, facile percipere & percepta fideliter continere, verum etiam ea, qua, præter sententias rerum, verba etiam, quibus sententiæ explicantur, defixa in animo atque insculpta tenemus. Educatus est in domo Ferdinandi Medicei, Magni Ducis Etruriæ, avi sui materni; ubi, quod habuit a natura boni, non solum

lum alere, verum augere etiam posset. Nihil enim haurire, ab ea indole, poterat, nisi altum, regale, magnificum. Inde illa ejus, sine molestia diligens affabilitas; qua, cum quadam celsitudine animi, ad aliorum conditionem, cum erat opus, se submittebat: ut non alias magis videretur esse vir princeps, quam cum, ut se parem infimis faceret, principis personam conaretur exuere. Incredibili erat vigilantia, qua, ut matutinas horas literis daret, multo surgebat maturius, quam ii, quibus opera vita erat. Ut non, quemadmodum olim Demosthenem, ipsum puderet, suam in surgendo celeritatem ab artificum solertia vinci; immo potius artifices ipsi pudore corripi possent, quod ipsorum solicitudo ac diligentia ab illius vigilantia superaretur, cui, ob præstantiam dignitatis atque fortunæ, concessum esset, ut nitidius, quam ceteri, se curaret, somnumque ad multam diem produceret. Scripsit, tum soluta oratione, tum versibus, elegantissime nitidissimeque, adeo, ut odam ejus quandam Urbanus VIII, qui summus ejus generis carminum artifex erat, cum inspexisset, non solum maximam illi laudem tribuerit, verum etiam, modulatori in primis optimo, modos eidem faciendos mandaverit, ut in templis caneretur. Erat autem de Christi Domini cruciatibus & morte, scripta dulcissime. Quorum cruciatuum memoriam perpetuo in animo infixam habebat; ut etiam de eodem argumento, nocturnas diurnasque quasdam composuerit typisque mandaverit horas, quas ipse aliique, qui vellent, recitarent. Præterea, e collo ad nudum pectus, Christi crucifixi imaginem, ex argento vel ære, sibi demiserat, hamis acubusque acutis probe refertam; quam identidem pectori adstringebat, ut aliquam ex eo sanguinis guttam eliceret. Et usque adeo pietatis Deoque placendi studio flagrabat, ut tentaverit, e purpuræ celsitudine ad Soc. Jesu humilitatem demissionemque descendere. Sed ab hoc conatu depulsus est a summo Pont. cui non æquum visum est, Patrum purpuratorum Senatum tanto ornamento spoliari. Multa inchoata egregie, sed nihil plane absolutum, reliquit. Quorum princeps illud erat opus, in quo præcepta sapientis Regis exposuit, ex quatuor illorum

Re-

Regum rebus gestis excerpta, qui primi Regnum Hierosolymorum obtinuerunt; Saule, qui illud fundavit; Davide, qui stabilivit & auxit; Salomone, qui conservavit; postremo Roboam, qui perdidit. Verum, ad has laudes illud vitium irrepsit, quo omnes fere principes viri laborant, ut semper eximium aliquem habeant, cui ipsi obediant. Nam juveni cuidam, qui sibi erat a cubiculo, vehementer fuit addictus; cujus studiis ut obsequeretur, multis illum aureorum millibus donaverat. Sed, quæ ejus erat in Deum pietas ac religio, cum, pœnis ultrò susceptis, in se nimium sævus ac ferus extitisset, mortem, quæ longius aberat, accersivit, ac maturius multo, quam per ætatem liceret, properare coëgit.

X. GVIDO BENTIVOLVS.

Majus quoque decus ornamentumque ad purpuram attulit, quam ab eadem mutuatus sit, Guido Bentivolus, Ferrariensis. Nam in eo etiam natura, fortuna, ac virtus, fuisse videntur expertæ, quid possent efficere. Primum, id illi a natura genus obtigit, quod est, non solum in Italia, ubi radices positas habet, verum etiam toto orbe terrarum, ex historia notissimum. Parentes etiam ac majores ejusmodi evenerunt, ut, si illi data esset optio, eos eligendi, neque meliores neque præstantiores consequi potuisset. Nam patrem habuit Cornelium Bentivolum; cujus opera Herculi & Alphonso, Ferrariæ Ducibus, in consiliis dandis, in Ferraria munienda, in militaribus spectaculis edendis, magni fuit: avum vero Joannem est consecutus; qui quamquam Remp. Bononiensem dominatu regio tenuerit, tamen, magnitudine animi, consilii rerumque gestarum gloria, nihil fuit illo excellentius. Ab hac igitur tam generosa stirpe profectus Guido, statim ab ineunte ætate dedit earum, quæ postea in ipso extiterunt, non adumbrata sed expressa signa virtutum. Non enim, tritas omnium fere adolescentium itineribus, fallaces ac lubricas secutus est vias, in quibus consistere sine casu ac prolapsione non licet; sed rectum illud ad virtutem iter tenuit, arduum, difficile, salebrosum, frontibus spinisque obsitum. Itaque non

non ille amare, potare, animo obsequi, non aliquid temporis ad ludum ætatis, atque ad inanes adolescentiæ cupiditates & studia, conferre, sed totum se literis tradere: nullis uti hominibus, nisi literatis ac probis; nihil æque studere, quam, prima illa initia ætatis integra atque inviolata præstare. Quid mirum, si, ab his seminibus jactis, tam eximiæ in eo virtutes, firmata jam ætate, extiterint? Quibus tantum fretus, non autem pecunia, ut aliqui, qua inscitiam & ignaviam suam tegunt & bonorum præmia mercatum adveniunt, Romam ad Remp. capessendam accessit. Aspexit indolem Clemens VIII, ac probavit; ac primum, honorarii cubicularii sui eum loco ac numero habuit: tum, a Paulo V, in Referendariorum, quos vocant, ordinem adscitum, aula, cui omnis exsuperantia virtutis suspecta esse solet, iisque eam, qui diversa ad honores via nitantur, oppugnandam tradit, invidia longe superiorem existimavit, nullumque in ejus vita locum, quem ferire illa posset, apertum immunitumque patere, statuit. Quamobrem, quas perperam ad eum insectandum vires adhibuisset, ad eundem ornandum augendumque convertit: nec quodvis illi munus decrevit, sed arduum gravissimumque, Belgicam nimirum provinciam. Quam quemadmodum Sedis Apostolicæ Nuncius administraverit, multarum in ea maximarumque impressa virtutum vestigia declarant. Nullam de se ibi luxuriæ atque libidinis suspicioni locum aperuit, nullum avidi atque appetentis animi signum ostendit; quo vitio nullum, in iis qui Remp. gerunt, est tetrius, nullumque, quod acerbius hæreticorum in Catholicos odium struat; sed semper continens, laboriosus, liberalis, splendidus; nihil ad suam utilitatem, sed omnia ad aliorum commoda, referens, miros, in eorum etiam animis, qui Catholicæ religioni bellum habent indictum, amores excitabat sui. Cujus administrationem muneris arbitror fuisse caussam, cur ille ad scribendam Belgicam historiam animum appulerit: quod opus, nihil habens ineptiarum, nihil cincinnulis fucoque puerili conspersum, sed contra, gravitatis prudentiæque plenissimum, neminem eorum metuit, qui superioribus omnibus sæculis otium suum con-
sum-

sumserunt in historia. Verum, ita ille se in potestatibus gerebat, ut majore semper provincia dignus haberetur. Itaque, transactis jam in Belgio suis partibus, a Paulo V missus est statim Nuncius in Galliam. Vbi quemadmodum Sedis Apostolicæ negotia tractaverit, declaravit idemmet Pontifex, qui Cardinalem eum creavit antea, quam e Gallia discederet: quemadmodum vero Regis, Reginæ, Regnique procerum sibi amorem ac benevolentiam conciliaverit, perpetua illorum in eum voluntas ostendit, qua non solum officiis beneficiisque eum semper prosecuti sunt omnibus. verum etiam vicarias Regni illius apud Romanum Pont. Protectoris partes agere voluerunt. In illo autem augustissimo orbis terræ senatu, in consiliis de Rep. dandis, in senatoria sententia dicenda, nihil erat illo prudentius, nihil gravius, nihil copiosius. Quod pondus in rebus! qui splendor in verbis! quæ venustas in gestu! in officiis vero persequendis quæ urbanitas! qui decor! quæ oris majestas! quanta ejus, sine arrogantiæ suspicione, in dictis auctoritas! quam accurata Etrusce loquendi scribendique, ac sine molestia diligens, elegantia! quantus urbanitatis & facetiarum, intra viri principis gravitatem, non scurrilis lepos! ut nunquam ad Vrbanum VIII accesserit, quin ejus animum a mœrore ad hilaritatem lætitiamque traduxerit. Quæ in eo mens, nihil nisi honestum, nihil nisi altum & magnum, excogitans! quæ morum suavitas, amœnitas, sanctitas! Quæ mens spirare etiam videtur in epistolis, quas edidit, in eisque rerum ecclesiasticarum commentariis, quos, a Clementis VIII Pontificatu inchoatos, ad hæc usque tempora perduxerat. Verum, tanta hominis virtus, tantum ingenium, tantum aulæ, vel potius orbis terræ, lumen, quo tempore æquum erat opibus affluere, & in summa rerum omnium abundantia vivere, caruit fere omnino rebus omnibus, non solum ad tuendum illum dignitatis locum, in quo sua eum virtus collocaverat, verum etiam ad vitæ usum necessariis. Quamobrem, ne ære alieno trucidaretur, coactus est, ædes in Colle Quirinali amplissimas magnificentissimasque, & hortos, illis adjunctos, inscribere, & precium, quod coëgerat, creditoribus solvere, ac fidem suam

suam liberare, atque inde in alias ædes, modica mercede conductas, sese conferre, numerum aulicorum minuere, sumtus, ad rei familiaris angustias modumque, contrahere. At, ejus hæc tam afflicta tamque prostrata virtus, quæ aliis erat miserabilis, rigidos eorum animos, ad ferendam illi opem, flectere non potuit, ex quorum superfluis & extraordinariis divitiis redundabat in alios, nescio equidem an dignos. At ille, qui totus erat aptus ex sese, atque in sola virtute beatam vitam positam esse statuerat, æquissimo hæc animo omnia ferebat, nec quidquam, a generis sui nobilitate & a sapientis dignitate alienum, admisit. Interea Vrbanus VIII vitæ functus est munere; neque cuiquam dubium videbatur, quin, si sola candidatis merita, ad Pontificatum maximum, suffragarentur, is illi in primis honor deberetur. Sed, conclave ingressurus, qui optime suæ sibi infirmissimæ valetudinis erat conscius, palam omnibus dixerat, vitæ sibi finem adesse; non enim suffecturas sibi vires, ad ea incommoda perferenda, quæ sustinere loci angustiæ cogunt. Atque hæc vaticinationis suæ dicta sunt brevi confecta: nam, tum inter cetera mala, quibus ille conflictatus est, ob altissimum cujusdam, ejus cellulæ proximi, somnum, qui totas noctes, quantum poterat, naso stertebat, undecim noctes continuas somnus, ejus ab oculis abfuit. Quo factum est, ut lethalis eum febris corriperet, ac curationis causa in finitima conclavi cubicula deferretur: ubi est paucorum dierum morbo consumtus: sæpe, ut dicebatur, querens, quod non posset, ob inopiam, aliqua grati animi significatione, suam in familiares benevolentiam testatam facere. Atque, sine ullo funeris honore, quemadmodum ipse præceperat, noctu elatus est in Ædem D. Silvestri, Patrum Theatinorum in Colle Quirinali, ibique sepultura affectus.

XI.

XI. SCIPIO CONZAGA.

SI quando fit, id quod non ita sæpe contingit, ut eximia corporis pulcritudo præstantem forma nacta sit animam, tum homine illo, in quem hæc duo conveniunt, nihil fieri elegantius, nihil excellentius, nihil admirabilius potest. Hinc Socrates, doctor ille singularis, qui philosophiam, ut dicitur, evocavit è cælo, & in hominum cœtus induxit, adolescentes illos, qui ad ipsum in disciplinam convenerant, sæpenumero hortari solebat, ut in speculo formam suam contemplarentur, ac, si eam lepidam atque elegantem esse animadverterent, darent operam, quantum possent, ut ad ejus similitudinem animum ingeniumque formarent. Non enim eadem est, animi & corporis, conditio : etenim non possumus corporis formam nostrum ad arbitrium effingere, sed animi ingeniique possumus. Quæ cum ita sint, quid mirum, si Scipio Conzaga, Marchio, & S. R. I. Princeps, tantas, dum viveret, de se admirationes excitaverit, ac, mortuus, tam diuturnam tamque jucundam sui memoriam reliquerit, cum duo illa, quæ diximus, ita in eum convenirent atque concurrerent, ut essent omnibus admirationi atque spectaculo ? Primum, oris ac corporis totius dignitas; quæ tanta erat, ut nemo esset moribus tam agrestibus, tam immanibus, tam feris, quin ejus, non solum ad se oculos, verum etiam amorem ac studium alliceret. Tum, animi ingeniique forma ea illi a natura contigit, qua forma, nulla alia esset elegantior nec pulcrior. Etenim præclarum illud ingenium, quod tanquam fertile ac pingue solum acceperat, non, ut plerique faciunt, quibus vivere in summa rerum omnium abundantia licet, ociosum & a cultura desertum reliquerat, sed pulcerrimus omnibus studiis, gravissimisque disciplinis, excoluerat, atque excultum exornatumque reddiderat. Primum, Græce Latinæque linguæ intelligentia, tum optimarum artium notitia, omnisque liberalis & digna homine nobili ab eo percepta doctrina est : sed præsertim Theologiæ, quæ erat illi in amoribus ac deliciis, plus operæ tribuit. Tam elegans, tamque venusta

sta hominis ingenii forma, adamata est ab omnibus, qui sua ætate studii cujuspiam principes habebantur, a M. Antonio Mureto; qui etiam disertissimas elegantissimasque orationes suas, ejus nomini inscriptas, emisit: a Torquato Tasso, non suæ solum ætatis, sed multarum etiam, poëta longe maximus atque clarissimus, arctiori quodam amoris & observantiæ vinculo comprehensus est; nullum enim versum scribebat, quem non ille ejus existimantis arbitrio judicioque submitteret: a Baptista Guerrino; qui, cum ceterorum scripta suum ad arbitrium vocaret, se tamen suaque omnia illi subjiciebat, atque, ab ipso emendari ac corrigi, honestum sibi ac præclarum esse ducebat. Ex hoc hominum genere, Patavii, illustrem illam, totoque terrarum orbe celeberrimam, Ætheriorum Academiam instituit, &, quoad ibi fuit, Principis nomine gubernavit ac rexit: sed postea, cum Ecclesiasticæ vitæ rationem, jam inde ab ineunte ætate, propositam habuisset, sacris ordinibus initiatus creatusque Patriarcha Hierosolymitanus. Verum, cum ad summam amplitudinem remigio, ut ajunt, veloque contenderet, paululum ad saxum navem offendit. Venerat ea tempestate Romam, religionis & officii erga Gregorium XIII. Pontificem Max. gratia, Gulielmus Conzaga, Dux Mantuæ, quicum illi, de quibusdam castris, lites erant graves & magnæ. Perfecit Scipio, auctoritate & gratia, ut Duci, ex templo Xenodochii Teutonum ad circum agonalem exeunti, dica per viatorem deferretur: quamobrem Dux, quanta maxima dici potest ira inflammatus, tantam injuriam questus est apud Pontificem: qui Pont. quo satis Duci fieret, jussit Scipionem in carcerem condi. Sed a Sixto V, qui Gregorio successerat, primis fere comitiis, Cardinalis est declaratus: neque ille, ad eum cooptandum, segnior est factus ideo, quod in Collegio Cardinalium esset alter eo nomine, Vincentius nimirum Conzaga. Sed purpura illa visa est quidam quasi canalis fuisse, unde intolerabilis in eum vis morbi influeret; vel potius tunicæ illius similis, quam Hercules, sanguine Centauri tinctam, induerat: nam podagra, nescio an ex Orco prodiens, tam tetros tamque acerbos illi ciere dolores cœpit, ut

primum egregiam illam oris venustatem ac speciem, tum vitam, ademerint; cum, nescio quo, ad aquas, recuperandæ valetudinis caussa, venisset. Etrusca aliquot carmina, elegantissime scripta, reliquit, in eo libro, quem Academia Ætheriorum, ex carminibus suorum Academicorum collectis, conficiendum typisque mandandum curaverat.

XII. IOANNES RENALDINIUS.

ANcona, urbs Piceni celeberrima, semper optimorum ingeniorum, domi forisque præstantium, fœcunda genitrix extitit. Quæ urbs ideo Adriatici maris littus occupasse videtur, ut, quos ad communem omnium utilitatem genuit, ad transmarinas regiones, si sit illis opus, maris opportunitate transmittat; qua vero terrestres aditus habet, ut iri mediterraneos populos, quod ab ipsa defluxit boni, transfundat. Sed nostra ætate, ex iis, quos suo ex sinu prodiisse gloriatur, haud postremum locum obtinet Joannes Renaldinius, nobili loco natus. Hic, simul ac ætas rerum gerendarum patiens fuit, a fratribus, majoribus ætate, qui eum non uni tantum oppido natum videbant, missus est in eam Urbem, quæ est tanquam compendium orbis terrarum, videlicet Romam; & in eam aulam, quæ tunc omnium gentium erat oraculum; nimirum in domum Card. Alexandrini, Pii V, qui tum rerum potiebatur, fratris filii. Sed, quamvis, quidquid est ubique præclarum ac laudabile, Romam, tanquam amnis in mare, confluat, ejus tamen virtus in unius urbis, quantumvis maximæ, gyrum non se compelli sustinuit, sed totum sibi orbem terrarum, quasi campum, aperuit, in quo latius excurreret. Neque quidquam ad id, quod animo conceptum habebat, opportunius in præsentia se illi obtulit, quam Ferrantis Gonzagæ, Molphettæ Principis, favor ac domus; cui suas, pro pincerna, operas ea conditione addixit, si se muniendarum urbium castrorumque artem docendum curasset. Quod summa fide a viro illo principe perfectum est. Nam statim traditus est in disciplinam Marchi-

ctioni Germanico Savorgnano, ejus artis longe peritissimo. Ex cujus doctrinæ fontibus cum tantum hausisset, quantum satis est sitim explere cupienti, continuo, tanquam equus exultans ac nobilis, qui vix tubæ signum expectat, se dedit in cursum. Ac prima ejus excursio in Burgundiam & in Flandriam fuit, quæ tum maximis bellorum ardebant incendiis; ubi ad belli munia adhibitus, statim ejus, quod didicisset, periculum fecit. Atque, ut pulcre se illi studio navasse operam, quæque aggressus esset, recte sub manus succedere vidit, vim illam ingenii atque virtutis in Italiam ac Neapolin transtulit, atque ab eo, qui tum Regnum illud pro Rege administrabat, Hidruntinis in Calabria munitionibus præfectus est, atque inde Mediolanum missus ad exercitum, cui Comestabilis Castellæ imperabat, Mediolani ipsius Gubernator, ut, quam ipsi laudabilem operam dedisset, eandem Gubernatori illi præstaret. Verum, in omni munitionum genere, atque adeo in omni belli apparatu, ita se gessit, ut Gubernator, cum diligentiam admiraretur, ingenium agnosceret, duxerit eum secum in Galliam; quo ibat, ut fœderis Catholici exercitibus suas copias adjungeret; neque solum veterem illi provinciam confirmavit, sed novam addidit, qua iis, quibus expugnandarum urbium onus, ac militarium tormentorum cura incumbebat, tanquam magister ac dominus præesset. Sed tum licuit aspicere, quanta in virtute vis insit; cujus ea est species ac forma, ut omnium in se oculos attrahat, omnium in se ora convertat, omnium ad se amorem ac benevolentiam alliciat. Hac primum delectatus Dux Humenæ, qui omnibus fœderatorum Principum copiis præerat, postulavit ejus a Gubernatore in beneficio ac gratia, impetratumque omnibus Regni Galliæ munitionibus arcibusque præfecit. Tum ea pulcritudine impulsus Henricus IV, simul ac Regni fastigium attigit, dedit operam, ut sibi eum haberet; ac Laurentius Bargagna, Card. Giojosæ cubiculi præfectus, sæpius se vidisse testatur, Regem, dextera in ejus humeros rejecta, familiarissime cum illo deambulare. Hac deinde virtutis pulcritudine, quæ etiam efficit, ut eos, quos nunquam vidimus, diligamus, Hierosolymitanæ militiæ Magister

arreptus, Melitam eum, illius insulæ, ac Gozzæ in primis, muniendæ gratia, attraxit. Hac defunctus Comes de Lemos, Prorex Neapoli, aliquandiu secum illum habuit, ut in munitionibus quibusdam, ejus consilio atque opera uteretur; & Abellini Principi comitem addidit, qui cum peditum centuriis quinquaginta se Mediolanum conferebat, ob Saluciarum Marchionatum, de quo certamen erat inter Regem Galliæ & Ducem Sabaudiæ. Quibus controversiis compositis, non minore studio (cum, Leonarda Gratiolia, pari nobilitate fœmina, uxore ducta, Romæ commoraretur,) Comitis Beneventi, Proregis Neapoli, missis ad Regis Catholici oratorem literis, Neapolin evocatus est, ubique a Comite de Lemos, qui Beneventano successerat, diploma Regium abstulit; quo cunctis præficiebatur, quibus munitionum atque arcium cura commissa esset; stipendiis, dignis eo loco ac nomine. Tumultu interim exoriente in Monte ferrato, missus ad bellum gerendum Petrus Toletanus; qui, quasi ex eo bello aut nunquam aut cum Jo. Renaldinio victoriam esset reportaturus, eum accersivit. Itaque Renaldinius, facta a Duce Ossunæ, tum Regni prorege, potestate, habuit necesse, Mediolanum venire: sed antea illi Romam transcurso opus fuit, quo Paulum V, Pont. Max. Ossunæ verbis rogaret, ut equitatum Neapolitanum per suos fines transire pateretur: quod impetravit, ut voluit. Bello autem confecto, Neapolin ad suam provinciam se recepit. Sed homini strenuo, ac nunquam cessanti, negotium non deerat: nam, Sipunto a barbaris expugnato atque direpto, missus est a Card. Borgia, ad illud oppidum instaurandum reparandumque: quo dum, Cardinalis mandata executurus, pergit, in itinere, graviori morbo ex labore curisque implicitus, Neapolin deferri se jussit, ut ibi curaretur. Sed accidit, cum morbus in dies amplior vehementiorque efficeretur, ut tandem ejus vim ferre non posset: itaque illi succubuit. At virtutum ejusdem fama, & in primis abstinentiæ laus, in qua vicit omnes, nullis unquam casibus subjecta, nulla cujusquam vi perculsa, jacebit, sed inter temporum injurias, inter mortis necessitates, incolumis vivet. Rem plane admirandam: tot operibus,

tot

tot molibus, tam magnis, tam ingentibus, extruendis instaurandisque, præfuerat, tot annos; Regum omnium orbis terræ maximorum pecuniam innumerabilem tractaverat; poterat impune non minimam ejus partem domum suam avertere, & ex fisco transferre in cistam: & tamen filio, qui ipsi unicus erat, nihil nisi rerum a se gestarum famam, & domesticæ virtutis imitandæ necessitatem, reliquit; ut, divini Numinis providentia, tantam in uno abstinentiæ vim extitisse existimem, ut ministrorum avaritiæ, in posterum tam abstinentis hominis provideret exemplo. Non est tamen eundum inficias, fuisse eum voluptati obsequentem, ac magnum mulierum amatorem, dum vixit. Etenim, *qui sic sunt*, ut est apud poëtam nescio quem, *haud multum heredem adjuvant*. At id, hominum improbitate, quam suopte ingenio, factum est magis: nam vix ad urbem aliquam accedebat, cum præsto erant lenones, qui homini voluptario, luculentas mulierum conditiones offerebant: quæ mulieres eo se illi lubentius applicabant agglutinabantque, quod forma esset non mala, ore non ineleganti, vegetis oculis, ac statura, etsi non ita excelsa, attamen in qua, singula membra toti corpori, peræqua proportione, responderent. Verum, quamvis, homo militaris, belli artibus, ab ineunte ætate, addictus esset, scribendi exercitationem non omittebat: nam plura scripsit de urbibus arcibusque muniendis volumina, prout munerum, ad quæ adhibebatur, occasio se daret: sed ex iis illud tantum typis mandandum curavit, quo sapientissimis rationibus edocet, quam non sit tutum, infimas plateas artium, lateribus sternere. At, quamvis tanta rei militaris esse occupatio soleat, ut non multum ei, qui bella persequitur, sub pellibus otii relinquatur; pulcerrimos tamen bellorum, quibus ipse interfuit, commentarios scribere non dubitavit. Et quamvis, militaribus præceptis addiscendis, & rationibus, quibus aggeres & fossæ ducerentur, percipiendis, operam suam dedisset, sæpe tamen ad hæc elegantissimarum artium studia transibat; quanta autem cum utilitate, argumento est liber, quem de colorum significatione composuit. Quid multa? quis poëticam laudem expectasset ab eo, qui ætatem, vel in

bellis, vel in iis, quæ ad bellorum apparatus pertinent, consumsisset? At Apollo non sibi molestum duxit, Pindo atque Helicone relicto, in castrorum munimenta se demittere, ut eidem, carmina scribenti, adesset. Ipse quoque delicatissimus Musarum chorus, qui, in hortulis quiescens suis, nihil tam abhorret, quam instructas militum acies, quique in pratorum viriditatibus, liquore perlucido amnium irriguis, vel molliter recubans, vel choreas ducens, nos a curis, & a bellorum præsertim tumultibus, avocat, ausus est Martis vultum non pertimescere, armorum strepitus, tormentorum militarium tonitrua, tympanorum tubarumque sonitus non exhorrere, ut lepidissimam illi Eclogam, aliaque digna immortalitate, carmina dictaret. Obiit, annos natos tres & sexaginta, anno cIↃ IↃ CXX.

XIII. M. ANTONIUS PETOLIUS.

SI natio nostra, quemadmodum in ponderandis, expendendis, æstimandis hominum ingeniis esse solet sagax ac prudens, ita etiam in tribuendis præmiis, quæ virtuti, quam laudat, debentur, se justam æquamque semper præberet, nemini melius esset, quam probis ac literatis hominibus. In summa enim rerum omnium affluentia viverent; ipsi opes, ipsi honores, possiderent; illi priores, apud principes viros, partes haberent. Verum, cum de duabus rebus, quas virtus suo sibi jure vendicat, hoc est, laudem ac præmia, primum, nimirum laudem, facile illi remittat, alterum vero, scilicet præmia, indignis sæpe distribuat, fit, ut interdum nihil sit homine literato miserius, nihil magis contemtibile, nihil, quod minus esse desideres. Id ita usu receptum fere est, ut minus jam quis miretur, si videat, doctos aliquos honestosque viros egere, impuros ignavosque divitiis affluere. Quod quamvis sit verus, tamen non potuimus non vehementer commoveri, non exhorrescere, in eo, quod, non ab altero narratum, (quis enim illi fidem habuisset?) sed oculis nostris accepimus, homines nihili, tanquam e cælo delapsos, omnibus nonnunquam

quam amoris officiique significationibus exceptos, primum locum tenere, victu, vestitu, ceterisque in rebus, perquam sumtuose ac liberaliter haberi; contra, pios, religiosos, atque omnibus instructos disciplinis homines, quos in oculis ferre debebamus, pernoctare sub dio, obsitos pannis incedere, fame, siti, ac frigore confici. Ex hoc eodem numero erat M. Antonius Petolius Montecorvinas, I. C. in primis, sed admodum pauper, ac fere mendicus. Cujus ingenium, semel ut aspeximus, admirati sumus, atque extulimus laudibus; sed nihil de eo ab egestate, cujus dominatu premebatur, extrahendo excogitavimus; verum, in ejusdem illum potestate reliquimus. Quamobrem, miser, ne, fame atque inopia rerum omnium confectus, e medio excederet, cogebatur suam impressoribus librorum operam, ad menda, quæ irrepunt, corrigenda locare; unde vix lucri tantum faciebat, quod esset, ad vitam parce ac duriter agendam, satis. Sed, quamvis ita cum rerum omnium inopia confligaretur, tamen, cum erat domo exeundum, & in conspectum hominum prodeundum, ita eleganti vestitu utebatur, ut, qui eum non nossent, quingenta quotannis ex suis vectigalibus scuta capere, jurasset. At hic erat vestitus exterior; nam interior longissimo, ab hoc, intervallo, distabat. Illo, divitibus par similisque videbatur; hoc, infra omnes mendicos ac miseros inveniebatur. Nihil ille thorace, nihil femoralibus, nihil tibialibus, nihil udonibus utebatur; sed horum omnium munus, varii generis panni, animalium pelles, fungebantur, quibus pectus, crura, pedes, coxasque obvolutas, postea fasciis devinciebat. Verum, quo pretiosa illa vestimenta diutius ipsi durarent, neque, ex frequenti usu, attererentur, simul ac domum se receperat, eas exuebat, a sordibus, si quas contraxerant, expurgabat, tum, diligentissime complicatas, in arcula quadam construebat, recondebatque: quo facto, lectulo se commendabat, ibique prandebat, cœnabat, lectioni scriptionique operam dabat. Ibi egregia illius opera, ac prope divina, sunt orta, ut, simul collata ac colligata, si sint attollenda, valentissimi cujusque bajuli vires excedant. Atque hactenus de corporis ornatu. Ad victum vero quod attinet, erat ejusmodi, ut pau-

paululum a pecudum ritu differret: amicis quibusdam suis persanctè affirmabat, totis sex annis continuis nihil cocti obsonii suum in ventrem immigrasse, sed asperam se veterum Anachoretarum vivendi rationem in se revocasse, atque ex desertis Thebaidis regionibus mediam in Vrbem transtulisse, (nam ad Rotundæ habitabat, qui locus, illius est umbilicus,) hoc est, panem tantum atque olera in cœnas ac prandia adhibuisse: ita enim ejus lucelli, quod tum faceret, rationem tulisse: si enim se nitidius curare voluisset, sumtus lucrum superasset. Ædes vero, quas incolebat, nihil a victu reliquoque ejus cultu distabant, sed mire cum illis congruebant: hæ erant, vetusta ac parva quædam cubicula, turri campanarum ædis Pantheon, tanquam niduli, affixa; quo olim mures ejus regionis confluebant, ibique senatum contra feles, capitales ipsorum hostes, habebant; ad quæ longis ligneis scalis, nulla sponda munitis, perveniebatur; quibus, qui paululum vertigini esset obnoxius, vel largius in prandio se invitasset, non ausus fuisset sese committere. Quæ cubicula Vrbanus VIII, Pont. Max. tum diruenda curavit, cum e porticus, ædi illi adjunctæ, tecto trabes ac tegulas æneas, quas in tormenta muralia converteret, detrahebat, & earum loco fictiles subrogabat. Depulsus igitur ex ea loci celsitudine, in quam fortunæ eum iniquitas, fortasse perdendi illius causa, evexerat: e qua ne præcipiti lapsu devolutus occideret, illa horribilis ejus abstinentia fecerat, qui vix tantum vini adhibebat, quod esset ad tuendam valetudinem satis; cujus vini si paululum studiosus fuisset, nulla eum salus servare potuisset: ex illo, inquam, hirundinum nido, vel murium potius, ut diximus, curia, deturbatus, in domum amici cujusdam sui, prope Ædem D. Caroli ad Catinarios, quam vocant, se contulit, in cujus vinea scuta quadringenta collocaverat, quorum ex fructibus magna anni parte se aleret, librosque coëmeret: quæ scuta, non Romæ lucrifecerat, sed Romam ex patria deportaverat, ubi, auctione facta, fundum, ædes, suppellectilem & bona omnia vendiderat. Sed visa est tandem Roma eum respicere, ac velle ex iis rei familiaris angustiis, quibus premebatur, eripere; nam cum Congrega-

tio-

tioni Cardinalium, quibus librorum indicis cura impendet, sæpius fidem, doctrinam, industriam, ac diligentiam suam probasset, illi, sponte sua, a nemine admoniti, dederunt Maphæo Card. Barberino negotium, ut Pontificem Paulum V adiret, atque ipsorum omnium nomine rogaret, ut daret operam, ne docti ingeniosique hominis virtus, semper haberet necesse, cum rerum omnium inopia conflictari, sed, adversus illam, aliqua eam ope muniret. Qui cum partes suas implesset, ac diligenter cum Paulo sermocinatus esset, nescio tamen quid intercesserit, ut tota illa commendatio postulatumque neglectum sit. At Paulo mortuo, Barberinoque in id fastigium evecto, Petolius sibi ipse non defuit, sed, ad osculum pedum admissus, revocavit illi in memoriam, quanto studio suam Cardinalis apud Pontificem Paulum causam egisset; atque, magnam sibi spem esse, ut, quod vitæ auxilium a Paulo impetrare non potuisset, id sibi ab Vrbano (hoc enim nomine appellatus est Barberinus,) large copioseque suppeditaretur. Respondit Vrbanus non inhumane, se curaturum, ut sibi prospectum aliquid esset; eademque opera mandavit Francisco Cardinali, fratris filio, ut rem susciperet perficeretque, ne quid illi deesset. Sed, cum diem ex die duci, ac verba fieri mortuo, intelligeret, sæpius Vrbanum adeundo rogando instandoque, demum tundendo, atque odio, non scio cujus intercessu calamitatis, vix diaria ab illo, hoc est, quotidianas panis vinique portiones, expressit: quibus divenditis, ex mercede, quam collegerat, libros mercabatur, & bibliothecam suam locupletabat, adeo, ut postea aliquot centenis aureis nummis sit æstimata. Verum, cum, in quodam morbo, sive a diuturnis vitæ incommodis ac laboribus orto, sive ex prolapsione, qua gravi ad terram datus est casu, necesse habuit, plures annos scipionibus, aliis suppositis, innixus ingredi: quo tempore, Cardinalis Bisciæ liberalitate sustentatus, quamvis usum pedum amisisset, non tamen mentis celeritate, quæ nullo casu potest retardari, caruerat. Itaque nullum sibi tempus, vacuum a commentationibus vel a scriptionibus, dabat. Sed, cum ex eo morbo convaluisset, ac pedum usum, magna ex parte, recepisset, cœpit agere

cum Cœnobiarcha quodam, ut sua in domo cubiculum sibi aliquod præberetur, ea lege, ut, tum quadringenta illa scuta, quæ diximus, tum bibliotheca, quæ totidem, atque eo amplius, aureis nummis æstimabatur sua ad cœnobium illud morte redirent. At multum ipsi fuit cum illo laborandum, multis difficultatibus occurrendum; sed tandem in leges, quas ipse scripserat, quod postulabat, obtinuit; atque ibat, ut cubiculum, sibi destinatum, aspiceret, alacritate propemodum gestiens; quod putabat, se intraturum cubiculum lucidum, latum, amœnum, pulcerrime laqueatum, præclarosque prospectus habens in urbis domicilia, & in adjectas urbi villas camposque: cum, ecce tibi, deducitur angustum in tugurium, fumidum, sub tegulis habitandum, incertum nescio quod lumen e tecto accipiens, &, quia latrinæ, quo omnes ejus familiæ ventrem exoneratum ibant, fines attingebat, intolerabili odoris fœditate refertum. At ille, ex improviso sua de spe & opinione dejectus, Cœnobiarcham, qui se illuc deduxerat, intuens, Quodnam meum, inquit, ob meritum tam tetro, tibi, dignus carcere videor? nullus antehac carcer me habuit; at nunc, tanquam insanus furensque, comprehendendus colligandusque essem, si in istum compingi concludique me paterer. Tum, quantum potest, se inde proripuit, & in veterem habitationem recepit; neque inde antea discessit, quam, vita excedens, communem est profectus in locum. Innumera sunt fere, quæ scripsit: sed majora & illustria referam. Primum, de exarchia, hoc est, de exterioris Principis munere; quod opus, P. Bzovii opera, fuit Coloniæ Agrippinæ impressum: de quo opere sæpius querebatur, se ab impressore pessime fuisse tractatum expilatumque; qui, quidquid libitum fuisset animo suo, typis mandasset, reliqua ex eo, quæ sibi placita non essent, removisset. Tum scripsit aliud opus decem in libros digestum, Exarchon, sive de sanctioris Principis munere, nuncupatum: deinde, Commentaria politica, aliis decem libris exposita: præterea, epitomen constitutionum Pontificalium, in tredecim libros redactam. Quibus operibus duo alia accesserunt; unum, de Jure ex arte digerendo;
al-

alterum de Paradisi terrestris inopia quasi notitia. Arctissima Nardum Antonium Reccium cognatione attingebat: nepos enim suus fuisse dicitur. Qui Nardus, medicus singularis, cum multos annos in nova Hispania egisset, ingens volumen, de rebus, quas tellus illa fert, quibusque illæ morbis sint usui, scripsit; quod Romæ impressum, cum imaginibus earum rerum, quas tradit; additis etiam illustrium virorum animadversionibus annotationibusque; sed nondum publici juris est factum.

XIV. IO. PETRUS MAFFEJUS.

BErgomates, illustres Italiæ transpadanæ populos, ex Orbiorum, hoc est, ex interpretatione nominis, hominum, in montibus vitam degentium, stirpe procreatos, olim fuisse questos accipimus, elatius se, quam fortunatius, sitos fuisse. Quod si præsens illorum status atque condicio ante oculos statuatur, nullam unquam iniquius querelam comparatam fuisse constabit. Nam, si felix ac fortunata ea dicenda urbs est, ubi plures, summo genere orti, ubi non parum multi fortunæ bonis omnibus affluentes, ubi minime pauci bellicæ virtutis fama inclyti, quod caput est, ingenii literarumque gloria præclari, versentur ac vigeant; profecto, Bergomatum urbs adeo rerum harum laudibus floret, ut, conversa oratione, multo eam fortunatius, quam elatius, statui collocarique, dicendum esse videatur. Ibi Gymnasia, ubi juventus hasta, cursu, pila, saliendo, & ludicra armorum tractatione, exerceatur; ibi hippodromus, ubi ephebi equos scite eleganterque agitare, frenis compescere, angustumque in gyrum compellere ad belli usum, assuescant. Sed, his omissis, præclaris hominum præstantissimorum ingeniis, quæ dedit ex sese & de quibus nobis est sermo, nostra definietur oratio; quorum plura, uno fere tempore, nobilis illa urbs edidit, quam prope reliqua simul Italiæ oppida, quantumvis maxima ac celeberrima. E quibus oculos ad se primum nostros attrahunt duo Zanchii, Basilius, & Jo. Chrysostomus; in qui-

quibus nulla ſententiarum gravitas, nulla verborum majeſtas, nullus orationis ornatus, nullum poëticæ facultatis lumen deſideratur: tum, Publius Fontana, poëta item graviſſimus, in quem, Pythagoræorum commento, Virgilii animum immigraſſe, poſſe dici videtur. Accedunt, Bernardus Taſſus, qui, omnes concinnitates ſententiarum, omnes lepores, omnes veneres Græcorum Latinorumque poëtarum, Etruſcam in poëſin eſt transferre conatus: ſequitur Torquatus filius, non tam in ejus ſinu, quam in ejuſdem diſciplina educatus, ſuis Virgilium, poëtarum principem, veſtigiis perſequens, pari cum illo ingenii laude; unde ad ſummum heroici carminis culmen faſtigiumque pervenit. Quod ſi non conſtaret inter omnes, quod parente Bergomate natus eſſet, omnes Italiæ civitates, quod de Homero traditur, pugnarent inter ſe, atque ſuum eſſe contenderent: nunc autem, cum id non poſſint, ab hac clariſſima Bergomatum luce, tanquam alia a ſole ſidera, aliquod ſibi lumen ac ſplendorem arceſſunt; atque, ob linguæ ejuſdem ſocietatem ex illius laude Etruſci aliquod etiam in ſe decus redundare gloriantur. Verum, ne videretur tellus illa felicior in procreandis iis, qui adſtricta pedem legibus oratione, quam qui ſoluta, ſcripſerunt, alterum, hujus ævi, Latinæ linguæ lumen edidit, qui ſermonis puritate, nitore, elegantia, non video, cuinam ex veteribus hiſtoricis debeat cedere: nimirum, Jo. Petrum Maffejum, honeſto genere progerminatum. Is ad eas artes percipiendas, quibus ætas puerilis informari ad humanitatem ſolet, non habuit neceſſe, foras proficiſci: nam domi optimos habuit magiſtros, Baſilium & Jo. Chryſoſtomum, Zanchios, Canonicos regulares; de quibus antea mentionem fecimus: ab iis enim eſt Tuſcis, Latinis, & Græcis literis eruditus. Quem cum, ingenio peracri, & ſtudio flagranti, non progredi, ſed evolare, ad ſummam eloquentiæ laudem, cernerent, non illi deerant, ſed ingenii acuendi exercendique, aliquam ſemper occaſionem ac materiam ſuppeditabant. Itaque ternas ab eo ſingulis diebus ſcriptiones, tanquam penſum, efflagitabant, Græcam unam, Latinam alteram, Etruſcam tertiam: quod ille penſum, magna cum illorum admiratio-

tione, solvebat. Sed cum jam nihil magistris egeret, ac sine cortice, ut dicitur, naret, stylum illum, optimum dicendi scribendique effectorem atque magistrum, quem exercuerat, ex domestica atque umbratili exercitatione in pulverem & solem eduxit, Romam venit; ubi ille Romanæ aulæ notitiam habuit, aula itidem ipsius: ubi cum honoraria ejus opera a multis expeteretur, tandem a Rep. Ianuensi magnis illa stipendiis conducta est, ut urbis illius nobilitati præcepta Rhetoricæ traderet. Quo munere, tanta cum eloquentiæ & eruditionis functus est laude, adeoque omnium in se studia benevolentiamque convertit, ut Resp. illa majori eum provincia dignum existimaverit, atque arcanorum suorum omnium conscium atque participem fecerit: quam provinciam ita gessit, ut fidem admirarentur omnes; diligentiam agnoscerent. Properabat in dies magis, ad summam hominis eloquentissimi existimationem & famam; &, quod est consequens, ampliorem sibi ad principum virorum gratiam, latioresque ad honores aditus, aperiebat: cum, divini numinis afflatu impulsus, secum ipse reputans, quam fluxæ, caducæ, & inanes, omnes humanæ res essent, arctioris vitæ cupiditate exarsit, ac Societati Iesu nomen dare constituit, annos triginta natus; quæ Societas florebat, ut cum maxime, hominum, sanctitatis doctrinæque opinione illustrium, numero, tum, cum ille eam est ingressus; neque ita multo post professionem emisit. Licebat enim celerius, Pii V Pont. Max. lege, quæ jubebat Soc. novitios, elapso probationis anno, publico ac solemni ritu, ejus instituti rationem profiteri; quæ lex deinde a Gregorio XIII sublata est, decretumque, ut superiorum arbitrii ea res esset. Sed Societatem ingressus, nihil habuit antiquius, quam ut vitam S. Ignatii Loyolæ, Soc. Iesu fundatoris, scriberet. Tum Vlyssipponem profectus est, ut rerum ejus Indiæ, quæ ad orientem pertinet, historiam contexeret. Qua occasione ad Philippum II, Hispaniarum Regem, illi aditus patuit; qui operis consilium laudavit, ac fuit auctor, ut illud strenue prosequeretur; cujus absoluti precium tulit: nam Rex, ejus fratrem, Senatus Mediolanensis a secretis elegit. Reversus

ſus in Italiam, vitam S. Ignatii, & rerum Indicarum hiſtoriam, edidit: quibus operibus principem, inter ſui ævi hiſtorias Latina lingua loquentes, obtinuit locum. Juſſus deinde a Gregorio XIII hiſtoriam eccleſiaſticam ſui Pontificatus intexere, ille, tredecim libris comprehenſam, Etruſco ſermone explicavit. Habuit eam in animo in Latinum ſermonem convertere; ſed, delectatus opere, de ſententia deceſſit, atque ad aliud ſtudium animum appulit. Hoc opus, nondum editum, heredum Jacobi Boncompagni, Sorenſis Ducis, cuſtodiis aſſervatur. Ajunt etiam, ejusdem exemplum, in libris manuſcriptis bibliothecæ Barberinæ numerari. Etruſcis etiam his literis, duodecim illuſtrium Confeſſorum vitas mandavit. Accerſitus deinde eſt a Clemente VIII Pont. Max. in ædes Vaticanas, ut inchoatam hiſtoriam eccleſiaſticam, & usque ad Gregorii mortem perductam, proſequeretur, & ad ſua tempora protenderet. Manum ille operi admovit, ac tres libros confecit; ſed, ne progredi longius poſſet, mors, quæ omnia noſtra conſilia atque conatus, in medio curſu, ſæpe pervertit, cauſam ſuſtinuit: ea enim illi, ad calcem operis feliciter properanti, iter perrupit, atque diremit. Mortem obiit Tibure, annos natus quatuor ac ſexaginta, in Collegio ſuæ Societatis. Fuit ſtatura procera, forma neque liberali neque honeſta, ore macilento, atque oculis paulum transverſe tuentibus; ſine ulla venere, ſine lepore; nulla in familiari ſermone facundia; neque cavillator facetus, neque conviva commodus; verum ita iracundus, ut interdum ſe continere non poſſet. Sed habebat hoc, ut veſpere, cum, more Societatis Jeſu, in cubiculo clauſus, introſpiceret in mentem ſuam, eamque omni cogitatione pertractans, percontaretur ipſe ſe, quid eo die egiſſet vel dixiſſet, ſi occurreret, aliquem vehementioribus a ſe verbis fuiſſe appellatum, ex pœnitentia, magno animi dolore correptus, exſurgens, atque ad illum, quantum poteſt, accurrens, ad ejus ſe pedes abjiceret, & humilibus ac demiſſis eum precibus, ut ſibi ignoſceret, exoraret. Tenui & infirma erat valetudine, adeo ut ſæpe ſuperiores nonnihil quaſi offenderentur in eo, quod nimis nitide quodam modo delicateque in victu vellet haberi; aſſerens, niſi

lau-

lautiuscule curaretur, se scribendi laborem ferre non posse; ut etiam, tuendæ valetudinis causa, regiones ac loca mutaret, neque diutius uno se oppido contineret. Summum, ad scribendum, laborem studiumque adhibebat. Omnia Latina verba collegerat, ac pro ratione temporum, quibus inventa vel usu recepta essent, distribuerat; tum, quæ verba historicis, quæ poëtis, quæque oratoribus essent aptiora, notaverat. Illud enim vero in eo ferendum non erat, quod Sallustium Crispum, Romanæ decus historiæ, ad sui judicii calculum revocare ac damnare audebat; ideò fortasse, quod divinam illius prudentiam, illustremque brevitatem, qua nihil est in historia dulcius, se imitari posse diffideret. Nam tantum quisque laudat, quantum se imitari posse, non desperat. Ceteroqui tanto accuratæ, enucleatæ, absolutæque dictionis studio torquebatur, ut denas, vel summum quindenas, singulis diebus lineas amanuensi, easque jacens in lecto, dictaret: iisque, qui tantam in ipso tarditatem ac moram admirarentur, respondebat, cum ea, in quibus tantum operæ solitus erat ponere, in hominum manus, atque in existimantium arbitrium, pervenissent, non, quam ea velociter, sed quam bene, scripta essent, quæsituros. Illud quoque non esse prætermittendum videtur; nimirum quo tempore Torquatus Tassus divinis suis carminibus æternum patriæ splendorem afferebat, eodem, Jo. Petrum Maffejum, soluta oratione, par eidem ornamentum ac decus peperisse, ut, qua felicitate unus, patriæ illi Virgilius obtigerat, eadem Tullius alter accederet.

XV. PETRVS STROZZA.

SEd jam ex Obiorum montibus, & ab oppido Barra, cujus ruinis, Bergomatum opes crevisse narrantur, in apertam Florentini soli planiciem descendamus; ubi, præter eos, de quorum memoria commemoravimus, plures alii se offerent, quorum imaginibus Pinacothecam hanc nostram, pulcre instructam ornatamque reddamus. Ac primus occurret Petrus Strozza, domestico summo genere ortus; qui præter generosam stirpem, quam

quam ego in præcipua cujusdam laude ponendam esse non duco, quod eam non nostro ingenio pariamus, sed a natura, atque a majoribus traditam, accipiamus; præter, inquam, nobile genus, erat in omni genere honestarum artium peritus ac doctus, quæ in virum nobilem conveniunt. Ac primum, Aristotelicam omnem Philosophiam, Lazaro Bonamico monstrante, cognoverat; quam ille, acriori mentis acie quam plerique solent, inspexerat: nam multi, quamvis optimo ingenio prædití, a Græcis literis nudi atque inermes, ad ea percipienda, quæ ab Aristotele traduntur, accedunt; ideo sæpenumero fit, ut, hoc lumine destituti, clarissimis apertissimisque in rebus caligent. At ille, ad eorum intelligentiam, Græcam linguam, in qua non mediocriter erat eruditus, attulerat. Quam ob causam, domi suæ semper exquisitum aliquem e Græcia magistrum habuit: & ad hanc Græci sermonis notitiam, aliquot etiam aliarum linguarum cognitio accesserat, ut Chaldaicæ: nam librum edidit, de dogmatibus Chaldæorum. Tum, in omnibus Mathematicis disciplinis, erat plane perfectus; nec aliarum artium præclarissimarum funditus expers ac rudis. Vt ejus ingenium, plurium atque inter se dissimilium doctrinarum, quibus fuerat imbutum, fœtibus uber atque fœcundum, arbori cuipiam simile videretur, in quam insiti aliarum arborum calami, pro illorum varietate varios etiam fructus educunt. Neque alias inferiores artes contemsit, præsertim picturam & architecturam; sed in eis se exercuit; non tamen eatenus progressus est, ut ad levissimas humilimasque descenderet, ut Eleus olim Hippias; qui, cum existimaret, Philosopho nihil esse ignorandum, quod in aliqua arte esset, annulum quem haberet, pallium quo amictus, soccos quibus indutus esset, se sua manu confecisse gloriabatur. Verum, in architectura ita excelluit, ut paucos haberet pares, superiorem neminem. Quæ res magnam illi apud eos, qui eam artem profiterentur, invidiam concitavit; qui ferebant indigne, se, in suo artificio, ab homine nobilissimo, & multarum præterea præstantissimarum artium principe, superari. Leone XI Pont. creato, Romam venit; a quo humanissime exceptus est, atque ab epistolis sanctioribus ad sum-

summos principes viros dandis, habitus ad manum: cujus ille muneris, summa ambitione, se cupidum fuisse, mihi narrabat; quod, præter existimationem ac decus, quod habebat adjunctum, magnam prudentiæ ostendendæ, ingeniique declarandi, facultatem ac materiam afferret. Quam illi provinciam, Leone exstincto, qui quinque & viginti, non amplius, dies in Pontificatu confecit, Paulus V, qui Leoni successerat, non solum non abrogavit, verum etiam stabilivit atque firmavit; &, quoniam eam egregie, atque ex animi ipsius sententia, gerebat, insigne in Æde Vaticana, Apostolorum principi sacra, sacerdotium, quod Canonicatum appellat, attribuit. Sed, quamquam eo titulo cohonestaretur, nunquam tamen initiari sacris ecclesiasticis voluit; eo fortasse animo, ut, si, quæ cogitabat, non recte procederent, illud consilium caperet, quod postea cepit. Neque dubium est, quin ab jure, ab æquitate, a sacrorum canonum præscripto discesserit, quibus præcipitur, uti ante certam diem ii, quibus ejusmodi munera conferuntur, sacris initientur. Sed, cum in magna apud Pontificem Paulum gratia esset, eorum, qui illi obtrectabant, calumnia paulum est ab ea depulsus. Ædificabat Pont. in Basilica Liberiana S. Mariæ Majoris, regali sane cultu magnificentiaque, sacellum, eidem Virgini sacrum, cujus ædificandi exornandique Pont. Max. non postremas Petro partes dederat; sed, cum adversi in eo aliquid accidisset, id illi ab inimicis tributum est. Quam ob rem cum propterea Pontifici minus esset gratus; abdicavit se sacerdotio, ac Florentiam abiit: ubi humanissime, a Cosmo, magno Etruriæ Duce, exceptus, magno stipendio conductus est, ut, in Gymnasio Pisano, Philosophiam doceret. At consilio, quod postea iniit, indicio de se ipse fuit, cur initiari se noluisset. Nam puellam elegantissimam in matrimonium duxit: quo etiam tempore Jo. Cosimus Geroldinus Amerinus, Cosmi, magni Etruriæ Ducis, architriclinus, de septem viduarum sententia, quibus negocium dederat, ut uxorem sibi, usque ab unguiculo ad capillum summum festivissimam, quærerent, deformem domum adduxerat. Itaque magnus Dux Cosmus, in jaciendo mittendoque ridiculo, sane perurbanus, di-

dixisse fertur, in uxore diligenda, plus vidisse Petrum, cum perspicillis suis, (nam parum longe videbat) quam Jo. Cosmum cum septem viduarum oculis. Primum, quem ex uxore sua filium suscepit, tanquam Samuelem alterum, Ecclesiæ ministerio, adhuc infantem, addixit; mandavitque, ut pueris illis adscriberetur, qui in Æde, Apostolorum principi dicata, privatis quotidianis sacris deserviunt.

XVI. GERARDUS SARACENUS.

NIhil homine, nobili loco nato, si sit militaribus disciplinis & liberalibus artibus institutus, fieri posse præstantius, perspicuum est magis, quam ut explicari eloquentis cujuspiam oratione possit. Quod si elegans corporis forma, & suavitas morum, accedat, tum fit illud summum atque perfectum. Quod in iis maxime desideratur, quos in principum virorum aulis versari contingit. Omnibus his laudibus cumulatus extitit Gerardus Saracenus, Senis, ex vetere ac nobili prosapia ortus, honorarius S. Stephani miles. Magna erat in eo dignitas formæ; quam mores optimi honestissimique mire commendabant. Nunquam præponere se aliis, neminem contemnere, sed omnes vereri, atque diligere; nemini in amicorum conventibus oblocutor, nemini orationem præripere, ac velle solus omnia dicere, sed justam partem orationis exequi, suam itidem partem aliis relinquere. Quibus rebus assequebatur, ut omnes ejus amicitiam expeterent, semper cum eo esse cuperent, nunquam expleri liberalissima ac jucundissima ejus consuetudine possent. Eruditus est, a Patribus Soc. Jesu, omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas informari ad humanitatem solet. Neque apud eos operam perdidit. Nam erat in puero, & ingenii docilitas, & mira, in accipiendis iis quæ traderentur a magistro, celeritas; in iis autem literis, quæ ab humanitate sibi nomen asciverunt, ad quæ a natura factus videbatur, addiscendis, tantus ardor ac studium, ut brevi, tum Latina, tum Etru-

Etrusca lingua, versus quam elegantissimos faceret, &, cum dicendum esset, pura, dilucida, nitida, & copiosa oratione uteretur; quæ eo gratius hominum ad aures veniebat, quo summa cum oris vocisque suavitate erat adjuncta. Et quo ea, quæ docte, erudite, ingenioseque excogitaverat, in medium posset afferre, &, quæ ab aliis afferebantur, accipere, Academiæ Humoristarum frequentissime aderat. Sed magna plerumque ingenia, intra unius facultatis terminos, tanquam seclusa aliqua aqua, teneri non postulant; per varia etiam studia pervagari seque diffundere properant; præsertim, si dulces amicorum consuetudines, si amœna cum illis convivia, si honestas nobilium mulierum amicitias, si regales principum virorum aulas meditentur; quibus omnibus in locis iis, quorum ad venustatem mores valent, plurimum possunt, ubi in primis Venus, amor, & amœnitas exercetur. Igitur humanissimas illas elegantissimasque literas, quibus, tanquam Jovis poculo, pectus alebat, cum aliarum pulcerrimarum liberalissimarumque artium studiis copulavit atque conjunxit. Nam, scite fidibus canere, eleganter saltare, & psallere, doctius etiam animi gratia pingere, quam plures, quibus artificium illud vita erat. Prima aulicæ vitæ rudimenta posuit, in casta Alexandri Cardinalis Ursini, optimi sanctissimique Principis, aula: fuit enim cubiculi illius præfectus: sed ad breve tempus: nam celerius, quam opus fuerat, rebus humanis virum illum principem sua ingentia in cælum merita evocarunt. Inciderat illius mors in initia alterius Pontificatus, a quo, ob veterem amicitiam, omnia summa sperabat, &, quoniam, literatos homines, non levis omnium fere mortalium opinio in spem maximam induxerat, fore, ut, eo Pontifice, summus ipsis honor haberetur, atque omnia virtutis præmia deberentur. Sed hæc illi spes, una cum aliis doctis viris, decollavit. Etenim nullum fere unquam fuit tempus, quo magis literarum studia viluerint, nec, quo majore viri, doctrina & eruditione clarissimi, ludibrio sint habiti, ac virtutis præmia largius, imperitis hominibus reddita. Quamquam hæc non tam est virorum Principum culpa, quam semper adversæ, literatorum na-

tioni, fortunæ. Sed tandem (adversus animi sui sententiam, arbitror, cum mitioribus esset Musis addictus,) Ravennam missus est judex, ubi aliquot annos, causis cognoscendis dijudicandisque, summa cum æquitatis justitiæque laude, præfuit. Verum, transactis jam suis partibus, Romam reversus, cum aliquandiu fortunæ suæ periculum fecisset, caderentque omnia teterrime, ad Principum Mediceorum benignitatem, & erga bonas literas studium, spei suæ navim, mutata velificatione, dirigere statuit; quod memoria teneret, complurium, clarissimorum doctrina virorum, spes naufragas atque afflictas, quæ illuc appulissent, tutissimum in eo perfugium portumque invenisse. Eo igitur, unde tam secundus flatus ostendebatur, vela pandens, non solum inde, quo aggrediebatur, non est repulsus, neque in altum rejectus, sed humanissime exceptus, ac Gymnasii Pisani Gymnasiarcha, hoc est, ut nunc loquimur, Præsidens, est factus: quod munus, honestatis & utilitatis plurimum habet adjunctum. Tantus honor, Principis liberalissimi, rem illius familiarem labantem ruentemque præfulsisset præmunissetque, si diuturnum esse licuisset; sed, Pisani insalubris aëris gravitatem cum ferre non posset, annos sexaginta natus, est mortuus.

XVII. IVLIVS CÆSAR BOTTIFANGA.

SI Julius Cæsar Bottifanga, Urbevetanus, Lusitanæ Christi militiæ miles honorarius, quemadmodum poëticæ facultati operam dederat, in eaque se exercuerat, ita se Philosophum professus esset, sane haberemus, quem cum vetere illo Eleo Hippia, cujus antea meminimus, non solum compararemus, verum illi etiam merito anteferremus. Ille enim industriæ suæ modum, cum a Philosophiæ studiis discessisset, iis tantum rebus terminasse legitur, quæ sunt in unaquaque earum artium, quæ ad usum & ornatum corporis attinent; ut, in palliis sarciendis, calceis suendis, annulis, quibus digiti ornantur, conficiendis, sarcinatoris, sutoris, & aurificis munus impleret: nunquam tamen me legisse vel

vel audivisse memini, in iis laudibus eum esse versatum, quod tibiis ac fidibus optime caneret; quamquam verisimile sit, hanc ab eo laudem non abfuisse, quod summam eruditionem Græci sitam esse censerent in nervorum vocumque cantibus; ut etiam Socrates, jam senex, musicam didicisse narretur. Sed, ut demus, eam laudem in illo fuisse, ut citharizare, & cantare ad chordarum sonum, non ignoraret, eam certe gloriam usurpare sibi non potuisse crediderim, quod citharas, tibias, aliaque musica instrumenta, sua manu elaborasset perfecissetque. Tum, gloriatum eum esse non legimus, quod penicillo vel acu pingeret, aliaque multa ex se daret, in quibus hic noster longe multumque præstabat. Etenim, non solum femoralia, thoraces, sagos, qui essent apti atque habiles ad ea corporis membra, quibus parabantur, sibi ipse describebat, formabat, suebatque; verum etiam vestes, unde hæc sibi concinnaret, sua manu texebat: non solum fidibus præclare canebat, atque ad earum sonum vocem accommodabat, verum etiam versibus, quos cantabat, modos faciebat; tum, quod incredibile dictu videatur, una manu tibiis, altera clavicymbalo, docte scienterque canebat; præterea, fides, testudines, clavicymbala, melius quam quivis alius artifex, conficiebat: atque unum ex his, quod cantus suavitate ferebatur in primis, Sodalitati B. V. Assumptæ, in domo professa Societatis Jesu, testamento legavit. Ad pingendi vero artem quod attinet, ita ejus erat peritus, ut se ipse, suam formam in speculo aspiciens, coloribus ad vivum expresserit: acu vero non minus graphice sciteque pingebat, ea præsertim collaria, quæ tunc usus frequentabat, pinnis, eleganti opere, acu formatis, obducta; in quibus elaborandis, Arachnen, atque adeo Palladem ipsam, in contentionem certamenque vocare potuisset. Credo equidem, si quis ejus lateri colum, & in ea linum apposuisset, ut subtegmen tenue neret, pro copia ac sapientia id eum fuisse facturum. Quid multa? adeo virtutibus omnibus abundabat, ut vulgo flos virtutum appellaretur. At forma, in qua venustatis ac dignitatis plurimum inesset, suis æqualibus antecessit, quam, arbitror, fuisse causæ, ut ejus adolescentia aliquanto fuerit

intemperantior: num a mulieribus, ultro expetitus, sibi temperare non poterat. Sed hoc adolescentiæ vitium maximis est emendatum virtutibus. Nam ad eam, quam diximus, Sodalitatem adscriptus, insignia pietatis opera amplexus est, ac frequentem pœnitentiæ & Eucharistiæ usum obtinuit; seque in eo, ad extremum usque spiritum vitæ, continuit. Duobus S. R. E. Cardinalibus navavit operam, ab epistolis Card. Cornelio, & Card. Asculi, e Dominicana familia; cujus morte tantum ad eum bonorum pervenit, quantum esset, ad vitam honeste traducendam, satis, neque esset ipsi necesse, inopiæ causa, suas alteri operas locare. Denique, ex diuturno scribendi labore, in renum morbum implicitus, decessit. Scripsit librum de elephante, Romæ viso: ac convertit ex Hispano in Italicum sermonem vitam B. Aloysii Bertrandi Dominicani. Edidit poëma, de admirabili Corporali, quod Urbeveteri, summa ab omnibus religione, colitur, quod mira quædam, tota Italia, privatim ac publice, religio sit Corporalis Urbevetani. Quamquam, dolasse se illud opus, non autem perfecisse, fateatur.

XVIII. AVGVSTINVS BARBOSA.

QVantus, in Lusitania, bonis artibus semper honor sit habitus, declarant primum, florentissimæ in nobilissimis ejus Regni urbibus Academiæ a suis Regibus excitatæ, declarant plura Patrum Soc. Jesu Collegia ad erudiendam in omnibus liberalibus disciplinis juventutem instituta, Olysipponense, Conimbricense, atque alia non parum multa; ac Collegio Conimbricensi, Joannes Rex, hoc nomine tertius, uno fere eodemque tempore, regali sane magnificentia, vectigalium annuorum, quod satis esset ad socios ducentos alendos, attribuit: ostendit deinde magnus illorum numerus, qui ex Academiis illis, maximarum rerum omnium scientia eruditi, ad illustranda atque exornanda, doctrinæ ipsorum lumine, præstantissimarum disciplinarum studia, prodierunt. Neque solum singulos, qui summa ingenii doctrinæque laude præstarent, singulæ ejus Regni urbes extulerunt, sed ex uno oppido Vimaranensi, Bra-

Bracarensis diœcesis, atque adeo ex una Barbosarum familia, plures extiterunt, qui, multarum præterea præclarissimarum artium ornamentis instructi, summum juris privati ac publici scientiæ culmen attigerint; ut, quemadmodum in unam arborem plura genera videas, sic in istam domum, multorum insitam & illuminatam sapientiam, aspicias. Ex hac tam generosa stirpe, clarissimum illud, atque optimis ac præstantissimis refertum fructibus, germen enituit, Emanuel Barbosa, Advocatus regius, qui commentarios edidit in ordinationes regias Lusitanorum. Ex hac eadem, quasi planta, emergens, patulos longè lateque ramos effudit Petrus Barbosa, summus Regis Lusitani Cancellarius, qui, doctissimis suis interpretationibus, complures Juris civilis legum nodos, multis atque arcanis inter se nexibus implicatos ac consertos, explicatos ac liberos reddidit. Tertius ab istis numeratur Augustinus Barbosa, Emanuelis filius; qui, quamvis generosus, multos Romæ annos (quæ misera est conditio eorum, qui dant operam literis,) in pannis & inopia vitam exegit. Habitavit in taberna diversoria, angusto humilique cubiculo, ad Divi Andreæ ad sepes. Non bis, sed semel tantum, in die, cibum capiebat. Ac, si eum ex libris, quos edidit, spectasses, quorum tam magnus est numerus, insignem domi bibliothecam habuisse jurasses, at ne unum quidem ibi librum invenisses. Memoria erat summa, singulari, incredibili; hæc erat illi pro bibliotheca; immo hæc omnes omnium bibliothecas superabat. Quidquid est in Urbe bibliopolarum, arcta sibi familiaritate devinxerat, non alio vinculo, nisi vitæ probitate atque innocentia, morumque suavitate; quibus facile se in hominum gratiam insinuabat. Itaque quotidie, modo in hac, modo in illa, bibliopolæ cujuspiam taberna, a mane usque ad vesperam, sedens, totum se librorum, quibus sibi maxime esset opus, lectioni tradebat, quæque legebat, memoriæ custodienda mandabat: cujus tanta erat vis, ut, domum rediens, non solum eorum, quæ legisset, fixas in animo sententias, verum etiam versuum ordinem numerumque referret, literisque mandaret. Hinc illa sunt orta volumina, quibus editis, immortalem sui nominis me-

moriam reddidit. Ac primum, prodiit in lucem, opus illud egregium, de officio Episcopi, duobus voluminibus comprehensum: quod tantum habuit commendationis, ut multorum beneficentiam, ad illius inopiam sublevandam, illexerit. Alterum opus, quod non minorem illi famam ac benevolentiam hominum peperit, fuit illud insigne, de jure ecclesiastico universo, volumen. Quod opus, magno alieno labore partum, in se illum transtulisse, ajunt, hoc modo. Die quodam ejus famulus, salsa quædam muriatica in prandium coëmerat, quæ, ne manus digitosque inficerent, tetroque odore imbuerent, cetarius chartis quibusdam, ut moris est, amiciebat: quem postea amictum famulus, domum reversus, cum, præsente domino ac vidente, muriatica illa exuisset, quo in aquam injecta macerarentur, & in terram abjecisset, dominus, curiosus inspiciendi, quid chartis illis contineretur, eas sustulit, ac lustrare oculis cœpit: viditque, elegantissimi doctissimique cujusdam operis initium esse; statimque suspicatus est id, quod erat, auctore, antequam potuisset illud impressum typis emittere, e vivis erepto, heredes, ignaros, quantum in eo boni inesset, tanquam ineptas, nescio quas, chartas, & inutiles, cetario vendidisse; & statim magnam in spem venit, auctore e medio sublato, si librum illum, quoquo modo nactus esset, pro suo edendo, maximam sibi ex eo gloriam posse contingere: ac percontari diligenter e famulo cœpit, in quonam macello, & a quo cetario, muriatica illa coëmisset. Qui aperuit illi omnia, & simul signa & notas ostendit, quibus ad cetarii illius tabernam, sine ullo errore, perveniret. Abiit ille curriculo, quo mittebatur; librum invenit, cui paucæ quædam chartæ fuerunt detractæ; ac civili eum precio redemit; tum, subrogatis iis, quæ deerant, ac pluribus etiam aliis adjectis, imprimendum, pro suo, curavit. Quod debet esse exemplo omnibus, qui scribunt, ut dent operam, quantum potest, quo vivis ipsis, sua scripta lucem aspiciant. Hæc ab homine, Barbosæ amicissimo, ejusque arcanorum omnium conscio, accepimus. Edidit deinceps alia plura, de officio Parochi, de Canonici dignitate, Collectanea super Jus canonicum; quæ in volumina quin-

quinque distribuit; Collectanea Concilii Tridentini, aliorumque Conciliorum; disputationes varias; praxin exigendæ pensionis, Collectaneorum ex Codice Justinianeo tria volumina; denique Vota decisiva. Sed, cum postrema ejus opera, superioribus, nec doctrina, nec methodo, nec sermonis elegantia, responderent, suspicionibus locum aperuisse videtur, illa vel a parente, vel ab altero, gentili suo, emanasse, hæc deteriora ab ejus ingenio esse profecta. Denique, insignem Canonicatum adeptus, reversionem fecit in patriam.

XIX. IOANNES CIAMPOLVS.

IO. Baptista Strozza, cujus modo meminimus, revocavit mihi in memoriam Jo. Ciampolum Florentinum, alumnum ac discipulum suum, quem ille eximium habuit, & in quo alendo erudiendoque, plus quam in ceteris sumptus fecit, plus operæ sumsit; nec, ut dicitur, oleum, atque operam perdidit. Nam ingenium nactus amœnum ac docile, quasi solum fertile atque copiosum, quæ in illud doctrinarum semina dabat, statim, magno cum fœnore, recipiebat. Eum igitur, Theologia, Philosophia, atque omnibus liberalibus disciplinis instructum, Paulo V, Pont. Max. etiam tum adolescentem, Romam perduxit, suaque commendatione multis principibus viris in clientelam & amicitiam tradidit; dedit etiam operam, ut in Academiis, quæ tum celebrabantur, in ea præsertim, quæ Humoristarum appellatur, audiretur: unde, tum Jo. Baptistæ gratia, tum rerum, quæ ab eo tradebantur, apparatu, tum ætatis formæque bono, quod, cum virtute conjunctum, ad conciliandos sibi hominum animos, magnam vim habet, ab omnibus laudatus probatusque discessit. Cum, omnia scientiarum ac disciplinarum genera in sua supellectili numerabat, tum Philosophiæ ac poeticæ facultatis dominus ac magister haberi volebat. Etenim multa in Philosophia se reperisse affirmabat, Aristoteli etiam ipsi incognita, cujus methodum atque doctrinarum, una cum Virgilio Cæsarino aliisque doctis atque illustribus viris, illudebat, ac propemodum nihil eum scisse affirmabat.

In verſibus autem faciendis tantum ſibi tribuebat, ut omnes, qui ante ipſum ſcripſiſſent, tum Etruſco tum Latino ſermone, (neſcio an Claudianum exciperet,) rudes, agreſtes, ſine arte, ſine viribus, ſine nervis, ſine verborum ac ſententiarum robore, ajebat, ſerpere humi, nec audere ſe altius attollere. Virgilium vero, ac Franciſcum Petrarcham, eo nomine felices appellabat, quod tot ſeculis principes poëtarum habiti eſſent, cum nihil in eis niſi humile atque vulgare inveniretur, nec comparandi quidem eſſent ad eos, qui, ſua ætate, omnium eruditiſſima, florerent; puta, ad ipſum paucoſque alios ejusdem ſententiæ. Tantum ſe ab ætatis ingeniique æſtu abripi, & in hæc tam abſurda dicta abſtrahi, ſinebat. Quamquam audivi, paulo ante ſuum e vita diſceſſum, totam ſuæ ſententiæ rationem mutaſſe, eoſque poëtas in veterem dignitatis locum, unde opinione ſua deturbati fuerant, repoſuiſſe. Sed, anteaquam ætas illum expoliret, atque hominem redderet, die quodam cum per Urbem rheda veheretur una cum Gaudentio Paganino, viro docto, qui tum in gymnaſio Rom. literas Græcas docebat, aliiſque eruditis hominibus; occaſione arrepta, cœpit ita in Virgilium & Horatium invehere, ut diceret, nemini unquam iniquius Poetæ nomen fuiſſe comparatum, quam illis; etenim nullo eſſe homines ingenio, nulla eruditione, nullis literis, &, quod rem continet, nulla inventione, ſed puerorum ſimiles, qui tum primum in ſcholis verſus facere diſcant; contra, ſe, divino quodam munere, omnes ſummi poetæ numeros fuiſſe adeptum, in quo omnes eæ virtutes conſpicerentur, quarum alii fuiſſent expertes. Quod cum Paganinus ferre non poſſet, ſtomachans, e rheda ſe ejecit, ſermonem ſegregavit, aureſque diris illis, ut ipſe ajebat, maledictis, ne contaminarentur, eripuit, neque deinceps auſus eſt, non modo cum eo de ejusmodi rebus ſermones inſtituere, ſed ne eo quidem, ubi ipſe eſſet, accedere. Et ſane, quod vere dicere poſſumus, inerat natura poëtica in ejus viri mente quædam: magno animo, ac majore confidentia, ad ſcribendum accedebat: crebræ in eo ſententiæ, inauditæ, quæque venerunt in mentem ante ipſum nemini; translata ingentia,

immania, &, unde unquam existimasses, petita; genus orationis altum, exaggeratum, tumidum, &, tanquam si alas habebat, se nubibus inferens: verborum comprehensio subobscura, implicata, ac difficilis ad intelligendum. In quo ipse se decipiebat: nam existimabat, posse suis carminibus elegantissimos modos fieri, eosque, summa cum audientium voluptate, tanquam intelligentiæ cujusvis obvios, cani. Sed ipsum fallebat eventus: nec injuria: nam, cum leguntur, nisi admodum attendas, atque eos oculis iterum sæpiusque subjicias, vix intelligas; nedum, modorum nexibus illigatos, ac variis vocum flexionibus obscuratos, intelligentia devores. Interfui ego, cum in æde, D. Francisci Stigmatibus sacra, quædam ejus cantio concineretur. Modos fecerat modulatorum optimus: cantores erant, non modo Urbis, sed orbis terræ principes; magna adhibebatur ab illis cura, ne quid titubarent. Ille tum maxima erat apud Urbanum Pontificem gratia; aderant fratris ejusdem Pontificis filii: & tamen tanta auditorum admurmuratio, tanti tumultus facti sunt, cum singuli capita inter se conferrent, ac variis de rebus fabularentur, ut me illius, cui forte assidebam, puderet, ac libenter aliqua evolassem, si potuissem, idque non alia de causa, nisi quia illi versus erant obscuri, & a vulgi auribus abhorrebant. Quamobrem jure poterat a Jo. Baptista, si forte hanc ab eo indolem hauserat, audire, quod olim tibicen Antigenidas discipulo, sane frigenti ad populum, dixisse narratur, Mihi cane & Musis; mihi cane, & iis, quibus hoc dicendi genus probari intelligis. Omnino, jam inde ab ineunte ætate, inerat in Joanne magnus æstimator sui ipsius, & contemtor aliorum, animus, inerat elatio animi, inerat ambitio. Cujus rei magno illud argumento est, quod, etiam tum puer, coram Christiana Lotharingia, magna Etruriæ Ducissa, ausus sit caput pileo tegere. Nam cum a Joan. Baptista ad eum mitteretur, cum versibus, quos ipse fecisset, ut vicaria Ciampoli voce in aures magnæ Ducissæ infunderentur, die quodam Ciampolus, quo fortasse in circulis & in conventibus amicorum gloriari posset, eos sibi honores habitos, qui nemini, quantumvis summo genere nato, concederentur, dicitur commentus

tus fuisse, nescio quas distillationes atque gravedines, ob quas diutius sine magno valetudinis incommodo, aperto capite, esse non posset; quam ob causam, non solum pileum, sed pileolum etiam, cogeretur afferre. At Christianam, ajunt, utpote humanissimam, tam cari capitis misericordia captam, fecisse homini potestatem, ut illud, qua maxime fas esset ratione, ab aëris injuria defenderet; qua potestate facta, confestim ille capiti pileum admovit. At mulier correxit illico, quod ille se intellexisse minus assimulabat; atque, de pileolo, inquit, intelligebam, non de pileo; proinde remove illud a capite, quantum potest. Magna igitur ingenii doctrinæque suæ opinione imbutus, cum tota illi Florentia angustior, quam ut animo conceptas spes caperet, videretur, Romam, unde major ad id flatus ostendebatur, vela dedit. Arcem enim orbis omnium terrarum, angustius ingenii doctrinæque suæ theatrum futurum arbitratus est, atque inde ea sibi præmia proventura, quæ aliunde evenire non possent. Placuit Jo Baptistæ ratio, & multos annos, sua pecunia, illius sumptibus suppeditavit. Exceptus in primis est humanissime a Virgilio Cæsarino, ob voluntatum studiorumque similitudinem, adeo ut sua illum domo ac mensa communicaret: insinuavit se præterea in aliorum principum virorum consuetudinem & gratiam. In his Maphæum Cardin. Barberinum, qui postea, Gregorio XV extincto, Pontificiam D. Petri cathedram obtinuit, literarum elegantia sibi promeruit; sed Aldobrandinos Principes, arctiori benevolentiæ nexu, habuit obstrictos; quorum auctoritate & gratia, a Gregorio XV, cui arctissima se familiaritate implicaverant, obtinuit, ut Gaspari Pallonio, in scribendis Pontificiis Latinis epistolis, quas brevia vocant, sufficeretur. Quæ res magnam sibi omnium admirationem excitavit; non enim Latine scribendi laus admodum ab eo expectabatur, qui omnem fere ætatem in Etrusca poësi consumserat, nullum autem tempus Latinæ eloquentiæ dederat. Sed singularis magnitudo ingenii non desideravit longum, ad se perficiendum, in ea quoque scribendi consuetudine, spacium. Nam brevi, tantam verborum copiam, tamque eximiam scribendi vim

est

est adeptus, ut frenis potius, quam calcaribus, indigeret; nam sæpenumero, ab æstu ingenii se abripi, ac longius abstrahi sinebat, quam brevium ratio deposceret. In eo munere factus est Basilicæ Vaticanæ Canonicus. Sed non potuit effugere ingrati erga Jo. Baptistam hominis speciem. Nam, cum divitiis afflueret, neque quoquam indigeret, Jo. Baptista, quod illi erogabat, aliorum adolescentum ingenuorum usibus destinaverat: quod ille ferens indigne, tanquam sibi debitum, non autem alterius benignitate traditum, persecutus est litibus. Sed, post Gregorii mortem, Urbanus VIII non solum illi, commissam a Gregorio provinciam conservavit, sed etiam intimi ejus cubicularis honorem addidit, atque adeo intimum eum habuit; ut omnia fere illi consilia crederet, & sibi, cum satietas hominum aut negotiorum odium ceperat, amicum ac socium adhiberet, in cujus sermonis suavitate, omnes animi solicitudines curasq; deponeret. Verum, nullum est cuiquam proprium bonum, nulla perpetua felicitas. Nam, cum in tanto esset honore & gratia, ac, prioris vitæ oblitus, ita veteres amicos despiceret, ut salutantes non resalutaret, repente de tanto gratiæ fastigio corruit; neque solum ab aula est, verum etiam ab Urbe, honoris specie, summotus. Nam plures illi urbes, administrandæ, sunt traditæ, ac demum Aësis prætor est mortuus. Quam autem intoleranter Urbis desiderium ferret, satis dici verbis non potest; sed nullis amicorum precibus, nulla valetudinis, qua maxime adversa utebatur, excusatione impetrare potuit, ut Romam reverteretur. Causæ, quæ tantam illi invidiam conflarint, multæ afferuntur, sed ex in primis, nimia loquendi libertas, intimæ atque apertæ cum iis amicitiæ, quorum voluntates ab iis, quorum ipse tempori inservire debebat, alienæ existimabantur; ac demum, quod mores vultusque nonnullorum, mimica prope scurrilitate, imitaretur exprimeretque, quos æquum erat illum vereri atque metuere. In illis provinciis administrandis, multum illi ocii ad scribendum commentandumque suppeditatum est, quo ocio diffluens, complura egregie, tum soluta oratione, tum versibus, scripsit; quæ, nondum edita, Regi Poloniæ, testamento legavit.

XX. Eques THEODORUS PORTA.

EQues Theodorus Porta natus est Sebastiano Porta, Veneto, pictore eximio, ex eorum numero, qui Pontificiis diplomatibus bullas plumbeas, quæ ex illis dependent, affigendas curabant; quem ordinem Xistus Quintus sustulit. Fratrem habuit Phidiam Portam, sed alia matre, uno patre; qui magna vi ingenii præditus, potissimis literis excultus, in agendo, in comœdiis, deliro atque amatore sene Veneto, admirabilis, cum sacram Pont. Max. pecuniam surripuisset, ac Venetias persequeretur, ex fuga retractus, supplicio affectus fuerat, una cum aliis novem, amicissimis suis, haud obscuro loco natis, non modicis opibus, doctis præterea viris, quorum alii erant jurisconsulti, alii medici, alii philosophi ac poëtæ. Hi primum, animi causa, cœperant, noctu carnes, e fenestris appensas, ut hœdos, pullos gallinaceos, meleagrides, phasianos, surripere, ex eisque deinde convivium instruere, ac magno cum risu celebrare: sed paulatim, ab hoc aditu januaque patefacta, progressi sunt longius, ac maximis sese furtis implicaverunt; quibus evicti, magno cum suarum familiarum dedecore, in ipso ætatis flore, pœnas legibus dederunt. Quod, adolescentibus præsertim, debet esse exemplo, ne, ex sapientis consilio, minima contemnant; quod ex iis ad majora aditus fiat. At Theodorus, sive ex fratris supplicio, Urbis pertæsus; nam vix sibi honestum putabat, in ea urbe conspici, ubi recens ille tanta fuerat ignominia affectus; sive alia de causa, profectus est in Germaniam, ubi plures, nobilium præsertim, sibi amicos, putavit, ac fecit suos; tum, paululum extantium ac prominentium signorum artificio, quo ille præstabat, quorum signorum nonnulla, ut ipsum postea Romæ dicere audivi, obscœno turpique argumento elaborata, mire eorum animos ceperant. Tum eleganter saltandi arte, in qua Romæ & in Italia, apud peritissimos saltatores, se exercuerat, atque ibi fortasse militaris Germani hominis

par-

partes in comœdiis agere didicerat; quas, tanta cum venustate, tamque ad similitudinem veri, persequebatur, ut in eo genere ne excogitari quidem perfectius posset. Sed, non ita multos post annos, reversus in patriam, nobilium virorum ac doctorum hominum familiaritatibus se dedit easque, & ea qua præstabat arte, & linguæ volubilitate & elegantia, tutabatur. Cum autem, a Clemente VIII, Henricus Card. Cajetanus, ad Regem Poloniæ mitteretur, legationis jure ac nomine, dedit operam, ut in ejus comitatu esset; atque impetravit. Ac póstea nulla erat voluptas major, quam audire ex eo, quæ, in ea legatione, mira contigissent; concursus populi, equitatus, ac pompam, qua legatus exceptus fuerat, ejusdem congressus cum Rege, colloquia inter ipsos habita, conviviorum apparatus, cœnarum magnificentiam, vinorum, quæ ille ex Italia advexerat, varietatem & copiam; ut non alia in iis epulis vina biberentur; quæ Poloni illi, quibus haud sæpe tales hereditates obvenirent, in sese avariter ingurgitabant; adeo ut monstri illis simile videretur tantam vini exotici pretiosissimi vim, in singulis cœnis ac prandiis, ac tam large diffundi. Atque ejusmodi alia commemorabat; quæ etiam majora, verbis, faciebat; quibus ita erat abundans, ut, ubi ipse esset confestim silentium, tanquam si in aliquo manifesto scelere deprehensum esset, exulatum abiret, atque solus, quasi in possessionem suam venisset, omnium aliorum partes orationis exequeretur. At fiebat interdum, ut nos, animi relaxandi gratia, in iis ædibus, quo Academia Humoristarum convocabatur, tres, omnium fere mortalium loquacissimos, simul componeremus, & tanquam in aliquod contentionis certamen deduceremus; hunc, Henricum Falconium, & Gismundum Boldonum. Eramus enim vehementer cupidi, cognoscendi, quisnam certaminis victor discederet. Atque erat ridiculum, videre, quemadmodum alius alii obloqueretur, ut, incipientem unum dicere, interpellaret alter, nec loqui sineret, ille contra obsisteret, & institutam orationem perorare contenderet. Denique finis fuit ejusmodi, ut nemo arma summiserit, nemo aliis, ne tantulum quidem, de sermonis celeritate, & dicendi glo-

gloria, concesserit, nos vero incertos animi dimiserit, cuinam ejus certaminis palma deferenda esset. Decoratus est postea a Paulo V honorariis Lusitaniæ Christi militum insignibus, ideo, quod sua eloquentia allaudabilem operam dedisset, ut cognatus quidam suus signa pulcerrima, quæ habebat, Burghesio Principi venderet. Tum cernebatur novus hic miles, cinctus, per Vrbem incedere, iisque, qui obliquis ipsum oculis ausi essent aspicere, formidinem ac terrorem injicere. Sed, quantam illi, ejusmodi honoris gradus, immiserit in ventrem, confidentiam, quantum animi ad præliandum dederit, ostendit die quodam, Romæ in lanio, ad forum Panici; a quo cum vitulinam carnem emeret, eamque ad pondus non respondere diceret, contra lanius, falsum eum esse, nec vera loqui, assereret, ille iratus, animo, quem sibi Mars, nuper ad militiam illam adscripto, immiserat, gladium eduxit, atque ibat, ut lanium transverberaret, vel in terrorem fugamque conjiceret. At lanius, qui probe hominem nosset, sumta hasta, qua carnem ex carnario detrahebat, plures in partes gladium eidem comminuit; ille autem capulum, & vaginam gladio vacuam, domum retulit. Recitavit, in Academia Humoristarum, versus a se facetissime scriptos, ac sermonem habuit luculentum, de rebus, nisi memoria me fugit, ad pingendi cælandique artem pertinentibus. Sed demum, paucorum dierum morbo, est sublatus e vivis.

XXI. BELISARIVS BVLGARINVS.

PRæclare atque sapienter, a viro docto atque prudenti, dictum cuidam fuisse narratur, qui, magna vi animi ac vocis, nescio quem, summis in cælum laudibus efferebat; Quæso, inquit, parce voci, cedo, quibusnam ille amicis utatur; ita enim & tu laborem, hunc laudandi, lucri feceris, & ego, quo loco ac numero ille sit habendus, ostendam. Quod si vir hic, tam scitus ac prudens, Belisarii Bulgarini amicorum nomina sibi edi

edi postulasset, quibuscum ille conjunctissime vixit, ut conjecturam ex eis de illius virtutibus faceret, continuo omnes hujus ætatis præstantes sapientia viri enumerarentur, quorum clarissimas, in omni genere literarum, laudes nulla unquam obscurabit oblivio. Ac primum, ex sua ipsius patria nominarentur illa bonarum artium lumina, patriæ decus, Italiæ ornamentum, Franciscus Piccolomineus, Angelus Spannocchius, Diomedes Burghesius, Celsus Cittadinus, qui etiam dialogum suum, de origine usus, quo, plurali numero, singularis persona cœpta est appellari, ex illius nomine, Bulgarinum inscripsit; eques Bargaglia, qui in illis suis nunquam satis laudatis dialogis, de Impresis, interlocutorem eum adhibuit; Hieronymus item Bargaglia, Horatius Lombardellus, aliique, qui aliquod in literis nomen habuerunt. Extra illam urbem alii etiam se offerent, & in Belisarii amicorum numero se fuisse, gloriabuntur, ii, de quorum virtutibus nullæ unquam literæ silebunt, nulla ætas conticescet; Torquatus nimirum Tassus, Eques Baptista Guerrinus, Robertus Titius, Jo. Baptista Strozza, Antonius Riccobonus, aliique illustres viri, in illius amicitiæ societatem venisse ostendent. Sed eximia quædam virtutis vis, modicis Italiæ regionibus circumscribi non postulat, sed, foras egrediens, maria transmittit, Alpes transcendit, ac longe lateque sese diffundit. Ideo Bulgarinus transalpinos etiam in sui amorem & admirationem attraxit; in his, Saturninum Simonium, Gallum, Jurisconsultum præstantissimum; qui etiam librum illum suum, de literis pereuntibus, anno CIƆ IƆ CI, typis impressum, apparere in Belisarii nomine voluit. Et ex hoc cum exteris nationibus, ob communium studiorum societatem, usu amicitiaque, plures eorum linguas apprehenderat: itaque, ad sermonem Etruscum, quem profitebatur, & Latinum, cujus erat intelligentissimus, Græcum, Gallicum, & Hispanum adjunxerat. Neque quisquam erat liber, quovis fere sermone conscriptus, quin legisset, ex eoque unumquodque, quod esset notatione dignum, excerpsisset, & in sua adversaria transtulisset. Præter hæc humanissima politissimarum artium studia, omnibus erat disciplinis instructus, Theo-

A a logia,

logia, Philosophia; neque aberat Medicinæ notitia. Quantum vero in poëtica facultate, & in excogitando inveniendoque, æqualibus suis præstaret, primum, plura ejus carmina declarant, omnium earum linguarum, quas notas illi fuisse diximus, genere scripta, & in Academiis, quas partim ipse instituerat, ut Accensorum, partim, extinctas, in lucem revocaverat, ut Inthronatorum, cum plausu recitaverat; tum, comœdiæ, & in his ea, quæ Permutationum nomine vocatur, ostendunt; quas ille festis Bacchanalibus, ut a disciplinis Gymnasii Senensis ederentur, scribebat. Deinde, nullum nobiles, suæ civitatis, viri ludricum armorum certamen dabant, quin illis libellos, quibus decertantes, simulatis inter ipsos inimicitiis, se invicem ad pugnam provocabant, effingeret. Præterea, in diurnis nocturnisque virorum mulierumque nobilium conventibus, nemo erat, qui illum ingenio anteiret, in reperiendis novis ludorum generibus, quibus horæ illæ honeste hilariterque traducerentur. Coactus est mandare typis animadversiones suas in illud Jacobi Mazzoni Cæsenatis opus, quo Dantis, divini ut ipse vocat, hominis comœdiam, ab iniquorum calumniis vindicare conatur, quas animadversiones, Horatii Capponi, Carpentoracti Episcopi, rogatu conscripserat; in quas furtim alius invaserat, suoque nomine, hoc titulo inscriptas, ediderat, nimirum, *Brevis atque ingeniosa, contra Dantis opus, disputatio.* At liber ille, multorum deinceps operum, quæ a Bellisario prodierunt, quasi sementes ac materies extitit. Nam is, qui literarii illius se furti obstrinxerat, cum manifesto teneretur, cecinit palinodiam, eamque, una cum apologia, adversus ea quæ Bellisarius Danti objecerat, edidit. Secutus est Hieronymus Zobbius Bononiensis, qui, lectis iis quæ circumferebantur, suam voluit de illis sententiam interponere; atque anno cIↃ IↃ LXXXIII, librum in vulgus emisit, cujus erat titulus, *Dantes & Petrarcha, ab Hieronymo Zobbio defensi.* At Bulgarinus, hac nova Dantis defensione a Zobbio suscepta, quo magis ejus, a quo expilatus fuerat, furtum illustraretur, alterum Senis librum imprimendum curavit, quo ea continebantur, quæ Horatii Capponi responsionibus, ad quatuor primas suarum

rum in Mazzonum animadversionum particulas, replicaverat. Nam deinceps, ut eas componebat, nec partes Cappono mittebat; quibus ille, multa pro Dante afferens, respondebat; contra Bellisarius Capponi dicta confutabat, & a Dantis defensione repellebat. Tertio opere, scripsit contra prædictam Hieronymi Zobbii disputationem, de Dantis comœdiis, atque alteram illius eorum, quæ dixerat, defensionem. Quarto libro, respondit palinodiæ; & apologiæ illius, qui honorario cum furto, suis in Dantem animadversionibus, spoliaverat, seque illis exornaverat. Huic operi successit quintum, quo, Particulis poëticis, pro Dantis defensione a Zobbio disputatis, patrio sermone rescripsit. Cum autem Jacobus Mazzonus, primam ejus voluminis partem in hominum conspectum lucemque protulisset, in quo pro Dantis Comœdia acriter vehementerque propugnat, factus est sexto operi locus, hoc titulo, *Bellisarii Bulgarini, Aperti, Academici Inthronati, notæ ad primam Dantis defensi partem Jacobi Mazzoni.* Postremo, tota hæc de Dante concertatio septimo conclusa est libro, adversus manuscriptum, ad Dantis defensionem pertinens, falso Speronis Speroni nomine prolatum. Ne multis morer, finis fuit ejusmodi, ut Bulgarinus certaminis victor discederet, cum, certissimis validissimisque rationibus, adversariorum copias, pro Dante propugnantes, profligasset, obtinuissetque, illius comœdiam, veram poëmatis cujuspiam rationem non habere, quod ab Aristotelis præceptis longissime aberraret. Idque eo fuit mirabilius, quod ab eo docti eruditique viri laus non admodum expectabatur, qui in occupatissimo vitæ genere erat, atque perpetua magnæ splendidæque familiæ, in qua, præter fœminas, duodecim mares filii numerarentur, cura continebatur. Ex quibus nullum se unquam religiosæ cujuspiam familiæ numerum auxisse gloriabatur; quod pusilli atque humilis esse animi diceret, liberos intra religiosorum hominum claustra compellere, quo quis se eorum alendorum instituendorumque solicitudine ac sumtu levaret: sed fœminas locupletissimis viris collocaverat, ex maribus autem unumquemque, pro cujusque libidine, animum

ad aliquod honestum studium passus erat adjungere, alios ad literas, quorum sumptibus Patavii, Bononiæ, Romæque, prout ejus facultates ferebant, suppeditabat, alios ad militiæ studia, alios ad summorum Principum, nempe Sabaudiæ, Parmæ, aliorumque Ducum, aulas: deinde, privatorum negociis pene omnibus, quorum lites dirimebat, discordias sedabat, inimicitias componebat, affinitates conciliabat, districtus, ac Reip. suæ procuratione, in qua sæpius omnes magistratus gesserat, implicitus tenebatur. Itaque, propemodum miraculo adscribendum videtur, quod, in tantis occupationibus, tantam vim rerum cognitionemque fuerit complexus. At, præter ea, quæ diximus, multa etiam alia, ex uberrimi illius ingenii fonte manarunt; sed in tenebris abdita, non adhuc in communem hominum lucem prodierunt; præter pauca quædam poëmatia, tum edita, cum Cosmus, magnus Dux Etruriæ, una cum Maria Magdalena Austriaca, ejus uxore, Senas venissent. Omnino ad studium Impresarum, quas vocant, a natura se ferri sentiebat; quarum plures & illustres referremus, nisi alio properare cogeremur. Demum, cum ad locum, quo res omnes ortæ tendunt, iter arripuit, plenus annis, ac laudibus: quod eleganti symbolo est exprimere conatus Academicus quidam, Lucarino nomine; qui onerariam navem, preciosis refertam mercibus, e portu vela dantem, effinxit, cum hoc dicto, *Solvit onusta*.

XXII. IO. BAPTISTA BARTOLUS.

NUnquam, ex corporis ornatu, aut ex aliqua alia re externa, existimare de hominum ingeniis vel facultatibus licet. Quam multos sæpe videas, purpura auroque fulgentes, in quibus, si introrsum eos aspicias, omnia sint pecudis sorte similiora, quam hominis! contra, quam multos sæpe pannis annisque obsitos cernas, in quorum pectora si oculorum aciem posses intendere, omnia in eis præclarissimarum maximarumque artium ornamenta intuereris! Ut vere, a viro docto atque prudenti, sit dictum, sæpe sub sordido palliolo latitare sapientiam. Neque itidem, si se tibi quispiam sordidatus,

vel

vel alter pretiosis indutus vestibus, offerat, continuo, illum Irum, hunc Crœsum affirmes. Sæpe enim incidi in quosdam, qui elegantem ac divitem corporis cultum contemnerent, intus exultantes animo, quod domi arcas, multo auro argentoque refertas, haberent. Novi item alios non parum multos, qui foris portabant, quid rerum? aurum, vestem sericam, gemmas annulis inclusas, in eorum autem ædibus, nihil quæsti erat furibus; ita erant inaniis oppletæ. Quod si, ut diximus, ex iis, quæ sub aspectum cadunt, fas est affirmare de iis, quæ sunt ab aspectus judicio remota, quemadmodum vulgus imperitorum facit, qui non ex re, sed ex eo quod oculis concipit, metiri homines solet, profecto, Jo. Baptista Bartolus, inter rerum omnium ignaros, atque ad mendicitatem redactos, referatur oportet: qui vestitu adeo obtrito, adeo lacero, adeo obsoleto, utebatur, ut propemodum nihil differre videretur ab iis, quos ante sacrarum ædium fores, vel per Urbem, ire ad saccum, necessitas jubet. Sed longe aliter res sese habebat. Nam primum, ad inscitiam quod attinet, adeo nullius fere rei erat rudis, ut maximarum præstantissimarumque artium scientia pectus refertum completumque gestaret. Nam & Theologiæ & Philosophiæ præceptis animum exornaverat; ac medendi arte ita præstabat, ut paucos haberet pares, superiorem fortasse neminem: quod in eo declaravit, cum virum nobilissimum, & summum in Urbe magistratum gerentem, ex acerbissimis podagræ doloribus, quibus excruciabatur, eripuit, atque adeo ad sanitatis terminos, unde eum vis morbi abstraxerat, revocavit, ut nulla deinceps morbi ejusdem violentia inde abripi, & ad veterum cruciatuum scopulos abstrahi impellique potuerit. Quod factum, ita novum, ita supra naturæ vires est visum, ut reus necromantiæ, apud Quæsitores fidei, coactus sit causam dicere; sed non ita multo post exemtus est e reis, viri illius nobilis opera, quem nodosæ vinculis podagræ exsolverat; a quo rogatus est, ut Roma discederet, atque aliam urbem persequeretur; quoniam videbat, fore, ut, eadem de causa, in jus sæpius vocaretur. Chimicæ arti assiduam ac diligentem operam dedit. Sed quæ ars alios,

 sui

ſui ſtudioſos, detrudere ad mendicitatem ſolet, hæc illum, ut declaravit eventus, ad ingentes divitias perduxit. Nunquam tamen propterea, ex pannoſis illis laceriſque veſtibus, quibus obvolvebatur, emerſit: ut, cum, die quodam, chimicæ artis utilitates fructuſque in cælum verbis efferret, & innumerabilem ex ea pecuniam confici poſſe contenderet, quidam, qui ſermoni aderat, in riſum effuſus, Si res, diceret, eſt ita ut blateras, cur hic tibi ornatus eſt? cur hi panni? cur hæ ſordes? cur illis in malam rem, quantum poteſt, abjectis, non earum loco precioſiſſimas, ac perquam optimas, ſumis? Cui ille, Næ tu, ait, homo es ridiculus, qui iis, quæ tibi oculi perſuadent, fidem habes; ſi multis tibi aureorum millibus ſit opus, neque habeas unde ſumas, ab iſtis pannis ac laceris veſtibus, quas vides, ea ſunt tibi petenda: nam continuo nummi illi, tanquam lymphatici, ex illis eruptionem facient, & curriculo ad te pervenient. At ille irriſor, quia erat in primis dives ac nobilis, noluit ejus rei periculum facere. Sed, utut res ſeſe haberet, illud eſt certum, magnam liberis pecuniam teſtamento reliquiſſe, ab eoque, lethali morbo correpto, jam profectionem ad orcum adornante, intermortuas has voces fuiſſe exceptas, ſe in æternas inferorum ſedes, perpetuis excruciandum ignibus, dari, quod nimis ad rem attentus fuiſſet, quo, contra jus faſque, magnas liberis divitias relinqueret. Summus erat aſtrologus; &, in primis, Chaldaicis literis eruditus, ex affectione cæli, qua primum ſpiritum duxerat, quo die moriturus eſſet, ſibi prædixerat, multa etiam arcana didicerat, quæ tacita tenebat, neque cum quoquam communicabat.

XXIII. FRANCISCVS ARCVDIVS.

MAgnam in ea cæli, in quo quiſque primum vitæ ſpiritum hauſit, parte vim eſſe, ad præclara hominum ingenia procreanda, non ſolum veriſimile, ſed certum atque exploratum videtur. Cui non eſt notum, uno in loco, ex aëris gravitate, homines pingues, hebetes, tardos, in alio, ex ejuſdem aëris temperatione acu-

acutos, perspicaces, celeri ingenio, nasci? Quod etiam animadvertere licet in plantis, quæ, in quibusdam terræ regionibus satæ, ex cæli solique illius natura, præstantiores succique melioris fructus ferunt, in aliis, deteriores insulsioresque producunt. Quæ cum ita sint, quid mirum est, si ea Græcia, quæ olim magna vocitata est, & adjunctæ illi regiones, egregios homines, quique essent omnibus admirationi, fere semper extulerint? Nonne fatendum est, eos, ex cæli illius præstantia, non nihil arripuisse, quo tanquam semine imbuti, illos ex sese tam admirabiles fructus efferrent? Ac, si quis temporum memoriam, jam inde usque a Pythagora, repetat, qui eam partem Italiæ tenuit, & ad quem Plato, discendi cupidissimus, venisse dicitur, omnemque Pythagoræorum disciplinam penitus cognovisse, omnibus fere sæculis multos, tum ad Remp. administrandam, tum ad bella gerenda, tum ad literarum studia, id quod in præsentia quærimus, aptos, atque a natura factos, inveniet. Atque, ex pluribus, quos nostra vidit ætas, se in primis offerrent, Vincentius Laurus Cardinalis Montis regalis, Coriolanus Martiranus S. Marci Episcopus, Antonius Lilius, Paulus Bombinus; qui ingenio, eruditione, doctrina singulares, Cardinalium Collegium, Pontificiam dignitatem, Italiam, atque adeo totum terrarum orbem, non fluxis atque caducis, sed solidis, & cum æternitatis spacio duratione certaturis, ingenii ornamentis condecoraverunt. In hunc numerum ac cœtum, jure se infert Franciscus Arcudius, Soliti natus, satis ex se ipse notus ac celebris; sed, quia parentum virtutis claritas redundat etiam in liberos, ac non nihil eisdem splendoris arcessit, Antonii Arcudii, docti hominis, & Soliti Archipresbyteri, filius; quod non debet nos commovere, neque cogere, nihil rectum, nisi quod nostris moribus convenit, putare; nam Græcis sacerdotibus licet, uxores habere, atque ex eis liberos procreare; at, nostris moribus, nefas habetur. Qui Antonius librum composuit, novi florilegii nomine inscriptum, quo preces horarias, satis effusas, ad usum sacerdotum Græcorum, ambitu angustiore conclusit. Qui liber ab orientis ecclesiis exploditur

ac rejicitur; solum eo utuntur monachi S. Basilii, cœnobii Cryptæ ferratæ, cum faciunt iter, vel absunt a cœnobio. Dedit operam literis, tum Græcis, tum Latinis, Romæ in Collegio Græco, una cum Leone Allatio: Rhetoricæ magistros habuit Alemannum, & Jasonem Sozomenum; quibus doctoribus tantum profecit, ut Græce Latineque optime loqueretur & scriberet, & in utraque lingua, elegantissimos versus efficeret. Philosophicas vero Theologicasque disciplinas, a Patribus Dominicanis accepit, ac, decurso eorundem studiorum curriculo, sacris initiari, Latinorum ritu ac moribus, voluit; statimque, sacerdos factus memor patriæ, memor parentum, suos ad penates se recepit, ubi, docendo instituendoque, magnæ popularibus suis utilitati atque usui fuit; quibus etiam Sacramentis frequenter administrandis, non minimum profuit. Verum habet hoc eximia virtus, ut exiguis loci unius terminis includi non postulet, sed latum campum, in quo excurrat, efflagitet. Sed nullus ita late patens est campus, nullum majus, ingenii declarandi virtutisque demonstrandæ gratia, theatrum ea Urbe, quæ merito arx orbis terrarum, rerum omnium, quæ ubique sunt in admiratione, compendium, omnium nationum perfugium, communis patria, semper est dicta; videlicet Roma. Illa exquisitos, in omni genere artium maximarum, magistros advocat, amplectitur, detinet; mediocres, ne dignatur quidem aspicere: illa, clarissima virtutum lumina, suo in gremio, tanquam in aliquo cælo, ad orbem terrarum illustrandum complendumque constituit. Ea igitur Francisci doctrina, ea virtus, ea probitas, tanquam divini vi numinis, impulsa est Romam. Advenientem Franciscus Cardinalis Barberinus, tum rerum dominus, benigne atque humaniter excepit, ad numerum suorum familiarum adscripsit, in postremis non habuit; sed, quia majore eum provincia dignum existimavit, quam ut aulici solum munus impleret, episcopatum Nusci, quod est oppidum in Regno Neapolitano, deferendum illi curavit. Ubi omnes optimi Pontificis partes exequens, celerius quam ejus ætas poscere videretur, est mortuus.

XXIV.

XXIV. IVLIUS MANCINVS.

IVlius Mancinus, Senensis, honesto quidem sed humili loco natus, cum, etiam tum juvenis, rixatus cum quopiam esset, ac propterea compactus in carcerem, simul ac dimissus est, patria sede relicta, Romam commigravit, commodum, cum, in nosocomio S. Spiritus in Saxia, de novo medico in demortui locum subrogando deliberabatur; &, quia locus ille ab omnibus fere medicis, qui erant in Urbe, summa ambitione expetebatur, decretum fuerat, ut res in certamen deduceretur, eique munus illud decerneretur, qui, interrogatus de quæstionibus, ad rem medicam pertinentibus, aptius ceteris respondisset. Quamobrem Patritius Patritius, vir, & generis nobilitate & vitæ splendore, tota Urbe, clarus ac nobilis, ad quem literas commendaticias ab amicis acceperat, Si maturius, inquit, ad Urbem venisses, ac longius spatium, at te comparandum, nactus esses, facile poteras, una cum aliis, in illud ingenii doctrinæque discrimen contentionemque venire. At ille, irridens, Quid mihi, ait, opus est spacio ad me comparandum? hem, nunc, si libeat, possum. Nec mora; ita ut erat ocreatus, certamini se objecit; factumque est, ut victor inde discederet, statimque decretas medico, ad habitandum, ædes ingrederetur. Quod fuisse arbitror causæ, ut ad mulierem, quæ habitabat ibi viciniæ, se insinuaret, seque intimum apud eam faceret; quæ bibliopolæ cuidam nupta erat, ac tres habebat liberos, scelerum omnium principes, quos plus millies, auctoritate & gratia, qua pollebat, suspendio eripuerat. Hanc ille mulierem, formæ dignitate atque præstantia, Europæis mulieribus omnibus anteponebat: verum, in qua, præter corporis proceritatem, nihil unquam elegans spectator formarum laudavit; sed, quemadmodum Catullus de Quinctia dixit, *nulla erat in tanto corpore, mica salis.* At, quamvis tam mirificis eam laudibus in cælum efferret, quamvis ejus amicitiam usque ad extremum vitæ spiritum conservarit, quamvis opibus ac divitiis afflueret, nihil ille in morte reliquit, quo vitam parce ac du-

duriter ageret, ut, in morbum paulo post ejus mortem conjecta, necesse habuerit, in valetudinarium S. Rochi confugere: ubi diem obiens supremum, suis amicum ac laudatorem suum vestigiis, quo ille antecesserat, est prosecuta. Verum, illuc redeo, unde abii. Magnam ejus certaminis, de quo diximus, victoria apud alios medicos invidiam illi conflaverat. Itaque, ex compacto, id unum omnes agebant, ut invenirent aliquid, quo de eo illum loco dejicerent, quem sua fuerat virtute adeptus: atque, apud hospitalis ejus domus Præceptorem, cœperunt eum accusare, quod celerius, quam alii medici, ægros, ac raptim, inviseret, ut, cura illa expeditus, posset attentius suis dare operam negociis. Quamobrem, in quoddam multorum ejus familiæ concilium a Præceptore vocatus, reprehensus est acriter, quod negligenter, & cum ægrotantium pernicie, susceptum a se munus obiret. At ipse interritus, memoriter ægrotos omnes, fidei suæ commissos, a primo ad ultimum proferens, narravit, unde domo unusquisque, qua ætate, quo genere vitæ esset, quo morbo, & a quo die, laboraret, quam curationis rationem adhibuisset, quamque adhibiturus deinceps esset singulorum morbis, præsensiones, aliaque, unicuique eorum magis propria atque præcipua; quibus, magna eorum, qui audierant, cum admiratione prolatis, malevolorum obtrivit invidiam. Deportaverat Romam scuta bis mille; quæ statim, usuris centesimis, fœnori dedit, eo contractus genere, quod officii societatem appellant. Atque ex his fructibus, eaque pecunia, quam ipse labores per suos invenerat, eoque, quod comparserat, miser, suum defraudans genium, nam sordido vitam pane oblectabat in pannis, sexaginta & eo amplius aureorum millia confecerat: ex quorum fructibus, post illius mortem, Senis, tot adolescentes ex ea civitate, qui dent operam Juri civili, Medicinæ, vel Philosophiæ, aluntur, quod possint ex eis singuli quina, vel summum septena, scuta, quot mensibus capere. Neque fuit illi consilium, in Collegii eos formam redigere, quod se nolle ajebat, Rectoribus, Subrectoribus, condis, promis, ac procuratoribus peni, cibum suppeditare. In prædictionibus longe multum-

tumque præstabat; ac, simul ac ægrum inviserat, statim, quem exitum morbus ille esset habiturus, divinabat. Sed nulla verborum humanitate ægrum sublevabat. Nam vix tria illi vel quatuor verba eloquebatur, pulsum tentabat, num æqualiter in eo venæ micarent, linguæ digitum, stomacho manum admovebat; tum, quid illi in cœnam vel in prandium dandum esset, imperabat: sed in primis oculos per cubiculum circumferebat, &, si quam ibi egregie pictam tabulam aspexisset, continuo adamabat: nam erat rerum istarum intelligentissimus; dabatque operam, ut in suam potestatem perveniret. Neque id sibi erat difficile impetrare ab eo, qui suam ipsi salutem vitamque commiserat: ab aliis eas tabulas quam minimo emebat, ut carissime venderet: atque, in hoc genere mercimonii, magno cum lucro vortebatur. Philosophiæ in primis studium suum dederat: neque erat Philosophus ex eorum numero, qui in scholis, spinosis contortisque disputationibus, id agunt, ut adversarium, breviter arguteque concluso argumento, decipiant; sed ex iis, qui, ex vi verborum ac sententiarum, quid potissimum senserit Aristoteles, conantur exsculpere. Atque ita acriter, ita obfirmate, defendebat, voluisse Aristotelem, una cum corpore animum interire, ut non tam Aristotelis sententiam tueri, quam suam aperire videretur. Et sane nunquam eximius pietatis ac religionis cultor est habitus. Feriis Quadragesimalibus ultro non neminem amicum adibat, cui oppleto saturoque salus fuisset inedia multorum dierum; rogabatque, num carnibus vesceretur. Neganti illi, Næ tu, ajebat, homo es ridicule insanus; cedo paginam, atramentum, & calamum. Ac statim, disertis verbis, testimonio suo, quod ob præstantiam artis, quæ in eo erat, fidem faciebat, affirmabat, non esse illum, ob ægritudinem, ad olera atque legumina vescenda idoneum. Habitus est etiam Chaldaicis literis apprime doctus: sed revera totam illam disciplinam contemsit, ac deridiculo habuit. Interrogatus, cur ab ejusmodi sermonibus non abhorreret, sed multa docte copioseque dissereret, ideo a se fieri respondebat, ut communibus hominum studiis satisfaceret, ac merci suæ, quo pluris eam venderet, flosculos quasi quosdam

dam inspergeret. Ac merito Urbanus VIII fecit eum semper plurimi; & tum majorem habere eum cœpit, cum, initio Pontificatus sui, ejus consilio, ex ancipiti illo morbo ereptus est, a quo fuerat pene oppressus. Nam, cum inter ceteros medicos, de alvo, quæ constiterat, medicata potione illi danda conveniret, solus restitit, quantum potuit; quod diceret, fore ut, mediam circiter noctem, id in eo a natura fieret, quod a medicata potione requirerent. Quæ, seu vaticinatio, seu prædictio, vera est, ea ipsa nocte, confecta. Itaque eum medicum sibi solum adduxit, & opiparo, in Æde D. Petri in Vaticano, sacerdotio, hoc est, canonicatu, donavit; ex cujus fructibus, majorem opibus, quibus pollebat, cumulum addidit: nunquam tamen initiari sacris ordinibus, ut leges illius ecclesiæ sunt, voluit. Denique, confectus senio, paucorum dierum morbo, surreptus e vivis, splendido elatus est funere; in Ædem S. Spiritus in Saxia.

XXV. FRANCISCUS ACCARISIUS.

NOn eadem omnino ac par est ratio ingeniorum atque plantarum: quod non omnibus in locis omnes plantæ nascuntur, nec eadem magnitudine, forma ac suavitate, ex se fructus educunt, sed, pro soli cælique varietate, aliæ in Italia plantæ, aliæ in India, aliæ in Africa, aliæ in Sarmatia gignuntur: at ingenia, ubicunque ea severis, sive mala sive bona, & ad literarum studia in primis apta, semper bene feliciterque proveniunt. Atque res hæc ita est aperta atque perspicua, ut eorum exemplis illustrari non postulet, qui vel in remotissimis terræ regionibus, vel in barbaris nationibus, & ab omni prorsus humanitate sejunctis, vel in oppidulis, in asperrimis saxis defixis, exorti, clarissimas urbes, ac civium frequentia celeberrimas, atque adeo totum terrarum orbem, sua luce lustrarunt atque complerunt. Quamobrem non erat, quod Camillus Accarisius queri posset, quod Franciscum filium, Anconæ, ubi honeste ne-

negotiabatur, non autem Senis, edidiſſet; metuens fortaſſe, ne ex cælo, unde primum vitæ ſpiritum hauſiſſet, ſegnior vel tardior in diſciplinarum curriculo fieret, neve ad ſummam Juris civilis laudem, ad quam, tanquam ad metam, illius vitæ curſum deſtinaverat, properans, æqualium ſuorum induſtriæ non præcurreret. Sed errabat. Nam, ubicumque locorum communis ille uſuram lucis arripuiſſet, nullum ab aëris contagione damnum contraxiſſet, ſed ſimilis ſemper ſui fuiſſet. Ille ſaltem metus aliquam ad perterrendum vim potuiſſet habere, ne videlicet, magiſtrorum penuria, optima illa ac fertilis arbor, a cultura deſerta, ſylveſceret, aut egregia illa vis ingenii, exercitationis conſuetudine uſuque remoto, exareſceret. Ad, id ne accideret, fuit egregie a parente proviſum. Nam, ſimul ac primum acreſcere puer, & exire de gremio cœpit, eſt miſſus in patriam. Non poteſt dici, quam avide tenera illa arbor, a fœcundiſſimo illo literatorum hominum ſolo, in quod tranſlata fuerat, ſit excepta, & quam multæ, ut ita dicam, ad eam irrigandam, aquarum inductiones ſint factæ. Primum ille, a doctiſſimis grammaticis, omnibus illis artibus inſtitutus eſt, quibus informari ea ætas, qua tum ille erat, ſolet. Sed poſtea, a ſtudiis amotus puerilibus, cum ad ſeveriora ſtudia, & in primis ad juriſprudentiam, acceſſiſſet, in ipſo ejus aditu veſtibuloque acceptus eſt a duobus ejus ævi præſtantiſſimis ingeniis. Quibus, omnium conceſſu, in Senenſi Gymnaſio, legum interpretandarum primæ deferebantur; nimirum, a Celſo Bargalio, & Hieronymo Benevolente; ab eiſque ad intima ejus facultatis penetralia perductus. Hos ille ambos unice dilexit; ſed in Hieronymo benevolentia impari. Hoc magis erat Celſo deditus, quod primum ab illo factus fuerat omnium ſuorum ſtudiorum particeps, tum utriusque juris interpretandi facultate donatus, & luculenta oratione, quæ extat, ſummis in cælum laudibus evectus; qua in oratione, & Franciſci ipſius, tam familiæ Accariſiæ totius, merita, diſertiſſime enumerantur; poſtremo, quod moriens idem Celſus, ſuæ fidei diligentiæque, doctiſſimam & elegantiſſimam illam diſputationem, de dolo, quam nitidiſſime imprimendam edendamque mandaſſet. At

Fran-

Franciscus, Doctoris facultatem & nomen adeptus, non habuit locum illum honoris, materiam ostentationis & ocii, sed laboris & operæ. Etenim sex annos continuos, in eodem Senensi Gymnasio amplissimo celeberrimoque, Institutiones juris civilis est, summa cum industriæ doctrinæque laude, interpretatus. Atque, ab hoc docendi munere, ad alia majora illi tanquam gradus factus est: nam primum, Pandectas extra ordinem explicandi partes sunt traditæ; deinde, cum magnus transalpinorum hominum concursus Senas, disciplinæ causa, fieret, atque, honoris eorum gratia, Ferdinandus primus, magnus Etruriæ Dux, fecisset potestatem, ut aliquis, magno ingenio præditus, deligeretur, qui in eo Gymnasio jus civile, ea ratione ac via traderet, qua in Gallia, in Germania, in Belgio, Connanus, Duarenus, Cujacius, illud docuissent; hæc provincia Accarisio tradita est. In quo summum ac singulare, de hominis eruditione, doctrina, atque ingenio, judicium fuisse factum videtur; quod in eo, qui tali muneri dignus judicetur, non solum exacta atque perfecta juris scientia insit oportet, verum etiam excellens antiquitatis notitia, & Græcæ Latinæque linguæ cognitio reperiatur, sit plane necesse. Neque contigit, ut, qui ita honorifice de ipso judicassent, sui eos judicii pœniteret. Nam disserendo, interpretando, docendoque, perfecit, ut omnibus iis laudibus, de quibus commemoravimus, cumulatissimus haberetur, quique, e Germania profecti, literarum cupiditate, tam longum essent iter emensi, faterentur, se navasse operam, quod illuc venissent. Interea Celsus Bargalio, senio studiisque confectus, vitam, quam a natura mutuaverat, naturæ eidem, repetenti, persolvit. Cujus morte, ordinaria in eo Gymnasio juris docendi provincia suo magistro, ita bene de se merito, caruit. Non fuit diutius deliberandum, quisnam potissimum illi subrogaretur. Nam, omnium consensu, honestissimus illi docendi locus quin Accarisio deberetur, nemini dubium fuit. Itaque illi delatum, viginti eum annos tenuit. Unde, tanquam a capite, doctrinæ suæ flumine rivisque, discipulorum suorum animos irrigavit; qui, quasi plantæ, fœcundo humore imbutæ, maturo deinde tempore fructus ex se maximos extu-

extulerunt. Atque muneris illius functio eo erat omnibus gratior, quod magnum etiam onus de jure respondendi sustinebat; quamobrem ejus domus, non unius civis domicilium, sed Jovis Hammonis vel Apollinis Delphici templum, quo omnes, qui in Italia controversias haberent, responsi petendi causa, confluerent, videbatur. Qua fama compulsæ omnes Italicæ Academiæ, tantam vim doctrinæ atque prudentiæ, magnis unaquæque earum ad se præmiis, advocabat. Sed nullam spem lucri, quamvis magnam, putavit esse tanti, ut eam patriæ caritati, suavissimis amicorum colloquiis, jucundissimæ affinium cognatorumque consuetudini, anteponeret. Sed, quemadmodum nullum est propugnaculum ita validum, ita alte munitum, quin longa obsidione non expugnetur: etiam illud stabile ac fixum Accarisii, longius a patria non abeundi, propositum, assiduis Rainucii Farnesii, Parmæ ac Placentiæ Ducis, invitationibus, precibus ac pollicitationibus, demum est labefactatum atque convulsum; quamvis non tam pollicitationibus ac præmiis, ad consilium mutandum, sit impulsus, quam quod Sfortiæ Oddo, ac Philippo Marino, talibus viris, esset succedendum. Id enim sibi in primis decorum & honestum existimabat esse. At Rainucius, quo majorem honorem haberet, illum ad eorum, qui sibi a consiliis essent, numerum aggregavit. Sed magni Etruriæ Principes non sunt passi, diutius, tantum lumen, tamque illustribus radiis effulgens, aliis regionibus collucere, iisque, unde ortum esset, suo recessu tenebras gignere. Itaque, revocarunt illud, suum in regnum, tanquam proprium in cœlum; ut nimirum Pisis, primas Juris civilis interpretandi partes agens, tanquam circa aliquod cælum, perpetuo & æquabili cursu se volveret, atque omnia, sua luce, lustraret. Quod cum, per annos quatuor, solis cujusdam instar, fecisset, tandem, IV Non. Octobris cIↃ IↃ CXXII, Senis, quo se contulerat, obiit, ut eodem nimirum horizonte, seu, ut a Latinis nominatur, finiente, unde astrum illud ad illustrandum orbem terræ prodierat, sub terras se abderet, vel potius ad cælum, una cum aliis beatorum luminibus, exhilarandum accenderet. Quantum sui desiderium tali viri mors, patriæ,

triæ, auditoribus suis, ac bonis omnibus, reliquerit, is facile, cogitatione assequetur, qui sapientis illius dicti meminerit, *tum denique nostra nos intelligere bona, cum, quæ in potestate habuimus, ea amisimus.*

XXVI. LÆLIUS MARETTA.

LÆlius Maretta, Senensis, nobili, sed non admodum antiquo, genere natus, Romæ, quoad vixit, magnam apud omnes habuit viri prudentis, ac totius Reip. periti, opinionem ac famam. Quamobrem viro, & oratione gravi, & auctoritate, tota semper ab aula magnus honor est habitus; atque ibi simul rem & gloriam reperit. Neque ab ejus aspectu, cujus dignitas reverentiam sibi quandam arrogabat, aberat elegantia, quæ amorem conciliabat: neque a vitæ ac sermonis gravitate recesserat comitas, qua sese omnibus dabat. Nam, ut ego, etiam tum pene puer, qui sæpe cum ipso eram, sum expertus, ejus interdum benignitas oppido, ut adolescentuli, erat: atque, nisi ea in illo indoles extitisset, nunquam ita me illi dedissem; quod illi ætatulæ, qua tunc eram, odiosa est senum gravitas atque severitas. Itaque ille consecutus, omnibus videbatur, difficillimam illam societatem, gravitatis cum humanitate. Quoad vixit, ætatem egit in aula Sfortiarum; quæ familia, tum temporis, opibus, divitiis, & honoribus, in primis efflorebat. Nam cum ea Gregorius XIII affinitate sese devinxerat; quod Jacobus Boncompagnus, suus filius, Constantiam Sfortiam, fœminam præstantissimam, haberet in matrimonio. Quamobrem Pont. Alexandrum Cardinalem, totius Ecclesiasticæ ditioni præfecerat, ut ad eum rerum omnium summa rediret. Quo fiebat, ut apud omnes, tum Italos tum exteros, Principes viros, maximo esset in honore, atque ejus amicitiam omnes expeterent. Huic primum Lælius navavit operam aulicus, non unus e multis, sed inter omnes prope singularis, consiliorum omnium particeps. Nihil enim ille, quod ad Remp. magnopere pertineret, nisi ex ejus auctoritate atque consilio, gerebat. Neque facti eum pœnitebat, cum utilem atque allaudabilem sibi ab illo operam dari intelligeret. Eo mor-

mortuo, eodem gradu fuit apud Franciscum, Cardinalem ab eodem Gregorio XIII creatum, cum adhuc in Belgio honorarius miles esset, in contubernio Alexandri Farnesii, Regis Catholici copiarum imperatoris. Hic, cum ex injuria accepta, magno cuidam principi vehementer esset infensus, suspenso ac solicito erat animo, num honorem illum, sibi delatum, acciperet, an, castra persequens, gloriam armis belli sibi perquireret. Persuasus est a Lælio, ut nulla ratione, tam pulcram occasionem amitteret, qua par dignitate iis esse posset, a quibus se spretum ac contemtum fuisse, quereretur. Causæ discordiarum hæc ferebantur. Cum Alexandro Cardinali Sfortiæ a Gregorio XIII, ut diximus, tota Resp. fuisset tradita, ut ejus auctoritate consilioque regeretur, vir quidam princeps in Italia magnus existimavit, si se affinitate cum illo implicuisset, posse illius opibus suam potentiam augere; atque Francisco cognatam suam desponderat; at, Cardinalis Alexandri morte, de spe illa dejectus, sententiam mutaverat, & causam quæsierat, cur eam illi non daret: in quo Franciscus se fuisse despectum opinabatur. Nihil omnino edidit, sed multa, manu scripta, foras emisit, ad optimum Reip. statum pertinentia: quæ, cum essent plenissima prudentiæ, atque ab Aristotelis inventis minime aberrarent, a multis laudari audiebam. In pluribus Romanorum Pont. comitiis, Cardinalem suum, conclave ingredientem, sectatus fuerat, ibique cum eo manserat. Itaque omnes, de novo Pont. eligendo, rationes, omnia consilia, quibus ambientium dolis atque insidiis posset occurri, pulcre callebat: omnes aulæ mores noverat, atque in instituendo aliquo, qui vellet ad illam accedere, quemadmodum facete advertere animum suum ad aliorum animum posset, ut uniuscujusque voluntates & studia teneret, eoque prævolaret quo ille vellet, parem habuit neminem. Sed, qui auctor atque adjutor capiendæ Reip. multis extiterat, ipse nullam ejus partem, sive quia noluit, sive quia non potuit, attigit; qui civitatum regendarum præcepta aliis dare consueverat, nulli oppido, Prætoris jure ac nomine, præfuit.

XXVII. IO. DOMINICUS PERUS.

LEgimus sæpenumero in historiis, non neminem ab agro & ab aratro, summa totius populi Rom. voluntate atque consensu, accersitum in Urbem, qui Consulari imperio rem gereret, vel Dictatoris auctoritate ac nomine, aut hostibus bellum inferret, aut eorum vim conatumque repelleret, aut in rebus dubiis, consiliique egenis, daret operam, ne quid Resp. detrimenti caperet. Verum nunquam, quod quidem me legisse vel audivisse meminerim, traditum memoriæ ac literis est, ab Apolline ac Musis rusticanos homines atque pastores jussos fuisse, depositis rastris atque ligonibus, plectrum ac lyram, & tubam etiam, sumere, summorumque virorum laudes, ac bellorum tumultus, non solum sylvis, verum etiam urbibus ipsis admirantibus, canere. Ne multa; ex omni tum vetere tum recenti memoria, non posse proferri alterum, arbitror, Jo. Dominico Pero similem, qui, a nemine doctus, nullisque poëticæ facultatis præceptis eruditus, inter montium asperitates sylvarumque recessus, vel inter ovium greges, incredibili quodam motu celeritateque ingenii, tam magnum numerum optimorum versuum, vel dixerit ex tempore, vel, literis consignatum, posteritati mandaverit. Hic ortus est Arcidossi, quod est oppidum nec obscurum nec humile, in montibus, Senarum ditioni imperioque subjectis, honestis parentibus; quorum quamquam res essent pauperculæ, ac, ruri opus faciendo, vitam parce ac duriter agerent; non cessabant tamen, filium ad magistrum in oppidum mittere, ut literas disceret. A quo magistro, die quodam, acriter vehementerque objurgatus est, atque etiam verberatus, quod neglexisset, imperata memoriæ mandare. Sed, cum condiscipulum quendam vidisset, ob eandem causam, alterius humeris, tanquam equo, impositum, sævius verberibus affici, pœnæ ejusdem metu perterritus, quam magister eidem minitabatur, nisi posthac diligentius, dictata, memoriter re-

retulisset, suum in prædiolum reversus est; unde cum parens uterque, qui exierant in opus, abesset, modicum illud atri ac duri panis, qui in arca asservabatur, extraxit, atque, ita viaticatus, se fugæ mandavit, ac triennium totum, in locis solis atque desertis, hominum societatem fugiens, vitam, ferarum more, traduxit. Solum, iis mensibus, paulum se opilionibus & caprariis in conspectum dabat, quibus castaneæ, quarum ea regio est fertilissima, nusquam inveniebantur. Atque eorum etiam aliquos amicitia sibi devinxerat. Quorum unus, cum, fervidissimo anni tempore, qua hora oves & capellæ, reducta in valle, vel sub arborum umbra, nimios solis vitant ardores, Orlandum furentem Ludovici Ariosti, omnibus audientibus, legeret, quæque alii intelligerent minus, utpote in illius poëmatis lectione diu multumque versatus, sua interpretatione planum atque perspicuum redderet, ille sensit, se admirabili voluptate perfundi. Sed, cum ille idem pastor, Torquati Tassi, Hierosolymæ a Gotfrido liberatæ poëma perlegeret, non solum Jo. Dominicus, una cum ceteris, ejus carminis majestate & elegantia, ad incredibilem admirationem elatus est, verum etiam plane vehementer exhorruit. Interea est inventus a patre, cujus quærendi nullum modum fecerat, & suum in prædiolum multis blanditiis reductus. Quem postea ille non amplius in ludum misit, sed docuit bubulcitari, & quotidie in opus mercede mittebat. Inerat puero illi ingenium, non solum elegans, verum etiam poëticum, quo se, ad versus faciendos, acriter incitari impellique sentiebat; præsertim auditis Ariosti Tassique carminibus; quorum carminum rationem, numeros, modos, elegantiamque, animo comprehensam habebat. Quamobrem, cum non posset se continere, nactus est ab iis, quibus operas suas locabat, paulum atramenti; quod in frustulum arundinis, a se in vasculi formam redacti, indiderat; calamum & chartam; quæque, inter arandum, cogitaverat, cum boves, labore defessi, constitissent, scripto mandabat; tum sociis amicisque recitabat; qui eum laudabant, atque hortabantur, ut in eo studio se contineret. Sunt enim homines ejus regionis, quamvis in locis asperis, atque mon-

montosis oriantur, quamvis agrestem vitam agant, quamvis aspero victu utantur, sunt, inquam, ingenio, neque illiberali neque hebeti neque tardo, sed celeri & acuto; neque quisquam fere eorum est, qui literas nesciat, sed omnes ferme, saltem scribere ac legere, discunt: quo fit, ut plures apud eos libri, vernaculo sermone conscripti, reperiantur; quorum lectione, cum est otium, ac præsertim iis diebus, quibus opus facere non licet, se alios que oblectant. At Jo. Dominicus, postea quam robustior est factus, captus est amore cujusdam puellæ, sui loci atque ordinis, quæ nihilo plus erat ditior, quam ipse. Et, quia paululum citharizare, & cantare ad chordarum sonum, didicerat, diebus festis, (nam profestis haud licebat,) exigua cum testudine, ad eam, formæ ejusdem contemplandæ causa, se conferebat; sed, tanquam ipsum puderet, sordido obtritoque palliolo faciem obtegebat. Verum, quoniam illius amor intra fines honesti continebatur, neque aliud quidquam spectabat nisi conjugium, dedit operam, ut uxorem eam haberet; ex qua postea duas filias suscepit; quarum alteri, Drusillæ nomine, non minor fere quam patri, ad poësin indoles inerat. At ille iis rei familiaris angustiis premebatur, ut, si vellet se ac familiam alere, necesse haberet, agris aliorum colendis victum quæritare. Verum, ex mercede, quam colligebat, præter id, quod quotidianis sumtibus suppeditabat, singulis diebus singulos sibi Julios parcebat; quos, ad necessarios extraordinarios usus, sepositos habebat. Hæc tam accurata tamque diligens hominis providentia, magistratus oppidi impulit, ut hospitalis cujusdam domus, D. Lazaro nomine, custodiam eidem demandarent; ex qua scuta quinque & viginti, & eo amplius, annua capiebat; neque eo minus suas iis, qui vellent conducere, operas locabat. Itaque interdiu agrorum cultioni, noctu carminum scriptioni, operam dabat; sed præsertim fabulas pastoritias, seu Eclogas, scribebat, quas actoribus amicis edendas dabat, seque in eorum gregem includebat, neque alias partes, nisi aratoris fossorisque, sumebat: &, quamvis honesta facie esset, ita sibi os, scapulas, crura, distorquebat, ut omnium risus commoveret: accedebat

vox

vox absona, gravis, agrestis. Neque erant, in pulpitis extruendis, scenisque comparandis, sumtus faciendi. Nam locus, ad sclopi ictum, prope ab oppido, ad fonticulos dictus, inter castanearum umbras, amœnus ac frigidus, ubi theatrum ac pulpitum a natura factum inerat, ea illi omnia suppeditabat. Cum igitur ad naturam, a quo tot adjumenta ad poësin habuerat, accessisset studium & exercitatio, eam facultatem consecutus est, ut ejus, in dictandis versibus, celeritatem, amanuensis, qui eos excipiebat, assequi non posset, ac tantum animi habuerit, ut ad poëmata conficienda sit progressus, atque bellum angelicum, quod Angeleidas inscripserat, fecerit, illudque a pueris, popularibus suis, coram Serenissimo magno Etruriæ Duce, qui anno cIↃ IↃ C XIII illac iter habebat, recitandum curaverit. Sed illud oppidum erat angustius, quam ut tantam vim ingenii capere posset. Itaque Lactantius Tartaglia, ex eodem oppido, qui Senensium nobilissimorum plurium necessitatibus implicatus tenebatur, quique Senensis Gymnasii Rectoris munus, tanta cum laude, administraverat, virtuti eidem aditum ad egrediendum, seque latius diffundendam, aperire conatus sit. Nam Jo. Baptistam Strozzam certiorem fecit de admirabili hominis facultate ingenioque, illiusque, ejus videndi audiendique, studium inflammavit. Non potest dici, quantum fuerit Lactantio laborandum, ut, qui nunquam e sylvis, suoque ex prædiolo, pedem extulerat, Florentiam ire compelleretur. Sed cum tandem vicisset, bene viaticatum ad Strozzam misit: a quo humanissime exceptus est, ac diebus octo domi suæ habitus. Quibus elapsis, cum abeundi potestatem peteret, nec obtineret, graviter questus est, simulque ostendit, quantum, ex sua absentia, incommodi detrimentique suam in familiam redundaret; propterea se non posse diutius domo carere. Ac, postridie mane, est ad magnum Ducem a Strozza perductus; quo homines nobilissimi doctissimique, ejus audiendi causa, sese contulerunt. Quem ut vir ille princeps, agresti pelliceaque indutum tunica, ac subucula, ex rudi crassoque filo contexta, quam etiam, ut rusticorum mos est, a pectore diloricaverat, aspexit, risum te-

tenere non potuit: tum interrogavit, num poëta ille esset, quem oppidum Arcidossi civem suum esse jactaret: qui cum se esse affirmavit. Deinde quæsivit, num quod carmen in promptu, a se factum, haberet: qui, multa, inquit, &, admota ad peram pastoritiam manu, aliquot inde extraxit; jussusque, cœpit Fesulciden legere. Cumque princeps ac ceteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati, parasitus, unus ex iis, qui cibi gratia aliis se parant, ut rideant, cœpit illi in ore sementem facere, pugnosque obserere, ac, Fur, inquit, manifestarie, tunc audes, labore alieno partam gloriam, in te transferre? Ille, nihil perterritus, neque Principis conspectum veritus, fecit cum illo mutuum, pugnosque pro pugnis referre non dubitavit. Sed, inhibitis, jussisque quiescere, Dic bona fide, magnus Dux inquit, tune es hujus carminis auctor? Qui conceptis verbis, Putasne, ait, me tam perfricta fronte futurum fuisse, ut auderem, tanto Principi aliena pro meis obtrudere? At nunc, excepit ille, experiar, num sit tibi præditum hac sapientia pectus nec ne: audesne, me præsente, aliquid ex tempore scribere? Quidni? ait ille; cedo paginam & calamum. Nullaque interposita mora, in contumacem parasitum illum, qui pugnis eum invaserat, lepidum carmen exaravit. Obstupuit vir ille princeps; atque, A me, inquit, opta, quod lubet; nam impetrabis. Ad quod dictum, simul illi vox atque animus excidit; nec ullum verbum proloqui potuit. Sed, ab iis, qui aderant, sublevato incitatoque, & vox & animus rediit; atque, Da, inquit, panem, quo familiam meam alam. Interrogatusque, quot capita in sua familia numerarentur; Quatuor, respondit; ego, uxor, ac liberi duo. Bene agis, magnus Dux ait; da mihi supplicem de hac re libellum; & ego perficiam, ut tibi quotannis, die D. Joannis Baptistæ natali, tantum frumenti demensum detur, quod satis familiæ omni sit tuæ. Hoc ille promisso, præter modum exhilaratus, ex tempore fudit hos versus:

En tibi, quem casus fecit, Dux magne, poëtam,
Qui nec Pegaseo consperſit labra liquore,
Ardua nec tetigit Parnassi compita montis.

Tum liberalissimus Princeps, non solum beneficium, ver-

verbis dudum initum, ratum ac firmum esse voluit, verum etiam scuta illi quingenta numerari jussit, ac Fesuleiden suam typis mandari; in cujus fronte, ejusdem, tunica illa pellicea induti, in qua primo conspectus erat, imago impressa cerneretur; quam, coronæ cujusdam instar, ligones, rastra, aratra, & reliqua instrumenta ruris, ambirent. Fuit etiam a magna Ducissa humaniter exceptus, ac largiter donatus. Ac, ne pede domum redire cogeretur, mulæ fuit impositus; quæ, præter alia vitia quibus abundabat, erat etiam retractans, neque ingredi, nisi diu multumque coacta, volebat. In quam ille facetissimam scripsit satyram, in qua magno Duci narrabat, credere se, quadrupedem illam ex Hispano genere ortam, quod succussaret, quod calcibus feriret, quod cerebrosa, quod obstinato obfirmatoque animo esset. Addebat etiam, quod, in patriam rediens, cum non ita multo post, quam e Florentiæ urbis porta exisset, magno se vesicæ exhauriendæ desiderio percussum, voluisse a mula descendere, ut necessitati illi operam daret, sed nunquam id sibi fuisse in potestate; nam importunum ac perfidiosum illud animal, modo se in pedes erigere, modo se hac illac versare, modo recalcitrare, ac, nisi tandem viatores quidam auxilio venissent, quorum alii mulam retinerent, ne se commoveret, alii ipsum deorsum ab ea dejicerent, nunquam ejus furentis impetum potuisset effugere; sed, post damnum suppetias ut dicitur; cum urinæ, jam gestientis erumpere, vim cohibere non posset, prius quam ipsorum opera equo decidisset, coactum fuisse, ingratiis, ajebat, illi aditum dare, atque ita subuculam, ac femoralia intus omnia, turpiter comminxisse: ut propterea millies mulæ illi, iisque, a quibus eam acceperat, mala omnia precaretur. Reversus in patriam, longum esset enarrare, quibus eum lætitiis, quibus amplexibus, uxor ac filiæ, tanquam ex remotissimis orbis terræ partibus redeuntem, exceperint; præsertim, cum argento onustum aspicerent, atque æternum sibi familiæque suæ cibum reperisse intelligerent. Sed, vix patriam tetigit, cum in oppidum S. Floræ, ad Ducem Onnani se contulit, ac lepido facetoque carmine, quod suppli-

cis libelli formam haberet, petiit ab eo, ut, quoniam magnus Etruriæ Dux panem ipsi præbuisset, nec haberet, unde vinum sumeret, daret operam, ne siti conficeretur, neve eam haberet necesse aqua ire sedatum. Qui lubens annuit, atque, ut tot vini cadis, quot annis illi convenirent, mandavit, quot possent uno anno quatuor, quamvis multibibi ac merobibi, bibere. Atque, tum triticum, tum vinum, ad illum quotannis, sine ullo suo sumtu deferebatur. Neque est prætereundum, quomodo magnus Dux conatus sit eum a rustica & agresti illa vita abducere, & ad civilem & aulicam traducere, & in primis Ducis magni mater & uxor, magnis pollicitationibus, ab eo contenderit, ut conjugem ac filias ad se traduceret; nam effecturas, ut, opibus ac divitiis auctæ, nemini eorum concederent, quæ beatæ putantur; præterea, si virgines vellent nubere, curaturas, ut tuto ab asinis ad boves, id quod negant fieri posse, transirent. Audacter respondit, non esse e re uxoris filiarumque, nec sua, homines, in silvis natos, & ad vitam parce ac duriter agendam assuefactos, repente, a summis laboribus, gradum facere ad regalis aulæ mundicies, mollicies, deliciasque, corporaque, illuvie æternisque sordibus squalida, pulcras vestes & ornatus accipere; sibi autem esse deliberatum, in sua se pelle tenere; neque ulla conditione se posse adduci, ut patrium nidum Florentia aulaque permutet. Sed multo fecit elegantius Romæ cum Jo. Ciampolo, quo tempore apud Urbanum VIII auctoritate & gratia valebat; cujus Ciampoli acutis naribus, quibus unguenta exotica ita sordebant, ut eorum odorem ferre non possent, iste aptissimus acceptissimusque inveniebatur. Itaque erat illi in amoribus ac deliciis, &, quoad Romæ fuit, nusquam eum, nisi ad se, divertere, perpeti potuit; deditque operam, ut in Academiis, quæ tum vigebant, audiretur; in ea præsertim, quæ in ædes Cardinalis Sabaudi convocabatur. Quo tempore magni ad eum hominum concursus fiebant: neque enim erat, quod quisquam ita visendum putaret, quam, rusticanum hominem, ab agro & ab aratro profectum, fossoris vel caprarii habitu ornatuque, inter homines omnium nobilissimos doctissimosque, aurea in

sel-

sella sedentem, lepidos elegantesque versus effundere. Nec vir ille princeps passus est, desiderari a se liberalitatem suam, sed pecunia eum donavit: cujus exemplum secuti sunt alii deinceps plures. Sed, die quodam, Ciampolus, cum, doctis ac nobilibus quibusdam viris, amicissimis suis, prandium daret, impetraverat ab eo magnis precibus, ut, quo honestius versari inter convivas illos posset, urbanas vestes, ac sumtuosas, quas illi comparaverat, sumeret. Sed, cum deinde opiparæ ac saliares in mensam dapes ferrentur, commotus, Quod genus, inquit, hoc hominum? quæ hæc conjuratio est? id unumne ex compacto omnes agitis, ut mortem mihi maturiorem efficiatis? Unaque opera, abjectis sumtuosis illis vestibus, sagum suum pelliceum induit, peram pastoralem sumsit, seque e triclinio foras ejecit, & in patriam recepit; iratus etiam Ciampolo, quod adhuc voluisset eum ad Urbani Pontificis pedes adducere. Qui Pontifex cum illum audisset in patriam profectum, moleste tulit, & graviter cum Ciampolo questus est, quod ea se voluptate privasset. Discedens, pecuniam, quam ex donariis acceperat, apud Ciampolum reliquerat: ex qua, sibi transmissa ac numerata, domum in agro, ex sui animi sententia, ædificavit: ubi, multos annos cum in summo otio & tranquillitate vitam egisset, & filias honestis viris nuptui dedisset, demum senio morboque confectus, naturæ debitum reddidit; &, ex hac vita decedens, alia sibi Tempe, alium Parnassum Pindumque quæsivit.

XXVIII. ANGELVS RAPARIVS.

NUnquam rerum omnium effectrix atque magistra natura, post genus humanum conditum, (præterquam raro, in geminis fratribus,) duorum hominum formas ita inter se pares effinxit, ut eadem esset in utrisque, vel plane difficilis ad distinguendum, similitudo: sed, in hominibus formandis, in tanta varietate versatur, ut, qui in eam rem se mente & cogitatione conjiciat, ad incredibilem admirationem efferri atque abstrahi sentiat. Istuc idem in ingenii formis usu venire,

quis nesciat ? Nunquam enim duorum ingenia hominum, studiorum ac voluntatum similitudine inter se æqualia, reperias, sed in aliqua re discrepare animadvertas ; ut aliud uni, aliud alteri magis placeat, ac magis expetendum esse videatur. Sed tale ingenium, quale in Angelo Rapario Cremonensi fuit, in nemine extitisse invenies. Erat, vel certe videbatur, vir optimus atque sanctissimus ; sed, dum ad summæ sanctitatis terminos vela dabat, interdum a vehementi quodam flatu se abripi, atque ad varios scopulos abstrahi & deferri sinebat. Nam sibi persuasum habebat, vix quemquam, qui lethali se scelere contaminasset, posse, veræ pœnitentiæ lavacro, ejus peccati maculas eluere. Itaque librum, de falsa pœnitentia scriptum, reliquit ; in quo, inanibus quibusdam rationibus, conabatur ostendere, omnes fere iis, qui peccassent, quod vera pœnitentia non contingeret, æternæ salutis aditus esse præclusos. Tum, nimium in se ipse inquirens, dum metuit, ne vitiosum aliquid colligeret, ad ineptias devolvebatur : quarum aliquas referam ; nam infinitum esset, omnes colligere. Non solum diebus festis, ut ab Ecclesia præcipitur, verum etiam profestis, non semel eodem die, sed iterum ac sæpius, Missæ sacrificio intererat ; quod quidam illi scrupulus in animo hæreret, nec posset evelli, se ecclesiasticis legibus non obtemperasse, quia suspicaretur, a sacerdotibus illis, qui sacra fecissent, non absque defectu aliquo satisfactum suo muneri ; ideoque pluribus sacris audiendis operam dabat, ut, si fieri posset, in unum aliquem sacerdotem incurreret, qui vitio omni careret. Neque, cum peccata confiteretur, quidquam tam deplorabat, quam, quod non semper de sacrificantis certus esse posset sanctimonia. Cumque pertinacius in hac opinione persisteret, confessarium, qui eam illi stultitiam conabatur adimere, in sceleratorum & impiorum numero habebat, neque eo amplius utebatur. Quo fiebat, ut nemo sacerdos inveniretur, qui vellet ejus confessiones audire. In ceteris vero rebus ita quoque erat ridicule religiosus, ut magnos ac lepidos de se ludos daret. Si qua fortasse via faceret iter, ubi mulieres vestes, lineas madidas, modo e fullonia depromtas, in sole siccabant, ac vel linte-

teum, vel subuculam, funibus, ut mos est, dependentem, pallio vel manu contigisset, sua eam culpa e fune depulsam concidisse, & furibus objectam periisse, arbitrabatur. Itaque, quanta maxima vi poterat, mulieres illas rogabat, ut vestes omnes dinumerarent, ac diligenter investigarent, num quæpiam illarum desideraretur. Cumque mulieres, suum illis numerum constare, serio affirmarent, non tamen quiescebat, sed, perturbato suspensoque animo domum rediens, dabat se solicitudini atque mœrori. Fiebat etiam interdum, ut præter nummulariorum mensas progrederetur, ubi nummorum acervi sæpenumero extant ac prominent; statim, magna ejus in animum suspicio incidebat, partem aliquam ejus pecuniæ a se surreptam, & in crumenam suam aversam; seque, tanquam furem manifestarium, collybistis tradebat, ut de se supplicium sumerent. Cumque illi, id non fieri verisimile, dicerent, quod nunquam oculos ac manus a nummis illis amovissent, idque ab eo, mentis vitio, fieri arbitrarentur, vix eum a se poterant removere. Erant tamen aliqui malitiosi ac vafri, qui, rem ita se habere, ut diceret, affirmarent; propterea, quod furto sublatum esset, restitueret: tum omnis ab eo furti admissi suspicio recedebat, atque eos hallucinari, nec recte oculis uti, ajebat. Neque alia erat ratio, ejusmodi scrupulos, ejus ab animo, evellendi, nisi eidem assentiri, quodque de se fatebatur, concedere. Nam homo, qui tam diligenter suum teneret, quam quivis alius, confestim ad se redibat, atque, a cogitatione sua deceptum ultro, vidisse se quod non viderat, & fecisse quod non fecerat, affirmabat. In quodam vero asino, quos de se risus, quos ludos dedit! in quantam facetorum hominum urbanitatem incurrit! Die quodam, per posticum, in peristylium quarundam ædium intraverat, ubi plures erant asini, qui frumentum domino domus deportaverant; qui improviso illius adventu visi sunt paululum exterreri ac loco moveri: at ille, nihil tum animadvertens, iter suum persecutus est, ac per ostium egressus est foras. Sed, cum paululum progressus esset, venit illi in mentem, modici illius asinorum metus, quo paululum dissipari visi sunt; & ab

hac

hac cogitatione, quasi quodam aditu, ingressus est in suspicionem, ne, sua culpa, eorum unus vel plures se in viam ex postico illo dedissent, & in abigeum aliquem incidissent. Nec mora; reversus, exquisivit ab asinariis; quot secum asinos duxissent: qui, Quinquaginta, responderunt: ac confestim cœpit illorum numerum inire. Verum, sive quia unum in enumerando præteriret, sive quia oculis timor obsisteret, novem & quadraginta eos esse, reperiebat. Tum exanimatus metu, & amenti similis, ea circum loca perreptans, ut quemque viderat, num asinum, qui se ex aliorum societate distraxerat, aspexisset. Sed, cum omnes negarent, revertitur, ac rursum in eorum enumeratione versatur; atque adeo, quod optabat, non reperit, ut, ex quadraginta novem, quadraginta octo factos esse quereretur. Ac, Me miserum, clamabat, cur non venit in mentem, postico ostium claudere? jam, nisi cavero, ad unum omnes se istinc fuga surripient. Ad quam vocem accurrunt asinarii, &, quid quereretur, interrogant. Quid querar, rogatis? hei mihi, qui fui huic malo caput; vestri asini, nisi quamprimum occurritis, seditione facta, vasa conclamant, profectionem & fugam adornant, ad hostes, hoc est, ad fures transeunt; & jam duo ex iis in illorum castris præsidiisque versantur. Quo audito, asinarii oculos attollunt, uno aspectu universum exercitum lustrant, ac nullum vident abesse. Tum, ad illum conversi, Profecto, mi homo, insanis; hic quieta sunt omnia, milites salvi, numerus convenit; quamobrem, si te ea res sollicitum habet, jubemus, libero ac soluto animo esse. Alio die, amico cuidam suo cœnam dabat, cumque farcimen præstantissimum, sibi Cremona missum, conscidisset in frusta, ut amico anteponeret, ibat, ut funiculum, quo farcimen adstringebatur, ut, quod erat intus, arctius complecteretur, e fenestra in viam ejiceret; & quia tenebræ erant maximæ, & funiculus paulo unctior, verebatur, si in prætereuntem aliquem incideret, ne pallium illi, vel pileum, commacularet; &, cum aliquantulum incertus animi fuisset, utrum projiceret, an non, tandem venit illi in mentem edicti, quo in omnibus fere municipiis præcipitur, ut, si no-
ctis

ctis tempore sit desuper aliquid dejiciendum, triplici antea prædictione populus admoneatur. Itaque ter, e fenestra, maxima voce clamavit, Cavete, cavete, cavete; adeo ut vicinia, cum majorem aliquam esse causam ejus clamoris ac moniti suspicaretur, tota se ex ædibus foras effuderit. Multaque præterea, his similia, inepta ac ridicula fecit, ac dixit. Omnes, quos quidem ipse audisset, qui de loco superiore conciones ad populum haberent, plerunque inanem ac supervacaneam ajebat operam sumere: quia singula vitiorum genera, ut avaritiam, superbiam, libidinem, crudelitatem, ad accusandum arripiunt, & in eo se jactant, vel divini judicii severitatem; atque infernorum suppliciorum acerbitatem, compositis ac magnificis verbis exponunt, adeo ut etiam ex auditorum oculis lacrimas, quæ cito arescunt, excutiant; quæ quia nemo ad res suas revocat, hoc est, ad ea, quæ ipse avare, superbe ac crudeliter fecerit, ideo fieri, ut vix quisquam ab eorum oratione melior excedat: contra, illos opus oratorium facere, qui privata cujusque generis hominum vitia nossent, qui ea, quæ in mercatorum & artificum tabernis, quæ privatorum in domibus, in aulis Principum, in judicum tribunalibus, aliisque in locis, passim committuntur, aperiant, insectentur, objiciant, & ad divinæ legis normam revocare contendant. Ac, neminem adhuc se reperisse affirmabat, qui habitaret in hac una ratione dicendi, præter F. Franciscum Nerium Januensem, e Capucinorum familia, qui tum Romæ in concionibus dominabatur; quem, quoad vixit, summa ope coluit, & scriptorum suorum heredem instituit. Nam multa graviter ac severe scripta reliquit. Sed, quisnam ab homine tam tetrico, tamque austero, faceta ad ridicula carmina expectasset? At, in hoc, expectationem omnium decepit. Etenim, longum rhythmicum carmen, ex minutilis strophis confectum, in illius laudem edulii composuit, quod vulgo raviolos appellant; ac singulis strophis intercalaris erat versus insertus; &, quoniam carminis ea lex erat, ut ultima strophæ uniuscujusque syllaba, eodem quo extrema, intercalaris modo, desineret, trecenta fere verba, similiter eodemque modo cadentia, repe-

peterat. Id carmen quotannis Sodalibus Deiparæ Virginis Assumtæ recitabat; quo die ex symbolis, animi relaxandi gratia, simul edebant. Sed demum, tabe confectus, hinc communem in locum excessit.

XXIX. AUGUSTUS PACINELLUS.

SI de uniuscujusque facultate existimare ex amore & gratia licet, quia ille apud viros principes floruit, magnum profecto virum, Augustum Pacinellum, patritium Senensem, extitisse, fateamur necesse est; cum tribus deinceps S. R. Ecclesiæ Cardinalibus fuerit eximie carus, Paulo Æmilio Sfondrato Card. S. Cæciliæ, Desiderio Card. Scagliæ, & Marco Antonio Card. Bragadino; a quibus, in causarum cognitionibus, quod munus perpetuo sustinuerat, magno ejus opera æstimabatur. Quod autem maxime illis fuerit cordi, magnoque in honore ac precio, illud in primis argumento est, quod a nemine eorum, ipsis vivis, discesserit, sed in eorum amicitia & gratia perpetuo manserit. Neque hunc eorum amorem & gratiam gratis assequebatur, sed multis magnisque virtutibus. Erat in omni fere genere honestarum artium doctus, sed præsertim exquisita quadam juris civilis, ejusque universi, scientia peritus: nam Pontificium etiam didicerat. Non enim eum quidam de foro rabula, in minorum magistratuum subselliis latrare docuerat, sed doctor singularis, vel potius omnium suæ ætatis præstantissimus I. C. erudierat, Fabius Benevoglientes; de quo sæpius commemoravimus. Neque eum ille, cum Doctoris & Magistri insignibus decorabat, asini magis quam Jurisconsulti habere similitudinem dixit; ut de quodam accidit, quem, cum iret, ut Doctorem faceret, forte in via in asinum incidit, qui, diducto rictu, speciem quandam ridentis efficiebat; in quem intuens, Quid rides, inquit, inepte? te quoque possumus, si nummi veniant, in numerum atque ordinem Doctorum impellere. Non igitur eam de illo opinionem habebat, verum tantum illi tribuit, ut dignum judicaverit, qui statim eam vim doctrinæ, quam ab ipso hauserat, quaque redundabat, in alios dif-

fun-

funderet. Atque octo annos continuos, in celeberrimo Senensi Gymnasio, Jus civile, magna auditorum frequentia, docuit. Sed, cum animadvertisset, dormitantem oscitantemque eam esse sapientiam, quæ non ad usum transferatur, eaque arma plus habere splendoris, quam utilitatis, quæ ad ludendum, quam quæ ad pugnandum sumuntur; docendi munere, quod magna cum laude obibat, sponte se abdicavit, ac doctrinæ vim illam, qua se præstare non ignorabat, ex umbraticis illis exercitationibus in pulverem, aciem, clamores, ac solem educere, hoc est, ad forensem usum transferre, constituit. Itaque profectus est Romam, & adire ad privatas causas cœpit, non, ut in agendo disceret, quod plerique faciunt, sed ut, doctus, quid efficere posset, ostenderet. Sed non fuit illi magnopere elaborandum, ut, quantum ingenio, quantum doctrina, valeret, declararet. Nam primæ illæ causæ, ab ipso susceptæ, & summa diligentia elaboratæ, & tanquam elucubratæ, tantum commendationis habuerunt, ut non levis inter summos viros esset contentio, quisnam potissimum domi eum suæ posset habere. Sed vicit omnium studia diligens Cardinalis S. Cæciliæ sedulitas: nunquam enim quievit, nisi eo suam in domum perducto: quem statim Auditoris honore ac nomine cohonestavit, qui, pro se, causas, quæ in suum forum convenirent, cognosceret atque decideret. Quod munus, tanta cum fidei, doctrinæ, & abstinentiæ laude, administravit, ut Cardinalis, Cremonensem Episcopatum adeptus, non diutius secum in corde volutaverit, cuinam potissimum vicarias suas partes demandaret. Nam statim occurrit Augustus, cujus opera fideli ac strenua usus esset; atque vicariæ eum illi provinciæ præfecit; quam semper tenuit, neque antea dimisit, quam Cardinalis Episcopatum deposuit, atque alteri tradidit. Quibus actis, nihil in eo fuit moræ, quin Cardinalem, Cremona abeuntem, & Romam proficiscentem, prosequeretur. Cui etiam fidem, benevolentiam, studium, usque ad extremum vitæ illius spiritum, præstitit. Quæ res magno argumento est, fuisse in eo summam animi constantiam, agendi dexteritatem, excellentemque multarum artium scientiam; quod Cardi-

dinalis, usque eo difficilis ac morosus haberetur, ut vix quisquam inveniretur, qui illi satisfaceret; quo fiebat; ut non pauci, desperantes, se posse illi, ad animi ejusdem sententiam, præsto esse, peterent, ut, ejus voluntate, discedere liceret; alii etiam aulam illam ultro deserebant. Neque levem ille ab eo, ad cujus animum ita facete animum suum adverterat, suæ fructum industriæ ac fidei tulit. Nam, una cum Odoardo Cardinali Farnesio, electus ab eo est, ut daret operam, quo ea, quæ ex testamento, quod scripserat, post mortem suam fieri vellet, perficerentur. Magnus sane honor, atque hominis pietate ac sapientia dignus. Verum, cum Cardinalis e vita migrasset, non licuit illi diutius esse ocioso; sed statim a Cardinali Scaglia, Auditoris sui munus; demandatum ac traditum. Cujus domi cum ad multa ac gravissima negocia adhiberetur, eam sibi probitatis, doctrinæ, & abstinentiæ, famam nomenque confecit, ut, variis temporibus, Episcopatus plures sint delati, ex iis, qui intra Senensium fines continentur: quos ille constantissime recusavit accipere. Quid multa? ipsum etiam Senarum Archiepiscopatum, qui, Cardinalis Bichi morte, pastore carebat, ultro a magno Etruriæ Duce oblatum, eadem animi magnitudine atque constantia repudiavit atque rejecit. Sed illa hominis virtus, ille rerum omnium humanarum contemptor animus, nullius rei ita erat cupidus, ut tranquillitatis & otii; quæ nusquam longius, quam ab aulis Principum, exulant. Nec defuit illi Deus, Cardinali Scaglia ad se evocato, in votis & optatis occurrere. Itaque nihil habuit prius, quam ut Romæ in domum Caritatis, ad forum Sabellum, secederet, ibique totum se pietatis ac literarum studiis & operibus traderet. Jucundum sane, atque ex animi sui sententia, id illi ocium fuisset, si diuturnum esse licuisset. Verum, ab aulæ molestiis tutum esse non potuit: illuc enim vehementissimi, Cardinalis Bragadini, conatus ac preces irruperunt, ab eoque extorserunt, ut vellet sibi esse a cognitionibus, verum cum ea condicione, ne cogeretur coloniam, in quam venerat, commutare; hoc est, ne haberet necesse, domum illam deserere, & in ædes Cardinalis immigrare. Habebat

bat in animo, si paululum illi longior vita suppeditasset, duo volumina typis mandare, hoc titulo inscripta: *Responsa ad quasdam insignes quæstiones*; itemque, volumen aliud epistolarum, quas, Cardinalium, quibus operam navaverat, nomine, tum Latine tum Italice scriptas, complures ad viros principes dederat. Quæ omnia, a Bernardino fratre, propediem edentur. Moribus erat optimis atque sanctissimis, adeoque, in tribuendo unicuique suum, religiosus, ut duo haberet inter se distincta marsupia, unum, in quod vectigalia, ex bonis Ecclesiasticis prodeuntia, conferret, alterum, quod reditus, quos ex bonis suis capiebat, includeret: illud Ecclesiastici, hoc prophani, nominibus appellabat: ex illo non plus sumebat, quam quantum esset ad vitam parce ac duriter degendam satis; ex isto, quæ superarent, necessitatibus pauperum suppeditabat. Cum sternuebat, tantos naso clamores edebat, ut totam viciniam, in qua erat, perterrefaceret. Præterea, Galliarum Regis partium ita studiosus, ita acer ejus nationis propugnator atque defensor extitit, ut interdum, fere non minus ad ineptias revolveretur, quam olim, me puero, popularis quidam suus, capularis atque Acheruntiicus senex, qui Ædiculæ S. Martini, ad montem pietatis, Parochus, propterea nolebat ad ægrotum quendam sacram Eucharistiam deferre, quod esset Hispanus: omnes enim ejus nationis, ridicule, impiorum ac sceleratorum numero habebat.

XXX. CYNTHIVS LVCARINVS.

MUlta a veteribus poëtis monstra elegantissimis depicta versibus extitisse narrantur, quæ ex variis diversisque naturis conflata constarent, ut Chimæram, Minotaurum, Sirenes, Stymphalides, aliaque ejusmodi naturæ portenta; quæ, si ad historicæ veritatis rationem exigantur, omnino falsa esse convincentur, si vero ad animorum formas referantur, nihil ab illis rectius, nihil elegantius, dictum esse reperietur. Nam quidam

ex iis, ex tam contrariis diversisque, inter se repugnantibus, naturæ studiis cupiditatibusque conflantur, ut nullum unquam tale monstrum, cujusquam ingenio, excogitari fingique potuerit. Atque ut ad rem propius accedamus; quisnam Chiron, qui a superiori corporis parte hominis, ab inferiori equi similitudinem ac speciem gerebat, quænam Siren, quæ superne formosissima speciosissimaque puella, fœdum in piscem desinebat, cum monstruoso Cynthii Lucarini Trebulani, quod est oppidum in Vmbria, ingenio æquari conferrique posse videatur? Cujus si superiores animi partes, tanquam caput, aspexisses, nihil illo fieri posse festivius existimasses; sin autem paulo infra, quasi ad crura pedesque oculos dejecisses, nullum unquam monstrum, tam vario tamque dissimili exitu conclusum fuisse, jurasses. Atque hæc erant in eo hominis, vel angeli potius, si ita fas est loqui, festivissimi signa; summa divinarum humanarumque rerum omnium scientia, exacta atque perfecta Græcæ, Latinæ, Etruscæ, Hebrææ, Arabicæ, & Chaldææ linguæ notitia; quibus linguis non solum loquebatur, scribebat, verum etiam elegantissimos versus faciebat; omnium, sacrarum literarum, interpretum notitia, quorum volumina legerat, quodque in eis bellissimum esset decerpserat, & memoriæ custodiendum mandaverat: in eisque voluminibus, elegantibus quam maxime typis impressis, conquirendis comparandisque, nulli, neque labori neque sumtui, parcebat: præterea ingenium acre, velox, acutum, unico aspectu ad intima eorum, quæ monstrarentur, usque percurrens, ac cognitione scientiaque complectens. Hæc, inquam, hominis, non unius e multis, sed plane singularis, in eo laudem habebant: reliqua vero, quæ cum eorum extremitate, quasi cum ventre femora, crura, pedesque, jungebantur, nihil simile hominis, sed fœdi cujuspiam anguis, vel si quid eo est immanius, repræsentabat: quorum caput erat, insanus ac monstruosus mulierculæ cujusdam, Leonora nomine, amor, qui, ubi quemque comprehensum suisque laqueis implicitum habebat, magno ac solido eum mactabat infortunio. Hæc sibi eum mulier, virtute formæ, qua præstabat, emancipaverat; hæc, ut ait il-

la apud veterem poëtam lena, tanquam piscem habebat, quem, quoquo vellet modo, condiret, sive patinarium, sive assum; ad hujus domum res, a parentibus illius, magno labore parta, exulatum abibat; hæc, quod metuebat (ut sunt hominum mentes, inconstantes & variæ,) ne altera eum sibi præriperet, quemque ipsa caperet fructum, domum ad se averteret, dedit operam, ut ejus apud se animum, tanquam avem, ne quopiam aufugeret, devinctum haberet; atque, ut mos istarum est, ad veneficia cantionesque confugit, & amatorium illi poculum propinavit. In quo rebus suis non bene consuluit. Quod si medicatam illam potionem non hausisset, multo sibi diutius ille durasset. Nam, ea epota, paulatim de statu mentis dejectus est, cœpitque aliena facere ac loqui. Quamobrem, cum ex lege, ejus, ad agnatos, tutela rediisset, lucrum illud penitus constitit. Neque mala, quo magis illum assecaret, meritricis illud acumen non adhibuit, ut se ejus amore differri assimularet: nam versibus Græcis ac Latinis, misere scriptis, ab altero sibi dictatis, sed quos a se compositos diceret, se dies noctesque excruciari, nec sine illo partem ullam quietis capere posse, significabat. Ille, eodem genere sermonis & carminis, non minus misere, responsum illi dare, se magnum facere, forma Paridi Narcissoque, qui tam perdite amaretur, anteire, existimare, sentire, se ad mutuum in amore cum illa faciendum adigi, munera conduplicare, lucro illi potius, quam sibi decori esse. Verum eorum, quæ, e domicilio mentis egressus, inaniter fuderat, pauca quædam huc conferant. Velle enim, ajebat, ei, quam plus oculis suis amabat, ædes, ita magnificas, ita amplas, exstruere, ut totum illud spacium occuparet, quod Spoletum inter ac Trebiam adjacet; tum alteras eidem Romæ ædificare, novem Musarum concilio sacras; deinde, navem argenteam, egregio opere elaboratam, comparare, qua equorum, remigum partes agentium, opera, tota Urbe, quasi mari, una cum sua Leonora veheretur. Sed nihil tam habebat in ore, quam currum parari, mirabili artificio, multisque mysteriis refertum, in quo triumpharet, eo quod, scientiam rerum omnium complexus, cunctos mortales sapientia vicisset.

 Sed,

Sed, ad nosocomium insanientium adductus, antea vitam amisit, quam recuperare sanam mentem posset. At ego de hoc homine dici audivi, quamquam mulierculæ illius amore implicitus teneretur, præter externas illas significationes atque dispendia, nihil amplius ipsi cum illa fuisse.

XXXI. BENEDICTUS FLORETTUS.

IN hoc omnia plane sunt hominis; nihil brutorum animalium, nihil monstri simile, reperietur; nullus amor, nulla cupiditas, nullæ ineptiæ; sed contra, multa gravitas, continentia, variæ exquisitæque literæ. Poëtas omnes, Græcos, Latinos, & Etrusca lingua loquentes, diligentissime legerat; omnes eorum flores, veneres leporesque collegerat, &, si quid ab eis titubatum esset, censoria prope auctoritate notaverat. Quamobrem effectum est, ut poëticæ facultatis peritissimus evaderet, ac penitus omnia ejus artis præcepta, atque adeo omnia mysteria, nosset. Ita tamen, ut magis æstimator metuendus esset, quam poëta admirabilis. Neque mirum. Nam, si præcepta possent poëtam facere, nihil adjuvante natura, quis non esset poëta? facile enim esset, quæ a magistris ejus artis traduntur, accipere, ac mandare memoriæ. Quisnam poëta, sive sit Homerus, sive Virgilius, si sola præcepta valerent, auderet se cum Aristotele conferre? qui eadem acie mentis, qua rerum omnium vim naturamque viderat, hæc quoque aspexit, quæ ad poëticam artem pertinebant. Omnino sic se res habet, ut in hac una, magis quam in ceteris aliis rebus, natura dominetur ac præstet. Quod a Floretti opinione non abfuit; qui cum tentasset, quid in eo genere efficere posset, semel in Macheronico, iterum in Fidentiano faceto carmine, atque intellexisset, se non posse ad mediocres, nedum ad summos pervenire, quamvis omnia summa fecisset; a scribendis versibus se continuit, & ad aliud studium transtulit. Nimirum in cognoscendis ac funditus percipiendis Etruscæ linguæ divitiis, omnes fere nervos ætatis industriæque suæ consumsit: usque adeo, ut ad Crusca-

ni

ni Lexici marginem, cujus, domi suæ, exemplum habebat, multa ibidem, perperam dicta, correxerit, multa etiam nova atque egregia addiderit. Cui libro, post ejus mortem, tantus honor est habitus, ut a multis summis viris vehementissime expeteretur, ac quæreretur; sed inventum est, venisse eum in potestatem Jo. Caroli Medicæi, Ferdinandi, magni Etruriæ Ducis, germani fratris, ab eoque, thesauri cujusdam loco, ne diripiatur, omnibus custodiis subjectum haberi. Cum igitur tantos in eo sermone progressus fecisset, ut progredi longius non posset, multis in operis scribendis stylum, quem, veteribus poëtis & oratoribus legendis animadvertendisque, formaverat, tanquam in medium eduxit: ex quibus operibus Progymnasmata tantum poëtica typis mandanda curavit; neque tamen suum illis, sed Udeni Nisieli, nomen inscripsit. Reliqua cum jam promta atque expedita haberet, ac prope in eo esset ut ederet, abductus est ab hac cogitatione, a quodam vehementi divini numinis afflatu; cujus vi impulsus, in intimam animi sui sedem ingressus est, ibique, omnibus aliis cogitationibus facessere jussis, reputare secum ipsemet cœpit, quam inanes essent nostræ contentiones, quam stulta consilia, fragilesque spes omnes, quas mors antea perverteret, & in ipso cursu obrueret, quam possent portum aspicere; quamque nihil esset, in hac misera & exigua vita, ob ingenii & eruditionis famam, in omnium ore atque sermone versari. Itaque, relictis ceteris studiis, vitæ suæ tabernaculum in rerum cælestium divinarumque meditatione collocaverat, ac quotidie horam integram, ad sacram Deiparæ Virginis Annunciatæ imaginem, in attentissima ejus mysterii aliorumque contemplatione defixus, conterebat: reliquum tempus, vel pietatis operibus dabat, vel in sacrorum librorum Conciliorumque lectione collocabat; atque exercitatione studioque tantum profecerat, ut omnium peritissimus haberetur. Statura fuit procera, capillo nigro, truci vultu, sed a quo plurimum mores discreparent. Sed quia humilis illi pagus, ubi nasceretur, contigerat; ortus enim est Alverniæ, qui locus Comitum De bardis imperio subest; quod potuit, naturæ errorem correxit, seque Floren-

tiam contulit; ubi, cum duos & triginta complesset annos, est mortuus.

XXXII. POMPEIVS ROGERIVS.

QUid esse dicam causæ, cur sive natura sive Deus, raro excellentem cujusquam sapientiam ab aliqua admistione stultitiæ sejunxerit, nisi, ne efferantur hominum animi, sibique, non Deo, unde, tanquam a fonte, omnia in nos bona decurrunt, id, quo ceteris præstant, ferant acceptum? ut nimirum intelligant, se, ab ipsis quod desipiant, a Deo quod sapiant, habere. Ac fortasse, ne Pompejus Rogerius in hanc fraudem incideret, passus est eum Deus in illam insaniam, qua captus est, & in qua obiit, incurrere. Erat memoria summa, ingenio peracri, infinita rerum, jam inde ab initio generis humani usque ad nostra tempora gestarum, scientia; quas res, adeo memoria comprehensas habebat, ut indidem eas, tanquam ex aliquo promtuario, cum esset opus, expromeret, atque adeo eloquentia, qua præstabat, ad vivum exprimeret; ut eas non legisse, sed vidisse, & cum hominibus illis, de quibus erat sermo, vixisse videretur. Ac fiebat interdum, ut in circulis amicorum, si veteris cujuspiam facti memoria usurparetur, iisque, quos inter erat sermo, a fide historiæ aberrarent; ab ipso corrigerentur, ac, si correcti nollent in viam redire, efferretur iracundia, ac sæpenumero, qua erat animi impotentia, ad verborum contumelias descenderet, neque eos solum, ut iratorum mos est, rudes, atque omnium rerum imperitos, verum etiam, fungos, bardos, codices appellabat. Hæc, atque alia etiam, his majora, in eum olim maledicta congessit, qui amplam atque copiosam domi suæ bibliothecam habet exstructam, ubi, quidquid orationum, historiarum, carminum, juris civilis, sacrarumque literarum commentariorum, medicinæ, geometriæ voluminum est, etiam e tecto tenus extructa loculamenta cernuntur, libri autem ipsi, scite eleganterque illigati atque vestiti, sed quos tum ipsi tum aliis religio est tangere; sunt enim ad ornatum, non autem ad usum, expositi. Hic, inquam, tam nobilis bibliothecæ dominus, die

die quodam, cum, in taberna notissimi bibliopolæ, apud eos, qui secum aderant, facti cujusdam narrationem Dioni Cassio tribueret, qui multos ante annos mortuus fuerat, quam illud, de quo erat sermo, contigisset, commotus Pompejus, qui & rem ejusque auctorem rei probe meminerat, Abi sis hinc, ait, ignavissime, qui, cum sis desidiosissimus, bibliothecam, ostentationis gloriæque causa, habes; at libri non ad eum sunt usum inventi, ut ab illis, tanquam a re sacra, manus abstineas, sed ut eos sumas, legas, verses, in manibus habeas. Sed non mirum, si tam multa legisset: nam, incredibili celeritate, libros percurrebat: quod licebat animadvertere ex capitis motu, (nam id erat illi vitium, ut, legendo, caput moveret,) quo capite, rapido incitatoque cursu, unamquamque lineam lustrabat, nec uspiam hærebat; Sed, quia erat luscus, ac minimum oculis utebatur, cum legeret, ita ori paginam admovebat, ut eam etiam naso araret. Illud vero mirum, quod, cum infirmissimis esset oculorum viribus, ut diximus, cum ad scribendum se conferebat, ita minutis literulis paginas exarabat, ut acutissimorum etiam hominum aciem effugerent. Aliquot quotidie horas studiis detrahebat, quas tesserarum ludo dabat; atque difficile erat, alterum invenire, qui majore ejus ludi studio teneretur. Verum, ob nescio quam distillationem, quæ, a capite oriens, defluebat in collum, eam animi ægritudinem mœroremque contraxit, ut ad insaniam adigeretur. Primum, mortis necessitatem, & divini judicii severitatem in conspectu semper habere, novum vitæ genus instituere, nihil nisi de æterna vita cogitare, corpus jejuniis, vigiliis, verberationibus, aliisque pœnis, ultro susceptis, afflictare. Sed haud quidquam adhuc pro insano fecit, vel dixit, sed contra, summa cum prudentia atque sapientia, omnia: tum vero stulti speciem non potuit effugere, cum libros, quos centum aureis coëmerat, octo vendebat, ut precium in aliis spiritualibus libris collocaret. Postremo, prorsus mentem ab eo abiisse, impia illa est testata oratio, mortiferæ eidem fraudi futura, si a ratione, non autem ab aliena mente, prodiisset, qua pro certo affirmabat, contra æternam damnationem nullum sibi in divina mise-

ricordia esse perfugium, & in hac insania, cum omnes religiosorum hominum, qui frequentes illi aderant, contrarias rationes respueret, usque ad extremum vitæ spiritum perseveravit.

XXXIII. IO. DOMINICVS CIAIESIVS.

VArium ac multiplex esse insanientium genus, prout variæ atque multiplices sunt rerum imagines, quibus illi addicti tenentur, superfluum est, ac non necessarium, pluribus verbis ostendere. Mitto eam, quæ acuta in febri, ægros male habet, quam Græci Φρενῖτιν appellant. Nam hæc, levato accessionis impetu, sine mora dilabitur. De ea, quæ continua est, loquimur, quæque nos in risum hilaritatemque impellit. Quæ ratio ridiculi, in iis sedem habet, qui se primos esse rei cujuspiam volunt, nec sunt. A quo genere morbi paucos mortalium esse immunes invenias; quod vix centesimus quisque, in eo quod profiteatur, sive sit poësis, sive eloquentia, sive suæ formæ elegantia, sive quid aliud, ceteris, qui sint ejusdem professionis, non anteire se credat. Quod si assentator quispiam accesserit, qui illi ultro arrideat, ejusque ingenium admiretur simul, hic protinus ex stulto insanus evadet. Hoc hominum, ridicule insanientium, genere non minimum delectabatur Leo X, Pontifex Max. cujus Gnathones, quos circa se habebat, dabant operam, ut eos, quibus levis mens esset, ad insaniam adigerent, seque eos esse, qui non essent, arbitrarentur. In quo mirabiliter lusus est a quodam, cui petenti aditum conveniendi non dabat: qui cum multos dies expectasset, atque omnes ad Pontificem allegationes difficiles, omnes aditus arduos interclusosque videret, seducto Pontificii cubiculi præfecto in aurem dixit, se esse poëtam, solum præter cæteros, qui sua vellet carmina Pontifici tradere, quibus lectis obstupesceret, horreret, ad incredibilem admirationem efferretur. Quo ille audito, ventis atque avibus ocius advolavit in Leonis cubiculum, atque hilaritate lætitiaque redundans, Invenimus,

mus, inquit, perfectæ insaniæ hominem, qui tibi voluptati maximæ erit. At ille sine mora intromissus, ex illis se integumentis simulationis evolvit, causam, cur insaniam simulasset, aperuit, negocium, quod volebat, exposuit. Itaque ille deridiculo eos habuit, quibus ludendus tradebatur. Sed ut ad Dominicum, Doctorem Ciajesium vulgo appellatum, veniamus; hic cum in amicitiam Ducis Garavini pervenisset, Dux statim hominis ingenium est odoratus, &, tanquam solum quoddam, existimavit esse, in quo si sementes facta fuisset, magnæ indidem stultitiarum fruges essent proventuræ. Neque eum mentita est seges, sed fructus plurimos extulit. Ac primo, facile illi fuit persuadere, posse se equos alere, quibus Neapoli rheda veheretur, atque etiam equos cum rheda muneri sibi missos. At ille, qui solo vitam pane oblectabat, atque, si is aderat, magnas Deo gratias habebat, cum quod ageret non haberet, quotidie ostiatim cibum equis emendicabat; quem facile inveniebat; quoniam ejus stultitia jam emanarat in vulgus, & ipse, versibus Latinis, quos fundebat ex tempore, ac Juris civilis & Philosophiæ nodis, magna cum sermonis suavitate dissolvendis, mire sibi hominum animos conciliabat. Sed cum jam rhedæ equorumque tæderet, Florentiam se contulit, in magni Ducis aulam facetiis insinuavit, atque a Ferdinando, hujus nominis primo, exceptus est, inter parasitos ac ridiculos homines aulæ. Verum, quia probis erat moribus; nullum enim verbum, nullum ridiculum dictum dicebat, quod turpitudinem aliquam tegeret; & quia Latino sermone perinde ac vernaculo utebatur, traditus est ab eodem Ferdinando liberis suis, ut, illius consuetudine usuque edocti, assuescerent loqui Latine. At, per id tempus, magna illum cupido incesserat, inter Doctores Juris civilis perveniendi, quamobrem Ferdinandum opere orabat maximo, ut, sua voluntate, Pisas ire, eumque ibi honorem sibi adipisci liceret. Ac Ferdinandus, quia existimabat, locum illum honoris pollui, si eum ridiculus homo atque inter ludibria aulæ, quamvis idoneus, adeptus foret, id illi beneficium constantissime pernegabat. Sed cum ejus cupido in dies magis magisque incenderetur,

tur, die quodam furtim Florentia egressus, Pisas se contulit, & ab iis, quorum hæ partes erant, persoluto antea pretio, Juris utriusque interpretandi facultatem coëmit. Nec mora; cum ejus facultatis diplomate, arundini imposito, in asino sedens, ovanti similis, est Florentiam ingressus. Quod ubi Ferdinandus accepit, usque eo commotus est ira ac stomacho, ut vehementes, ad eos, qui illum cooptaverant, literas dederit; in quibus graviter querebatur, quod ausi essent, in suum atque illius Gymnasii dedecus, talis notæ viro eum locum ac numerum dare. Qui responderunt, ignorasse se, quid illic hominis esset; verum, jam diu neminem illuc venisse, eum emtum locum, qui, periculo facto, eo dignior inveniretur. Atque ab eo die cœptus est non alio, nisi Doctoris Ciajesii nomine appellari. Pluribus rerum inanium imaginibus, quemadmodum solent ii, in quibus perfecta est insania, addictus tenebatur; sed non aliis magis, quam galli Indici, quem sempèr in ore habebat, & soricis, quem pluviali indutum Pontificio, cum equitum Hierosolymitanorum insignibus, perpetuo sibi ante oculòs obversari ajebat. Fuit præterea multis aliis summis viris, quibus ridiculi homines erant in pretio, eximie carus; ut Card. Montalto, a Monte, Peretto, qui, me audiente, ridiculorum hominum, quos ad eam diem audisset, primas ei deferebat, aliisque. Sed tandem Neapoli, stipem quæritans, est mortuus, ubi Comitem Montis Regii, cum adeptam illi Proregis provinciam gratularetur, his omnibus eum cognomentis affecit, Illustrissimi, ut Comitem, Celsitudinis, ut montem, Majestatis, ut Regem, Excellentiæ, ut Proregem; hoc enim Proreges titulo cohonestantur.

XXXIV. SEBASTIANUS BERETTARUS.

ERant in ipsis propemodum Societatis Jesu initiis, recenti adhuc S. Patris Ignatii memoria, in quibusdam præstantibus Societatis ejusdem viris, si non magna ingenia, admirabilis tamen, in erudiendis, prima il-

illa puerili institutione, adolescentulis, industria; quam illi industriam, ut alibi de Tursellino ac Brunello diximus, caritatis igne succensi, ad proximi utilitatem conferre statuerant; idque a superioribus, in beneficio & gratia, petebant; atque illi erant gratiosi in concedendo. Itaque, omissis ceteris studiis, habitarunt in hoc uno, videlicet in tradenda juventuti, Latinæ orationis formandæ, via atque ratione. Ex hoc genere in primis fuit Sebastianus Berettarus Florentinus, homo, factus ad id munus: quo, non facile, quemquam me vidisse dixerim, (nam sæpius, discendi studio incensum, ejus me opera contigit uti,) qui planius, scientius, ac melius doceret. Qui cum illud intelligeret, quod persuasum est omnibus, qui aliquem hujus rei gustum habent, Ciceronem esse unum, quem præ ceteris, ad imitandum, adolescentes omnesque sibi proponat; non solum assidua illius lectione eo, studio atque imitatione, intendit, ut divinum illum dicendi scribendique Latine magistrum exprimeret; sed, quo tota illum mente atque animo intueretur, atque ita scribere consuesset ut ille, omnia illius opera, sua manu, descripsit. Id quod a Cicerone ipso, de orationibus Demosthenis, esse factitatum accipimus. Quid igitur accidit? majus quiddam eo, quod de se fatetur Antonius. Ille enim, cum ad libros Græcorum legendos accederet, ita sentiebat, orationem suam, eorum cantu, quasi colorari, quemadmodum coloratur is, qui in sole inambulat: at hic, ex Ciceronis eloquentiæ lumine, in cujus contemplatione ita attente studioseque oculos defixos habebat, non solum scripta sua aliquid coloris attrahere, verum etiam, ad illius similitudinem splendoris, illustria, omnium ad se oculos convertere animadvertebat. Quod ex Pauli Manutii disciplina hausisse videtur; qui, in scribendo, ita suis Ciceronem vestigiis persequebatur, ut existimaret, nusquam pedem, nisi ubi ille posuisset, sibi fas esse defigere. Quæ res minime quibusdam probabatur, qui non æquum esse ajebant, Latini sermonis elegantiam, ex latissimo campo, in unius Ciceronianæ dictionis terminos finesque, concludere. Quamvis in historia non nihil se a similitudine Ciceronis abstraxerit, & ad historicorum imitationem traduxerit; ut apparet ex vita

P. Jo-

P. Josephi Anchiatæ; per quam, in insulis Canariis, Deus admirabilia, ac supra naturæ vires, effecit. Atque, ad tot codices, quos, tum Ciceronis tum suis operibus scribendis describendisque implevit, nunquam dexteram, sed lævam semper manum, adhibuit. Erat enim sinister; sed eadem, celerius ac firmius, quam alii dextera solеant, utebatur. Magna fuit apud summos ac doctos viros existimatione; a quibus sæpe, de rebus ad elegantium literarum studia pertinentibus, consulebatur; & in his, a Jo. Juvenali Ancina, Salutiarum Episcopo, eximiæ sanctitatis doctrinæque viro; ad quem epistolam, a Sebastiano missam, aspexi, eo cultu atque nitore, ut, cum expleri satiarique non possem, centies eam perlegerim. Extrema senectute illud sibi bellissimum solatium relictum esse, mihi narrabat, ut, festis diebus, Basilicam S. Mariæ Majoris adiret, ut vespertinis ibi horis interesset. Nusquam enim eas magis ex animi sui sententia, quam in eo templo, cani celebrarique ajebat. A quo reversus, ut P. Virgilium Cœparium, Collegii Romani tunc Rectorem, mihi dicere memini, jentaculo se reficiebat; quod aliis etiam diebus, cum in opere aliquo se exercuerat, factitabat. Neque in his tantum liberalibus disciplinis, ejus se continebat industria, sed ad alia etiam munera subeunda egrediebatur. Nam & confessiones audiebat, & Collegiis nationum, quæ Patrum Soc. Jesu prudentia & auctoritate reguntur, magno ejus opera usui esse reperiebatur. Denique, plenus annis ac meritis, ut ejus vita, innocentissime acta, nos credere persuadet, evolavit ad Deum; qui nunc illi gratiam pro meritis refert.

XXXV. FRANCISCVS ROGERIVS.

QUi de vitæ genere eligendo consultant, illud sequantur oportet, quod cum ea arte conveniat, cui, ab ineunte ætate, suam operam studiumque tradiderunt; ut, cum aberraverint, non sit illis postea integrum, pedem ab errore deflectere. Sed cum, a Philosopho, certa vitæ ineundæ ratio exquiritur, nihil illi minus conve-

venire arbitror, quam connubium. Nam, quid illi res sit cum corporis illecebris, cujus mens, sublimium rerum contemplationi dedita, peregrinetur in cælo? etenim neque philosophiæ, quam tanquam filiolam amplexari se dicit, satisfacit; neque uxori, cui operam dare jubetur, animum explet. Quod si Franciscus Rogerius, Romanus, sedulo cogitasset (quamquam ille non fuit Philosophus, sed poëta) quantum in re uxoria sit incommodi ad sapientiam, nunquam homo, elegantium literarum studiis deditus, in eas se tricas conjecisset, unde nunquam se explicare sibi fas fuit, neque eam ægritudinem contraxisset, quæ omnem fere illi ex animo hilaritatem extraxit. Noram ego, illum non pueriles solum annos, & adolescentiam, sed bonam etiam virilis ætatis partem, in studiis literarum consumsisse; videram etiam sæpe, ab amicorum societate disjunctum, in aliquem solum locum, meditatum abire; offenderam aliquando, extra portam Flaminiam, vel Collinam, cum libro, & in attenta ejus, quod legisset, meditatione defixum: nulla erat illi, quod quidem animadverti posset, cum muliere aliqua familiaritas consuetudoque, nullus, nisi cum doctis ac literatis viris, usus & amicitia, nullus sermo nisi de literis; nusquam, cum se a studiis abstraxisset, ac paululum solitudinis fastidium cepisset, prodibat, nisi ubi de rebus, ad literarum studia pertinentibus, sermones conventusque haberentur; vestitus modestus, ac propius ad illum accedens, quo utuntur Ecclesiæ ministri. Sed, cum summe expectarent homines, vel, dum ad insigne aliquod sacerdotium eveheretur, vel etiam ad Episcopalis muneris fastigium ascenderet; ecce tibi, levis cujusdam rumusculi odore, ad amicorum, hominum sagacissimorum, nares affertur, Franciscum non inscitam nec invenustam puellam sibi matrimonio junxisse, ut cum ea, vel in ea potius, inferioris arcana naturæ perscrutaretur. Quod, cum aliis novum, aliis mirum, aliis incredibile videretur, incendit studia quorundam, ut odore illo, tanquam leviter presso vestigio, vulpem prosequerentur, hoc est, ad ejus rei caput pervenirent. Sed inanem operam sumserunt: nam ita ille omnes, ad ejus notitiam rei, vias, sua suorumque taciturnitate, tanquam

quam frontibus ac virgultis, obstructas habuit, ut nemini liceret progredi longius. Paucis se in conspectum dabat; ire publica via, verecundabatur; percontantibus de ea re, alia omnia respondebat. Verum, cum jam pulcre uxori venter intumuisset, neque adhuc circuli illi essent inventi, qui, ut nunc sunt mores, mulierum ventres ambiendo, vestesque ab iis removendo, eorundem inflatus tumoresque celarent, cumque ad pariendum vicinæ esset obstetrix accersenda, nutrix, quæ illi, quod peperisset, mammam daret, invenienda, aliaque multa paranda, quæ sint necessaria puerperæ; cum, inquam, instarent hæc omnia, se ex illis integumentis dissimulationis tandem evolvere, ac maritum est fateri coactus; ita tamen, ut prudentis in eo sibique displicentis animi signa aspiceres. Jam vero, cum in re familiari non ita ampla atque lauta esset, necesse habuit petere auxilium ab eo, cujus patruum, suis ipse carminibus in cælum extulerat: a quo donatus est facultate interpretandi, in Gymnasio Romano, morales Aristotelis libros; sed non ita magno cum stipendio. Quod munus, ut poterat, obeuntem vita defecit. Erat vir probus, mitis, modestus, fugitans litium, non pertinax, non iracundus, suavis amicis, nemini molestus. Et, quamvis in aliis liberalibus disciplinis ac præsertim in Jure civili, non esset indoctus ac rudis, poëticæ tamen facultatis laude præstabat: ad quam, a natura, præsidii non minimum habuit; ut plura de eo, dispersa, nec in unum corpus collecta, monimenta loquuntur; illudque in primis carmen, quo Urbanum VIII Pont. Max. laudavit. Verum, ad id studium, de quo dicimus, velis, ut ajunt, remisque contenderat: ut autem in Græciam navigaret, atque, ab Aristotele aliisque magistris, Philosophiæ præceptis institueretur, ne a portu quidem navem solverat, nedum ut longo scopulosoque evectus mari, earum regionum fines attingeret. Sed cum, necessitate cogente, ad egestatis terminos se compelli sentiret, neque ab Apolline Musarumque choro quidquam, nisi delicias meras, quæ ventrem non implent, neque quidquam rem familiarem adjuvant, acciperet; coactus est, ejus domini, quem diximus, opem implorare, eique, supplicibus verbis expo-

ponere, facile rebus suis egenis, ac propemodum perditis, subveniri posse, si locum aliquem ac numerum, inter portitorum aliorumque telonariorum ministros ac famulos, obtineret. Tantum non rogabat, ut bajulis adscriberetur, qui in portibus aliisque locis, ubi vectigal solvitur, ligandis, volvendis solvendisque sarcinis, suas operas locant. Cui ille, Invenisse me, inquit, arbitror, quemadmodum res tuas, dubias impeditasque, certissimas & expeditissimas reddi posse existimem, ac Philosophiam moralem, in Gymnasio Romano, auditoribus trade; hic enim locus, superioris magistri morte, relictus inanis ac vacuus, dignus est, quem, tua doctrina atque sapientia, impleas; teque stipendium, tuis æquum laboribus, consequetur. At Rogeris, Ludis me? ait; egone audeam eam artem alios docere, cujus ipse sim funditus expers ac rudis? Tace, inquit ille, inepte; abi, ac strenue in id studium incumbe; nam vix mensis intercedet, cum summus philosophus fies. Quid multis opus est? cogebat hominem præposterum fieri. Nam prius est discere, quam docere. Sed, ne a Francisco Rogerio longius declinet oratio; ille, quem tantopere pudebat uxoris, ut aëri, si fieri potuisset, celatum esse vellet, connubium cœlibi vita potius sibi fuisse; simul ac masculam ex ea prolem accepit, quam suo seminio impertitus fuerat, ita repente omnibus lætitiis incessit, ut nulla eidem major voluptas esset, quam, infantem puerum in sinu gestare, osculari, quasi pompam, hac illac circumducere, Mathematicos adire, orare, mercede etiam operam illorum conducere, ut modum inspicerent, quo cælum affectum sideraque composita fuerant, cum puer primum spiritum duceret, ex eoque ejus fata canere non dubitarent, quem magnum virum fore, ingenitus parentibus in filios amor vaticinabatur.

XXXVI. LEPIDVS PICCOLOMINEVS.

DOcte eleganterque a non nemine dictum est, optimum cujusque ingenium, fertilis agri similitudinem ac simulacrum habere. Nam, quemadmodum ager ille, si a cultoris industria non deseratur, multo plus reddit, quam acceperit; ita fœcundum hominis ingenium, si exquisiti cujuspiam magistri diligentia accedat, qui liberalibus eum disciplinis atque artibus excolat, uberrimos ex se fructus ac præstantissimos efferet. Quid mirum est igitur, si Lepidus Piccolomineus, Senensis, tantos in Jure civili progressus fecerit, cum in Fabii Benvoglientis, ea tempestate, legum antistitis, disciplina fuerit educatus? Huic summo, omnium confessione, magistro, simul ac ex grammaticorum ac rhetorum scholis excessit, præstantissimum ingenium suum, tanquam agrum, prima illa puerili institutione novatum iteratumque, juris scientiæ seminibus quasi conserendum tradidit. Quæ semina, ingenii gremio excepta atque conclusa, celerius multo, quam in aliis soleant, sese effuderunt; adeo ut, non subsequi, sed magistrum præire videretur. Sed, quod mirabile est, non tamen hæc semina, ut in præcocibus ingeniis sæpe contingit, exierunt in herbulas, quæ, spicas imitatæ, ante messem flavescunt, sed, penitus immissis radicibus, in solidas ac perductas ad maturitatem fruges evaserunt. De hoc homine narrabat mihi Jo. Franciscus Fagnanus I. C. singularis & Congregationi Sac. Concilii Tridentini ab arcanis, cum Senis esset, eam a se in Lepido Piccolomineo vim doctrinæ animadversam esse, ut, pluribus audientibus, dixerit, eum, si Romam se contulisset, ob eximiam excellentemque Juris civilis scientiam, summum, in ejus aulæ advocatis, nomen habiturum, si vero ad capessendam Remp. animum adjecisset, ob morum probitatem suavitatemque, & summam amplitudinem esse perventurum. Neque aliter res cecidit, atque opinatus fuerat. Nam cum jus civile in patria interpretaretur, intelligeret-

que

que, theatrum illud angustius, quam suæ virtutes poscerent, esse, Romam venit; ubi ejus ingenium, in quadam causa, simul perspectum & probatum est, tum avide expetitum, a viro principe, cui erat summa, in omnes Ecclesiasticæ ditionis magistratus, auctoritas & imperium a Gregorio XIII Pont. Max. demandatum ac traditum. Sed eo, non ita multis annis interjectis, exstincto, spes Lepidi omnes ad Jo. Baptistæ Cardinalis Castaneæ domum, unde secundus flatus ostendebatur, vela dederunt. Delectabatur mirifice Cardinalis ille eruditione ejus atque doctrina, in eaque magnum sibi esse usum, & ad causarum cognitionem, & ad legum intelligentiam, experiebatur. Quarum ita ille legum capita ac numerum noverat, ut, si, cum una studiis operam darent, legis cujuspiam, sive in Pandectis sive in Codice Justinianeo contineretur, inspiciendæ necessitas cogeret, ejusque inveniendæ causa Cardinalis ad indicis opem confugeret, vetaret ille: ac, Mane, ajebat, mox ego hunc tibi laborem perquirendi faciam lucri: apertoque libro, continuo ea se illi in conspectum, quæ erat in quæstione, lex dabat. Sed ipsemet aliquanto post sensit, id ad se neque prudenter neque ex optimis moribus fieri, quod, contra sapientis præceptum, videri se vellet, plus quam dominum, sapere; erroremque correxit. Prospero ac flante ad voluntatem vento, ejus, quo cursum intenderat, navis ferebatur; cum alia Spiritus Sancti aura, ex adverso exoriens, quem cursum navis tenebat, mutare, ac in longe diversas regiones dirigere compulit. Nam, divino afflatus Spiritu, cœpit ipsemet secum cogitare, ac diligenter expendere, levitatem, inconstantiam, vanitatem, earum rerum, ad quas omnibus, ut ajunt, velis remisque contenderet, utque sæpius plures dolendi, quam lætandi, causas afferant; contra, ea, unde iter averteret, quam essent certa, stabilia, nunquam fallentia, nullisque casibus obnoxia. Quæ cogitatio, cum ejus in animo acriter vehementerque pugnaret, fecit primum, animi ut incertus esset, ambitione, ac rei familiaris augendæ studio, an cogitationi illi obsequeretur magis, quæ aderat, instabat, urgebat; ut, tutiori navigio atque aura vectus, ad portum æternæ salutis conaretur appel-

 le-

lere. Sed vicit tandem cogitationis illius æquitas, ac salutis suæ ratio; ad quam, hoc tam infesto periculosoque mari ut navigaret, ex exigua putrique cymba in tutissimam munitissimamque, adversus prædonum impetus, Societatis Jesu navim se contulit. Sed nulla navis est tam magna, tamque munita, quam maritimi fluctus aggredi, ac prædonum classes oppugnare, non audeant, ut etiam ex propugnatoribus aliqui, undarum vi pulsi, dejiciantur in mare, vel, a prædonibus capti, in servitutem abripiantur. Quamobrem Lepido, in hac etiam navi, non semel periculum fuit, tum a fluctibus, tum a maritimis furibus; ab illis, ne, raptus atque obrutus, in profundum abstraheretur; ab his, ne, captus, æternis vinculis tenebrisque mandaretur. Primum, cum perlatum ad illum est, Cardinali Castaneæ, a Patrum amplissimorum Senatu, Pontificatum Max. demandatum fuisse. Tum enim, sæva, illius in animo, tempestate, a spe, quam dimiserat, oborta, parum absuit, quin ab ea opprimeretur. Itaque a P. Claudio Aquaviva, tum Soc. Jesu Præposito generali, in beneficio & gratia petiit, ut paululum ab Urbe recedere, & dies aliquot Tusculi sibi esse liceret; quod vereretur, ne Romæ, multa audiendo videndoque, auribus atque oculis veteres honorum opumque cupiditates excitarentur, suumque actioris vitæ propositum consiliumque despiceretur. Sed brevi, tam sæva tempestas, celeri Pontificis morte sedata est, & tranquillitas summa successit. Deinde, ab iracundiæ æstu se nonnihil abripi, & in portu turbari permisit. Unde ferme Societatem deseruisset; quantumvis in ea, ob excellentem doctrinam, fieret ab omnibus plurimi, & moralem Theologiam in ipsorum Gymnasio docendi munus accepisset, ac tum præsertim magno esset apud omnes in honore, quod, cum de Archiepiscopo Senensi in demortui locum subrogando ageretur, ipse a Ferdinando, magno Etruriæ Duce, in primis expeteretur. Sed a me, quem patria caritate complectebatur, rationibus victus, atque ad se reversus, sententia destitit, ac provinciam, sibi mandatam, laudabiliter, usque ad vitæ exitum, gessit. Qui exitus, celerius illi multo, quam ætas posceret, contigit, (nondum enim ad quinquagesimum vitæ suæ annum

num pervenerat,) ob inexplebilem discendi cupiditatem; cum nullum sibi tempus, a literarum studiis vacuum, daret.

XXXVII. FABIUS SERGARDIUS.

QUamvis natura comparatum sit, ut, ex infinita pene hominum multitudine, alius aliam rem, in qua se exerceat, occupet, ad eamque animum & cogitationem suam adjungat, nimirum hic ad litterarum, ille ad militaris vitæ studia se conferat, hic in mercatura, ille in agrorum cultione se vortat, alii in rerum naturalium caussis exquirendis, alii in corporibus curandis, totos se collocent; denique, prout varia sunt hominum ingenia, unusquisque in eo elaboret, ad quod majora se a natura adjumenta habere intelligit; nam pessime cum hominum genere actum esset, si unum omnes æque studerent, & reliquarum rerum voluntates & curas abjicerent: quamvis, inquam, hæc ita sint ut dicimus, nec mirum videri debeat, si unus in una re magis, quam in altera, toto pectore atque omnibus nervis incumbat; tamen in Fabio Sergardio, Curtii Senensis filio, non levis iis, qui eum noverint, quærendi cura injicitur, quid sit, cur Roma, orbis terrarum arce, relicta, in qua natus, altus, doctus educatusque fuerat, Senas se contulerit, ibique ætatem agere, ingenii sui vires expromere, ac vitam finire statuerit. Erat in homine ingenium, ad omnia summa natum, Juris civilis scientia, multæque præterea literæ, generis claritas, cum omnibus fere nobilitatis Romanæ familiis arcta cognationis affinitatisque necessitas: nam parens sua, Martia, ex vetere nobilique Rusticorum genere originem duxerat; quod, aliquot ante annos, quæ est rerum omnium humanarum conditio, ut omne, quod ortum sit, mortalitas consequatur, una cum Francisco Rustico, ultimo ejus familiæ, prorsus extinctum, evanuit. Quamobrem, tot auxiliis sublevatus, poterat, per gradus magistratuum ascendens, ad honores maximos pervenire; quorum honorum cupiditas,

 pro-

prope innumeros, ex omnibus orbis terræ partibus, Romam semper attraxit, qui, nulla extrinsecus ope adjuti, suopte ingenio perquam latos sibi, amplissimos ad honores, aditus aperuerunt: & tamen voluit in eorum numero esse, quos quidam, in somnis laborare, dixit; cujusmodi sunt ii, qui honores in municipiis quærunt. Nam, & Senis, publice in Gymnasio, Etruscæ eloquentiæ præcepta tradidit; tum, vicarius Archiepiscopi illius partes gessit; quod munus administrantem, vita defecit. Marcello Vestrio Barbiano vita functo, qui Fabii materteram in matrimonio habuerat, quique Gregorio XIV, Clementi VIII, & Paulo V, summis Pontificibus, a brevibus fuerat, legi schedulam illius manu scriptam, ubi, tanquam si jam Cardinalis factus esset, (quod & fieri potuisset,) totam familiam descripserat, quibusque illi libitum fuerat, singula ejus munera distribuerat; ac Fabio epistolas Italice, mihi Latine scribendi partes assignabat; quo consilio, nescio. Sed mors omnes illius rationes subvertit. Nam, & Cardinalatum illi intercepit, & duorum labori hominum, mei Latinas, Fabii Italicas epistolas exarandi, pepercit.

XXXVIII. HIERONYMUS LAMPUGNANUS.

QUod in ore vulgi & in communibus proverbiis prope versatur, ex omnibus præstantissimis artibus, quibus optima hominum ingenia studium suum atque operam tribuunt, Juris scientiam in primis esse frugiferam ac fructuosam, præter multos, quos, ex nulla vel tenui re, quotidie, ab hujus artis studio, ad maximas divitias pervenisse videmus, ostendit Hieronymus Lampugnanus Mediolanensis, Subdiaconus Apostolicus: qui, ubi primum ad Philosophiæ ac Theologiæ studia operam suam contulerat, atque etiam eas aliis doctrinas publice tradendi facultatem acceperat, cum, nullum ex iis fructum utilitatemque se percepisse, animadverteret, nisi ut in scholis, aut in publicis disputationibus, garriret, iis omissis, se ad juris prudentiam transtulit. Qua pla-

plane percepta, ejus interpretandæ docendæque potestatem adeptus; unde sperabat, labores, quos in ea, tanquam in fœcundo ac fertili solo, quasi semina collocasset, magno sibi cum fœnore proventuros. Quæ spes ne ipsum falleret, sed quam celerrime ex sententia procederet, noluit expectare, dum, a litigantibus, de jure consuleretur; quod, nisi post longum tempus, non solet accidere; neque voluit apud minores magistratus, hac illac concursando, pro reis causam dicere, quod laboris habet multum, utilitatis parum; sed, magis compendiaria ad pecuniam faciendam via, statuit, domi ociose adolescentibus, qui ad studium juris prudentiæ ingrederentur, facilem ad illud aditum aperire; atque Justinianeas juris civilis Institutiones, mercede, interpretari. Verum, ut se doctorem ac magistrum, ex hominum, qui illum non nossent, ignoratione, tanquam integumentis, evolutum, ostenderet, dedit operam, ut in Gymnasio Romano jus civile gratis interpretaretur. Quod illi non fuit difficile impetrare. Et, quo, studio majore, auditores, suas ad scholas, tanquam, ad mercatum juris prudentiæ, concurrerent, edictis propositis populum admonuit, se tali die initium docendi facturum; omnesque præterea, quotquot noverat, invitavit; ac me quoque, gratiæ scilicet causa, secum adduxit. Sed repente, tantus hominum concursus factus est, tam magni clamores editi, ut, nisi turba opprimi vellem, nisi exsibilantium vocibus obtundi, necesse mihi fuerit, ex illa concione, in quam me immiseram, tanquam ex aliquo jactato adversis tempestatibus mari, emergere, meque in Ædem D. Jacobi proximam, quasi in portum, recipere. Non cessavit deinde, statis ad docendum diebus, scholas habere; ad quas accedebant adolescentes plures, ejus disciplinæ studiosi, tum ab amicis, tum a Patribus Soc. Jesu missi; a quibus domum, honoris gratia, reducebatur, & in via interrogabatur de iis, quæ in schola tradiderat; quæque minus ipsi intellexerant, explicando docendoque faciebat illis satis. At, ubi sensit, se in possessione docendi constitisse, inanem illam publice jus civile tradendi operam laboremque contemsit, cœpitque domi, mercede, docere. Ac mi-

mirum dictu est, quam multi adolescentes, nobiles ac divites, brevi ad illum tempore in disciplinam convenirent; quod id studium necessarium sit iis, qui forum, aulam, & honores meditantur. Auxit etiam opes parsimonia; quæ admirabilis in eo fuisse narratur: auxit contubernii magisterium; nam contubernales domi plures alebat, sed ad mercedis, quam ab ipsis capiebat, rationem, quæ erat magna, satis parce ac tenuiter; adeo ut, quod Sabbato piscium, vel die Jovis carnium, supererat, aceto, aliisque condimentis, a putredinis injuria tuebatur, ac suo deinde tempore, convictoribus suis, tanquam delicatum aliquod edulium anteponebat. Et, cum, die Jovis, puls quædam panis obtriti, ex jure, esset allata, eamque omnes repudiassent, quæsivit, Quidnam ea igitur fiet? cui, non irridicule, respondit unus, Quid rogas? condiatur, ut proximo die Dominico, pransoribus in prandium proferatur. Pecuniam autem, quam cogebat, non sinebat, in arca inclusam, apud se operam perdere, sed usura centesima locabat. Sed, quia sæpenumero fit, vel, ut debitorum improbitate, qui per dolum assimulant, se decoxisse, vel morte eorum, quorum vitæ periculo pecuniæ fœnori dantur, sors & fœnus una depereat; contigit, ut noti cujusdam decoctoris fuga, una cum multis, hoc eodem calamitatis jure comprehensus sit, & millia aliquot aureorum amiserit. Quæ jactura tantam ægritudinis vim in eum invexit, ut, ab eadem de mentis statu dejectus, menses aliquot hellebore curandus fuerit. Atque ad hanc eandem ægritudinem non minimum contulit, consilium, quo, paucis ante diebus, schola contubernioque dimisso, se in Trivultii Cardinalis ac Principis aulam dederat, ut esset illi a cognitionibus. Intelligebat enim, ingenti illo lucro, quod ex utraque re percipiebat, se esse privatum. Sed paulo post correxit, quod præviderat minus. Nam, aula valere jussa, rursus ad eas artes, a quibus discesserat, sese recepit, in eisque, usque ad ultimum vitæ spiritum, permansit. Quo tempore, cum congregationis nostræ Sodales, in quibus ille una erat, plures coissemus, ut in vinea quadam essemus de symbolis, jamque alacriter prandium iniissemus, P. Franciscus Carettonius, qui tum
So-

Sodalitati præerat, nescio quid, per jocum, dixit; quod ille, secus ac prolatum fuerat, accipiens, vix se continuit, ut postea mihi ipse narravit, quin cultrum, quem habebat in manibus, ejus pectori infigeret. Unde licuit mihi colligere, quantum periculi sit, ei, cui parum mens constet, se committere. Vix ex eo morbo, quo fuerat correptus, convaluerat, cum sum donatus ab eo, uno ejus libri, quem ediderat, exemplo; qui liber hoc titulo erat inscriptus: *Hieronymi Lampugnani I.V. Philosophiæ, ac sacræ Theologiæ Doctoris, compendium introductionis ad Justinianeas Institutiones, de ratione studendi in utroque Jure.* Cum denique, anni cIↃ IↃ C XLIV hyemis sævitia, quæ multos mortales afflixit, quæque senibus solet esse incommoda maxime, magna eum pituitæ oppressum vis sustulit. Societatem Jesu, præcipua quadam caritate, complexus est; sicut & vivus multis ipse rebus ostendit, & in morte sua, testamento, declaravit. Nam domum professam Societatis ejusdem, quæ Romæ est, reliquit hæredem ex asse.

XXXIX. GERARDUS VOSSIUS.

SI dignus est quispiam, cui omnes ad Christi judicis misericordiam aditus intercludantur, eo quod vitam, ex virtute majorumque institutis, non exegerit; profecto is ego sum, cui ad domesticam disciplinam accessit etiam institutio, atque exemplum, optimi doctissimique viri, Gerardi Vossii; qui ob vicinitatem Xenodochii Teutonicorum, quod erat prope ab meis ædibus, me puerum, quotidie templum ejus nationis frequentantem, patria pene caritate complexus est, & a cohortationibus suis nunquam deseruit. Atque, si recte memini, id illi cum parentibus meis, quibus maxime erat cordi, conveniebat, ut summa daretur opera, quo in officio continerer, perficereturque, ut, ne primoribus quidem labris, gustarem genus vitæ liberioris, & extremis, ut dicitur, digitis attingerem, quod difficile esset ei, qui semel paruerit voluptatibus, ab earum se imperio in

libertatem vindicare, atque animum ad virtutem adjungere. Itaque, cum ea mihi semper probitas, integritas, pietas, sapientia, ante oculos esset, cum ejus frequenter præceptis instituerer atque formarer, mea culpa fuit, si nihil profecerim, si nihil ex ea indole hauserim. Verum, atque animus ephebis ætate exiit, ac diligenter in ejus vitam ac mores inspicerem, cœpi egomet mecum cogitare, quid esset causæ, cur illi, qui semper fuisset exemplum probitatis, innocentiæ, virtutumque omnium, qui omnium divinarum humanarumque rerum scientia ita præstaret, ut neminem sui ævi metueret, cum ita Græce loqueretur, ut ejus oratio Athenas ipsas olere videretur, ita tamen fortuna esset usus adversa, ut nunquam ex eo statu, in quo a fortuna collocatus esset, potuisset emergere, ac procedere opibus & honoribus longius; cum tam multi, nullis virtutibus præditi, nullis doctrinarum præsidiis muniti, nulla innocentiæ fiducia fulti, contra, summa turpitudine obliti, ad honores & imperia niterentur. Sed nihil mihi veniebat in mentem, nisi, divino consilio id fieri, ne assuescerent homines, ob res fluxas atque caducas, quas sibi viderent cum improbis esse communes, virtuti operam dare, eamque divitiarum & honorum pedissequam facere. Quæ virtus, ut sapienter M. Antonius orator apud Tullium inquit, & semper & sola libera est, quæque etiam, si corpora capta sint armis, aut constricta vinculis, tamen suum jus, atque omnium rerum impunitam libertatem, retinet. Magna semper fuit, apud homines doctos, existimatione atque honore; multos S. R. E. Cardinales, literatos viros ac probos, arctissima habuit familiaritate conjunctos; sed Card. Sirleto in primis usus est familiarissime. Fuit etiam summis Pont. ac Gregorio XIII præ ceteris, eximie carus, denique bonis omnibus acceptissimus; qui, ejus morte, damnum Romanas ac Græcas literas fecisse, testati sunt. Plura ex Græcis Patribus in Latinum sermonem convertit, atque inter cetera S. Jo. Chrysostomi orationem encomiasticam in principes Apostolorum, Petrum & Paulum; quam etiam doctissimis commentariis illustravit: quos commentarios elegantissima, ad Urbem Romam, apostrophe, peroravit atque conclusit.

Me-

Meminit etiam, in iis, Cardinalis Sirleti, cui divinam rerum lectarum memoriam, & cujusvis generis antiquorum librorum notitiam, tribuit. Per Vossium etiam S. Ephræm Syrum, Latine loquentem, legimus.

XL. LÆLIVS GVIDICCIONVS.

MAgnum ingenium, quo natura, rerum omnium parens, Lælium Guidiccionum, patricium Lucensem, donavit, non ille incultum desertumque reliquit, sed, statim ab ineunte ætate, optimarum artium studiis, omnique liberali, & digna homine nobili, doctrina, excoluit. Sed, cum virtutis & ingenii vis tanta, in Reip. multis maximisque provinciis administrandis, florere deberet, quemadmodum olim duo illa, non Lucæ solum, sed orbis etiam terræ lumina, Bartholomæus & Joannes, fecerant; caruit omnino muneribus publicis, sive temporum injuria, sive aulæ vitio; quæ sæpenumero, in mandandis honoribus, bonis prætermissis, eorum præmia indignis defert; sive animi illius judicio, ut, remotus a studiis ambitionis, otium & tranquillitatem vitæ sequeretur. Quæ res eo admirabilior videri debet, quod ea indoles ac materies, in ipso ætatis flore, in eam domum incideret, e qua fere nunquam Paulus V, in eligendis summis magistratibus, exibat, tanquam si, quidquid esset, in toto orbe terrarum, gravitatis, sapientiæ, ac vitæ splendoris, in ea domo contineretur: incidit, inquam, in aulam Scipionis Card. Burghesii; ex qua, cum nihil Lælius reportasset, tanta tamen fuit in homine gravitas, tanta animi constantia, tanta virtus, quæ nullam sibi propriæ utilitatis rationem, sed solum honestum, propositum esse ostenderet, ut, cum, Pauli V morte, omnes Cardinalem amici, omnes noti, omnes fere familiares, ut fit, deseruissent, solus ille unicum amoris, observantiæ, ac pietatis exemplum, in fide permanserit, neque ulla vi alia, nisi Cardinalis ejusdem morte, se passus sit, ab eo divelli. Erat ingenio admirabili, eloquentia summa, & in persequendis, tum suo tum alieno nomine, officiis, accuratissimus diligentissimusque. Verum cum anno cIↃ IↃ C XXX, magnus Etruriæ Dux, una cum

Jo. Carolo fratre, Romam, pietatis ac religionis ergo, venisset, ac magnificentissimam eam villam, quam Cardinalis extra portam Salariam extruxerat, invisurus esset, missus est illuc Lælius, ut Principes illos, plena eloquentiæ atque observantiæ oratione, exciperet, eisque signa ac tabulas pictas, quibus ea villa referta est, & artificum nomina, demonstraret. Sed vir, ita ingeniosus, ita eloquens, ad solum Principum illorum aspectum, obstupuit, obmutuit, nec verbum ullum, ineptum saltem, proloqui potuit; ac, nisi magnus Dux, qui eum exanimatum videbat, prior loqui occupasset, perpetuo, in eo stupore & taciturnitate, hæsisset. Sed vix id illi mors vinculum, unde nunquam eximi voluerat, rupit, cum nova conjunctio novusque nexus exoritur. Nam arcta eum sibi familiaritate copulavit atque constrinxit Antonius Cardinalis Barberinus, Urbani VIII fratris filius; qui eum postea insigni sacerdotio, quod Canonicatum vocant, in Æde Deiparæ Virginis majori, aliisque officiis beneficiisque, decoravit. Neque se domo & familiaritate illa indignum præstitit: neque Cardinalis, in eo exornando, se operam perdidisse cognovit; nam magnum illud Lælii volumen, quod eruditorum manibus teritur, Rhythmorum, aliorumque operum, tum soluta oratione, tum versibus, multorum ab eo annorum labore & industria elaboratum atque perfectum, suo inscriptum nomini, in lucem emissum, aspexit. Quod suum nomen, libro illi commendatum ac traditum, minus quam si in aliquo ære vel marmore insculptum esset, imbrium vim, tempestatum impetus, temporis injuriam, pertimescet, neque alio casu, nisi communi orbis terræ ruina, in interitum ruet. Sed, cum Philosophiæ, Theologiæ, omnique elegantium literarum studio, deditus fuit, tum majore a natura studio est ad poëticæ facultatis gloriam abstractus; ad quam, mira etiam adjumenta, ab eadem natura, a qua impellebatur, obtinuit. Fuit poëta, elatus, sublimis, gravis; quique admirabilem etiam suavitatem haberet adjunctam. Quæ duo, pene inter se diversa, ita in eo copulabantur, ut neque gravitas suavitate minueretur, neque suavitas, orationis sublimitate, excluderetur. Omnibus Latinis

poëtis longe Virgilium anteponebat, summis in cœlum laudibus efferebat, & a calumniis hominum vindicabat. Cujus etiam Æneidos sex libros in Etruscum sermonem convertit, nec convertit ut interpres, sed ut poëta, sententiis iisdem, & earum formis, tanquam figuris. Poësin etiam Latinam attigit; nec in ea se ipso inventus est minor. Nam scripsit elegantissime, ut apparet ex iis, quæ ab eodem scripta circumferuntur. Sed mihi videtur, in epigrammatibus, lepide, breviter, arguteque concludendis, multis, qui in hoc genere carminis elaborarunt, præstitisse. Legi ego, in Theatro Eleonoræ Baronæ, cantricis eximiæ, in quo omnes hic Romæ, quotquot ingenio & poëticæ facultatis laude præstant, carminibus, tum Etrusce tum Latine scriptis, singulari ac prope divino mulieris illius canendi artificio tanquam faustos quosdam clamores & plausus edunt; legi, inquam, unum Lælii epigramma, ita purum, ita elegans, ita argutum, ita venustum, prope ut dixerim, nihil me vidisse, in eo genere, elegantius neque politius. Incredibili tabularum studio & cupiditate flagrabat; adeo ut, in illis comparandis, nulli neque labori neque sumtui parceret; ex iisque insignem domi suæ Pinacothecam instruxerat, in quam, summa ambitione, omnes, sive cives sive hospites, introducebat; ipse erat uniuscujusque demonstrator, ipse laudator, ipse memoria, omnium eorum artificum nomina repetens, quorum eas manu depictas ajebat; atque, has Michaëli Angelo Bonarotæ, has Raphaeli Sancio Urbinati, has Perino Vago, aliisque, qui longe omnibus, pingendi arte, præstiterunt, tribuebat. In quo, ut insignem quendam pictorem dicere audivi, qui sæpius eas attente consideraverat, mire se decipiebat, vel ab aliis, qui eas illi carissime divenditas obtruserant, deceptus, errabat. Quo in errore, usque ad extremum vitæ, permansit. Nam unam quandam ex eis tabulam, quam Raphaëlis esse ajebat, Basilicæ Vaticanæ legavit, quæ, ad sepulcrum Urbani VIII, Pont. Max. affixa, conspiceretur: quam cum locus non admitteret, Canonici in sacrario, aurata inclusam theca, collocarunt. Omnem propemodum aurium usum amiserat, quod pituita, a capite defluens, omnes pene obstructos ad eas aditus ha-

be-

bebat. Celeri, ac repentina prope, morte deperiit, ob magnam vim sanguinis, quam pridie, vel biduum ante, sibi mittendam curaverat. Plures B. V. Ædes, heredes testamento reliquit.

XLI. BALDUINUS DE MONTE.

IN hoc, naturam inter & fortunam, ut usitato hominum more loquar, certamen fuisse videtur; illa ut, quibuscunque eum posset bonis, ornaret; hæc ut ludos eum faceret, vel tanquam pilam potius haberet, ac miseris modis, quamcumque vellet in partem, impelleret. Ac primum, ad naturæ dona quod attinet; natus est Urbe veteri, summo genere, ex Simoncella nimirum familia, in primis honesta & clara; nam in eam, De Monte, adoptione pervenerat. Forma fuit egregia, ut omnes inter se corporis partes, cum quodam lepore, consentirent. Ingenium habuit, ad omnes res aptum; tum ad pacis, tum ad belli artes mirifice factus. Etenim a Ferdinando, magno Etruriæ Duce, ut ille apud Homerum Phœnix a Peleo patre Achilli juveni, datus est Francisco filio, qui Cardinalis futurus fuerat, & bene faciendi & recte dicendi magister: ac multos post annos, a Ludovico Cardinali, fratris Zagarolæ Ducis, lateri custos est additus, ut ejus adolescentiam, optimis moribus ac disciplinis instrueret. Verum, ob singularem dicendi suavitatem & copiam, qua præstabat, ab eodem Ferdinando, magno Duce Etruriæ, tanquam adminiculum quoddam, datus est Marchioni Maximiliano Conzagæ, quem, ad Mathiam Cæsarem, oratorem mittebat, ea conditione, ut, si ille, quod mandatum fuerat, minus exequi potuisset, ipse continuo, ejus vicarius, muneri succederet, atque omnia oratoris officia persequeretur. Aliisque deinceps temporibus, ab illis magnis Ducibus, ob egregiam excellentemque, omnium politissimarum elegantissimarumque artium scientiam, honorifice est in ipsorum aula habitus. Quorum Principum beneficentia, vacui ac liberi temporis multum adeptus, plura, tum soluta oratione, tum versibus, elegantissime dulcissimeque scripta,
ad

ad communem attulit fructum, atque, ad immortalem sui nominis famam, in aspectum lucemque omnibus protulit. In quibus liber ille numeratur, in quo optimi præstantissimique Antistitis forma & character exprimitur. Adamatus est etiam plurimum a Carolo, Mantuæ ac Montisferrati Duce, ob easdem corporis animique dotes; & ab eodem sæpius Romam, cum mandatis, missus ad Urbanum VIII Pont. Max. quicum, ob excellentiam ingenii, ac frequentes de literarum studiis sermones, etiam tum Cardinali, magnum illi usum amicitiamque intercessisse, non ignorabat. Neque prætermisit Urbanus, veteris consuetudinis memor, ac suavissimis illius sermonibus illectus, eum invitare, ut vellet apud se esse. Atque utinam induxisset animum, Pontificis amicissimi invitationibus acquiescere. Non enim, in eam fraudem delapsus esset, unde famæ vitæque suæ exitium ac pestem invenit. Formæ autem bono, quo nil fragilius, neque inanius, mulieres plures in sui amorem attraxit; nec minus ipse multas amavit: in quarum amore quam multa odiose, jocose, ac juveniliter fecerit, referremus, nisi ad majora ac potiora festinaret oratio. Sed nullo modo consilium est, præterire facinus quoddam ex amore ab illo inchoatum in ea urbe, ubi tum ætatem degebat, & ab altero, qui ipsi in amore successerat, absolutum atque perfectum. Amare cœperat, contra jus fasque, virginem, Deo sacram; a quo non solum nos manus, verum etiam oculos, abstinentes habere, jura omnia clamant. Sed erat forma & vultu, adeo eleganti, adeo venusto, ut lapides etiam posset, ut se amarent, adigere. Erat enim ab unguiculis ad capillum summum festivissima; ac, suæ sibi pulcritudinis conscia, non eam contemnebat, sed, artis auxiliis convocatis, augere studebat. Nam, paucis illis capillis, qui ex temporibus pendebant, cosmoticis medicamentis, aureum colorem inducebat, calamistro cincinnulos addebat, in aures, armillas, auribus bracchiisque gestabat, torques, ex baccis rotundioribus factos, & ad pectus usque defluentes, collo commendabat: quæ omnia, virtute formæ eveniebat, ut quam maxime illam decerent: præterea, citharizare & cantare ad chordarum sonum, doctissima, iis, qui non satis parati,

ti, ad cavendum fuissent, omnem virtutis modum deturbabat ex animis. Quamquam Balduinus, ut postea declaravit eventus, non tam eam libidinis, quam honoris gratia (erat enim nobili genere nata,) amaret & coleret. Nam, cum ejus ad aures pervenisset, Gregorium XV, qui tum Pontificatum max. gerebat, Cardinalis Ludovisii fratris filii opera, Romæ, Vaticanam Academiam instituisse, in qua, præcara totius Italiæ ingenia se exercerent, magnam sibi ingenii ostendendi, & eruditionis declarandæ, occasionem esse oblatam existimans, amorem ambitioni gloriæque posthabuit, ac Romam iter adornavit; sed, discedens, amores amico cuidam suos commendavit, eidemque mandavit, ut illis, si quid ab ipso opus esset, suppeditaret, nec ulla in re deesset: tum, valere virginem jubens, Hunc tibi amicum meum, inquit, pro me, tantisper dum absum, substitui, qui omnibus in rebus præsto erit; eo igitur, tanquam me, utere; ejus enim operam tibi maxime ex usu esse reperies. At ille primo, amici rem mandatam gerere, nunquam fere, nisi re necessaria coactus, ad illam accedere, fines mandati non egredi; tum, paulatim ejus forma impulsus, ejusque amore, supra quam dici potest, incensus, (utpote qui sibi magis esset, quam Balduino, amicus,) suum agere negotium cœpit, atque blandiciis, muneribus, & formæ, qua præstabat, bono, intimum se apud eam virginem fecit, & causatus voculæ suavitatem, & mirificam canendi illius artem; ab ejusdem adspectu colloquioque, quo suos illi amores, lacrimans, titubanti animo & pectore, eloquebatur, pedem nusquam referebat. Sed admonitus, atque etiam prohibitus, ne illuc accederet, adeo admonitionibus & objurgationibus illis non est deterritus, neque cohibitus, ut, majori amoris impetu percitus, insidiis, auroque, cui non potest obsisti, claustra illa pudoris pudicitiæque perfregerit, & ad intimum virginis cubile pervenerit. Quæ virgo, quia non nollet facere cum eo mutuum, a quo tantopere se diligi & amari sentiebat, quasi alterum Leandrum, infesto periculosoque jactatum mari, suum in complexum, tanquam in portum, iis manibus excepit, in quibus natura, quid efficere posset, videbatur experta: omnes

omnes enim in eas numeros pulcritudinis elegantiæque contulerat. Sed novus hic Leander, inventus est superiore aliquanto felicior. Nam ille, inanis ac siccus, tumentibus est maris fluctibus obrutus; hic autem, expletus saturatusque deliciis, adversæ fortunæ faucibus absorptus, suam secum Heroen eandem in perniciem attraxit. Etenim virginis alterius, quæ cum illa de forma certabat, indicio, manifesto in flagitio deprehensi, ille altissimam in turrim compactus, hæc augustis unius domus anguli finibus conclusa, audaciæ temeritatisque pœnas dederunt; nec diutius, post id facinus admissum, vixerunt, sed brevi, tenebris & loci squalori, uterque in morbum implicitus, decessit. Sed redeo ad Balduinum, a quo paululum me turpe amici sui factum abduxerat; cui, ad cetera bona, a natura tributa, militaris etiam animus, & periculis omnibus superior, accesserat. Quod magnus Etruriæ Dux animadvertens, in rostratam eum navim, quam Prosperam vocabat, imposuit, ut bellum cum piratis gereret. Et Carolus, Dux Mantuæ, majoribus eum navigiis præfecerat, quæ contra hostem paraverat; quod in homine virtutem, & industriam magnam, videbat. Jam vero quod secundo loco proposuimus, quantum in eo augendo ornandoque natura laboraverat, tantundem in eodem deprimendo spoliandoque, suas fere omnes fortuna vires exercuit. Primum, perpetuo fuit pauper; quamquam ipse non minimam in partem ejus culpæ venerat, quod homo voluptati obsequens fuerat, &, qui sic sunt, rei familiari haud parcunt, sed eam profundunt. Tum, cum ea navis, quæ Prospera nomine, sed quæ multas in ipsum calamitates invexerat, in hostium potestatem devenisset, ab inhumanissimis illis prædonibus, multo quam alii, qui eodem calamitatis jure comprehensi sunt, acerbius & immitius est habitus. Nam, & ad remum, hoc est, ad Acheruntem, damnatus, quod nullus locus æque sit Acheruns, atque triremus, & nauticum in cœnam & in prandium panem, qui duritia lapidem silicem vinceret, accipiebat: ad hæc, quingenis singulos dies, pro jentaculo, & totidem pro merenda, plagis afficiebatur. Atque, ad panis duritiem, quo vescebatur, probandam, tanquam testes, duo in ore loca, dentibus vacua

eua adhibebat, quos, in eo pane rodendo, reliquerat: cum ad demonstrandum, quo verberum sævitia processisset, proferebat, modo ventrem & scapulas, vibicibus varias, modo aperiebat latera, funibus perusta; modo objiciebat crura, compedum signis impressa. Quo tandem ex Orco reducem eum fecit magni Ducis Etruriæ misericordia atque benignitas: qui princeps vir, persoluto pretio, expedivit illum e servitute, ac, liberum rursus, domo sua excepit. Sed iterum fortuna, acrius quam antea desæviens, vim in eum suam exercuit. Nam, non solum vitam, verum etiam famam & existimationem est conata eripere. Cum enim, domi suæ, cædes facta esset, ac notus causidicus, Gregorio XV, tum Pontifici, amicus, interfectus, idque formosissimi adolescentis, & alterius sicarii, opera perfectum, quibus fuerat argentum ob id repensum; insimulatus est etiam ejusdem facinoris ille; tum, quia dicebatur, in partem argenti venisse; tum etiam, quia constabat, eum iis, qui interfecti corpus in cloacam quandam Urbis detulerant, cereum illuxisse. Quamobrem, conjectus in vincula, nemini dubium est, quin pœnas, una cum aliis duobus, dedisset, nisi, Scipionis Cobellutii Cardinalis S. Susannæ, qui tum plurimum poterat, auctoritas, ex suspicionis illius flamma ereptum, incolumem præstitisset; quod indignum putaret, tantam vim ingenii, turpi judicio labefactari, & funesta carnificis manu deleri. At, quanto rectius æternæ illius saluti consultum ab eo fuisset, si rem legibus judicari passus esset! non enim ille, omnibus rebus imparatus, (ut tum sibi accidit, cum ferro erepta vita est,) sed Christianis sacris munitus, quamvis turpi morte affectus, supremo judici Deo, in quo sunt omnia, salvus & incolumis extitisset. Cum igitur illud vitæ fortunarumque omnium naufragium, quod adversa illi fortuna molita fuerat, effugisset; in domum Ludovisii Principis, etiam tum pueri, secunda Cobellutii vectus est aura, ut eum, non solum morum, verum etiam animi ac virtutis magister, ad omnes præclaras ac dignas homine nobili disciplinas percipiendas, impelleret, instrueret, cogeret. At, nec ibi quoque a fortunæ, quæ ad ejus perniciem excubabat, insidiis fuit immunis. Nam

Bono-

Bononiæ, cum, nocte quadam, domo Principis egredi cuperet, ac janitor fores, quæ suæ custodiæ ac fidei erant commissæ, recusaret aperire, res primum ad verborum contentionem, tum ad pugnos venit; in quo certamine janitor, ad pulsandum verberandumque robustior, plusquam quingentos illi colaphos infregit, ac totum os contudit. Sed ita male pugnis acceptus, non dubitavit, postridie mane, in procœtonem venire, ac liventes pugnis oculos, ac colaphis tuber totum caput, afferre. Sed, quisnam, nisi sit sapiens, fortunæ, quam iratam habeat, vim possit effugere? Sapientem eum appello, qui totam spem sui in se positam habeat, qui nihil a rebus externis, nihil ex errore imperitæ multitudinis, pendeat. A cujus dignitate cum longe Balduinus abesset, quid mirum, si illa, quæ, a multis & imperitis, rerum mortalium domina ac regina appellatur, suam in eum vim & potestatem exercuerit, ac rationem invenerit, qua eum, ut antea conata fuerat, vita famaque devolveret? Ratio autem fuit ejusmodi. Germanorum copiæ, Cæsaris nomine, in Italiam transierant, ac Mantuam oppugnaverant. Cumque Dux sibi non deesset, sed omnia, ad bellum necessaria, parasset, imperaverat Balduino, quem ab eo ratibus præpositum fuisse, antea narravimus, ut, certo quodam in loco Padi fluminis, aggeres perfringeret, atque latum aquis, ad exeundum, aditum aperiret: ita enim fore, vel, ut hostes de spe oppidi potiundi deciderent, vel, si pericula præliorum audacius inire ac persequi vellent, ab aquis circumventi atque intercepti perirent. Qui, cum imperata facere neglexisset, ac propterea Mantua in potestatem hostium venisset, aspergebatur infamia, quod, corruptus ab illis, malitiose Ducis imperia exequi noluisset. Quamobrem, cum, bello confecto, & rebus cum Cæsare compositis, Dux Mantuam recuperasset, ille, sive facinoris conscientia deterritus, sive dubios judiciorum exitus pertimescens, si, hoc crimine, ab adversariis in contentionem compelleretur, Venetias demigravit. Sed tandem, Urbis desiderio captus incensusque, quod ab Urbano Pontifice, a quo fuerat invitatus, multa speraret, in viam se dedit. Sed, per Mantuanæ ditionis fines iter faciens, a Mantuanis mili-

tibus, qui erant in insidiis collocati, interceptus, sive veri sive falso confícti criminis, pœnas dedit. Nam ad ejus ratis, in qua vectus fuerat, spondam appulsus, jussus est collum præbere. Quo facto, caput illi præcisum est, & Mantuam missum. At fortuna victrix, & calamitosi hominis infortunio læta, Io triumphe, canens, ad subvertendos alios, æque sibi invisos, excessit.

XLII. ARCHITA EPISTAMENUS.

QUonam fato fieri dicam, ut tam iniquo jure, literarum studia sint, nescio: quæ cum, ob insignem illorum præstantiam excellentiamque, cariora ac gratiosiora, quam cetera omnia, esse deberent, ita tamen eorum æstimatio, fere apud omnes, concidit, ut vix precium inveniant. Quod si quis fortasse summus in aliqua maximarum rerum scientia, a viro quopiam principe, ambitionis aut popularis auræ causa, tecto excipiatur, non ille honestius aut nitidius in victu habetur interdum, quam mediastinus quivis, vel qui latrinam illi ac matulam lavat. Cum contra eunuchis, quos, concinnatos ac meritricularum in morem comtos, ad excitandum voculæ suavitate, lasciviſſimisque cantiunculis, dormientem languentemque libidinem, habet, vel conviviorum magistris, altisque novarum gutturis ac ventris voluptatum architectis, nummos modio metiatur, ac Liberi florem, & unctiuscula obsonia, quotidie in prandium ac cœnam affatim præbeat. Atque esset optandum, ut doctrinis expoliti homines, eodem apud istos, quos vulgus beatos appellat, honoris atque existimationis loco ac numero essent, quo ii, qui equos ipsis alunt, ac strigilibus stringunt ac poliunt. Nam isti sæpius a dominis accersuntur, in colloquium evocantur, rogantur, num in stabulo salvæ res sint, ut valeant equi, quos ingentibus mercati sunt preciis, ut pingues, ut nitidi sint. At miseri illi, tanquam si eos, qui devorat omnia, Orcus exsorbuerit, evulsi ab illorum memoria, jacent, nunquam ad colloquium, nunquam ad rem aliquam, nisi necessitas cogat, admittuntur. Verum, id fortasse, (quod nemo tamen vir cordatus ac prudens dederit,)

sed

ſed id, inquam, ferendum videretur, in literatis illis, quos mendicitas premit, quod magnas omnibus diis eos æquum eſſet gratias habere, ſi ſuppetat, unde, parce ſaltem ac duriter, vitam poſſint exigere, neque cogantur, in triviis ac plateis, inopia atque egeſtate enecti, animam exhalare. Sed id etiam magni Principes conari nonnunquam audent in iis, quibus nihil deeſt, immo, quibus eſt domi, unde in omnium rerum abundantia vivant, quos, ut ſe, apud imperitam hominum multitudinem, literarum cupidos probent, atque ut, ex excellentium hominum doctrina, ſibi famam, ac domui ſuæ ſplendorem, arceſſant, magna ſpe, magniſque ad ſe pollicitationibus advocant, ac venire compellunt; ſed, cum venerint, nihilo eos honeſtius ac liberalius tractant, quam ſi obſcuro orti loco, vel potius ſi mendicabula hominum eſſent. Ut olim in Archita quodam Epiſtameno uſu venit, quem, locupletem, ac domi ſuæ nobilem, ſummus vir, princeps, ac rerum tum dominus, cum fama & auditione accepiſſet, in omnium liberalium artium ſtudiis, longo intervallo, iis omnibus, qui literis operam darent, anteire; magna eſt ejus apud ſe habendi cupiditate incenſus, eoque ardentius, quod audierat, nullam eſſe linguam, neque Græcam, neque Hebraicam, neque Chaldæam, neque Ægyptiam, neque Indam, quam non ita ſciret, ut ſi in ea natus eſſet; multis enim in rebus, ſibi ornamento atque uſui eum fore ſperabat; neque antea quievit, quam magnis ad ſe pollicitationibus attraxit. Verum, cum id, quod voluit, aſſecutus eſt, fecit ille ingenium ſuum, nec fere majorem homini honorem habuit, quam ſi infimæ ſortis famulus fuiſſet: nam viro doctiſſimo, œnophorum vini, bini vel terni ſingulis diebus panes, & totidem Julii, cum ſpira, quam ex jure vel vino voraret, patriæ ac laris familiaris relicti, tum longi itineris ſuſcepti, merces ac precium erant. Itaque, tot tamque ingentes pollicitationes in nihilum recidiſſe, ac data ſibi verba eſſe, intelligens, ſtatuit, inſigni aliqua ſignificatione, ſui virum illum principem erroris commonefacere, ſimulque docere, affatim ſibi domi eſſe, quod ederet ac biberet; neque ſui ſimiles alienum cibum, tanquam mures, rodere. Itaque, tribus il-

lis mensibus, quibus cum illo fuit, statim ab initio cœpit œnophora illa, quo ordine accipiebat, in cubiculo quodam disponere; & unicuique œnophoro suos denarios panesque diurnos, & spiram, addebat, quæ collo illius inserta, tanquam crepundia, vel torques, ab eo penderet. Sed, cum jam plenum esset cubiculum, adeo ut nullus alteri œnophoro suppeteret locus; relictis ibi literis vehementibus, ad Principem datis, in quibus, se ab eo fuisse contemtum ac deceptum, querebatur, ac propterea, quæ sibi, quasi mendico, ac fame enecto, dedisset, se resignare ac relinquere omnia ajebat; confestim se ab Urbe subduxit, ac regiones alias est persecutus. Quod ubi factum est palam, ac Princeps epistolam legit, usque eo est commotus, ut, sine ulla dubitatione, insanire omnibus ac furere videretur; ac lictoribus negotium dedit, ut hominem persequerentur, &, ex fuga retractum, in vincula raperent. At ille, jam e conspectu evolaverat, & Principis alterius regiones ingressus, omnem iis, qui ipsum persequebantur, sui assequendi facultatem eripuerat.

XLIII. VINCENTIUS PILOTA.

RECte sapienterque, contra Stoicos, a Peripateticorum schola defenditur, non inutiliter a natura datum esse homini ardorem quendam animi, & alacritatem, qua, ad res arduas ac difficiles fortiter suscipiendas persequendasque, impellatur. Nihil enim, quod sit admodum laudabile, fieri posse videtur ab eo, qui ad id lente, ac pacata mari similis, aggrediatur. Ideoque non frustra antiquitus institutum est, in bello, ut, antea quam acies dimicarent, undique signa concurrerent, clamoremque universi tollerent; quod, his rebus inflammari animos ad pugnam incitarique, existimarent. Sed non minus docte sapienterque dictum est, hanc incitationem animi, naturaliter innatam omnibus, rationis imperio regendam esse, neque committendum, ut quamcumque illa velit in partem, nos abstrahat atque compellat; curandumque, ut virtutum sit cos, non temeritatis irritamentum. Denique, ut in omni re, sic etiam

tiam in ista, semper videndum est, quatenus egregie, atque ut Philosophus & magister, ex veteris sapientis dicto, Terentianus Sosia, *Id arbitror*, inquit, *apprime in vita esse utile, ut ne quid nimis.* Quem si Vincentius Pilota, Beneventanus, magistrum habere, ac bene præcipientem audire voluisset, sedatis animi motibus, quasi leni placidoque mari, secunda potentiorum hominum gratia, tanquam aura, vectus, ad opes & honores vela dedisset: sed quoniam maluit, infesto scopulosoque perturbationum suarum, stomachi, iracundiæque præsertim, qua effervescebat, pelago sese committere, eoque tenui fractoque sui judicii navigio deferri; quid mirum, si in Syrtes scopulosque devenerit, ad eosque navem afflixerit? Erat, in Vincentio Pilota, mira quædam, amicis, iisque qui in ejus opem auxiliumque confugissent, commodandi, eorumque utilitatibus serviendi, propensio; inerat incredibilis, veritatis conservandæ, mendaciisque evertendis, ardor, ac studium: sed utrumque ita immoderate intemperanterque faciebat, ut propterea in multorum odia & offensiones incurreret; neque verebatur, cum iis, omni verborum contentione, de rebus etiam levibus, certare, quorum obedire tempori, vel honori servire, erat illi maxime utile. Diligebat eum Paulus V; cujus ille fidei & taciturnitati eas notas commiserat, quibus arcana sua in literis, quas ad Legatos Nunciosque suos mittebat, enunciabat, ne, si literæ interciperentur, sua etiam ab iis consilia surriperentur, quibus ea scire, usui esset: diligebatur etiam a Scipione Card. Burghesio, Pauli ejusdem sororis filio. Sed tandem, animi sui impotentia, infestos sibi eos reddidit. Susceperat etiam simultates cum Margottio Card. Lanfranco, summi Pont. a secretis. Quamobrem fuit coactus aula excedere, pingui sacerdotio, Beneficiato nomine, quod in Basilica Vaticana obtinuerat, se abdicare, Roma discedere, ac Beneventum se recipere; ubi vita functus excessit e vita. Fuit ingenio eleganti, nec vulgari eruditione atque doctrina. Utebatur summis viris, ac doctis, quibus tradebat se, cum multa conversatione. In iis usus est plurimum Roberto Card. Ubaldino, quicum multas sæpe horas traducebat. Quo-

rum congressus neque erant taciti, nec ludicri sermones, nec rerum colloquia leviorum, sed de rebus, aut ad Philosophiam, aut ad humaniores literas, quibus ille deditus erat, pertinentibus. Plura scripsit carmina, non sine cultu ac nitore, quæ, magna cum voluptate ab Hugone Ubaldino V. C. mihi tradita, legi: qui Ubaldinus, pro amicitia, quæ cum illo maxima intercedebat, imprimenda & edenda curabit. In poëtis sui ævi optimis numerabatur. Legitur ejus carmen ad Jo. Baptistam Marinum missum, & Marini ad ipsum responsio. In scribendis carminibus, cum ceterorum, sui æqualium, poëtarum, tum maxime Marcelli Macedonii consilio uti consueverat.

XLIV. IO. HONORIUS AXELIUS.

MAgna profecto memoriæ vis est, quæ, omnia, quæcunque in animo constructa atque recondita habemus, tanquam thesaurum, tuetur atque custodit. Ideo magna illi habenda est gratia, ac maxima diligentia retinenda, ne unquam nos fugiat. Nam, si rerum, a nobis perceptarum inventarumque, custodiam deserat, omnia continuo, quantumvis maxima, una cum illa profectionem fugamque adornabunt. In hac facultate admirabilis extitisse traditur, ille totius Græciæ facile princeps, Themistocles; cujus ex animo, quod semel in ipsum esset infusum, omnes deinceps ad egrediendum aditus interclusos obstructosque reperiebat; adeo, ut artem memoriæ, quæ tum proferebatur, repudiaverit atque neglexerit, ac gratius sibi eum esse facturum dixerit, qui se oblivionis potius quam memoriæ artem edocuisset; quod sibi quædam alte in animo infixa hærerent, quæ inde extrahi cuperet. At cum omnibus, qui literis student, hæc virtus necessaria sit, nullius tamen magis propria esse putatur, quam Jurisconsultorum. Ac vere; nam, cum domus Jurisconsulti, totius sit oraculum civitatis, quomodo iis, qui consilium expetitum veniunt, satisfacere poterit, nisi omnia, quæ in ea arte continentur, quæ sunt propemodum infinita, & intelligentia comprehendat, & memoria retineat? Verum, si so-

ſola memoria, ſine judicio, optimum Juriſconſultum poſſet efficere, nemo, mea ſententia, Jo. Honorio Axelio anteceſſiſſet. Tanta enim rerum omnium copia abundabat, tantum juris tum civilis tum pontificii legum numerum animo comprehenſum habebat, tam multa juris utriusque interpretum placita, dicta, atque reſponſa collegerat, vix ut ea multorum Juriſconſultorum memoriæ, quamvis cella vinaria aut penaria, quamvis quovis capaciores horreo, caperent. Sed ea adeo confuſe atque permiſte coacervata atque conſtructa aderant, ut nihil eſſet primum, nihil poſtremum. Quamobrem illi, cum de jure conſulebatur, eveniebat idem, quod domino magnæ plenæque ornamentorum omnium domus, ſed in qua nihil ſit ſuo loco poſitum, nihil ordine collocatum, quia rerum, quæ poſſideat, vim naturamque non norit, qui rogatus de re aliqua, vel unam rem pro altera, vel plura ſimul, quia eadem ſibi videantur, profert. Nam, cum ejus opera conducebatur, ut ſuam de ea re, quæ in controverſiam deducta eſſet, ex ſcripto, ſententiam diceret, omnia illi veniebant in mentem, quorum aliqua mire eorum, qui ad ipſum confugiſſent, cauſam adjuvabant, quædam vero, ac multo maxima ex parte, nihil plane rem, quæ in judicium deducta eſſet, attingerent. Quamobrem fiebat, ut Juriſconſultorum non nemo, cui non eſſet tam lauta ſupellex, cum quispiam ad ipſum conſulendi cauſa, veniret, daret operam, ut antea Honorium adiret, ab eoque ſcriptum aliquod auferret, unde ille, nullo ſuo labore, magnaque cum laude, quod eſſet ad cauſam accommodatum, exciperet, quæ autem aliena ab ea eſſent, repudiaret, atque rejiceret. Atque tum fuiſſe ab omnibus judicatum memini, ſi Honorio memoriæ ingenioque par judicium contigiſſet, nihil eo futurum fuiſſe perfectius. Verum, dum ita in ea parte animi claudicaret, neque magnum in Juriſconſultis nomen habuit, neque aliquam publici muneris partem eſt adeptus: ſolum Hoſpitalem ſuæ nationis domum (erat enim Trajectenſis,) Proviſoris nomine, adminiſtravit. In cujus etiam templo tumulatus eſt. Dixit etiam ſemel cauſam, apud Quæſitores fidei, accuſatus, quod ipſi cum hæreticis quibuſdam amicitia eſ-

esset, usúsque literarum; verum statim, causa cognita, est absolutus; sed non ipso defendente. Nam, si suæ ipsius causæ patrocinium suscepisset, ab eo judicio victus, ac notatus infamia, discessisset; quod omnes lites, quibus ille aderat, perderet; patrono illi, P. Africani hospiti, haud absimilis, quem Siculo cuidam patronum causæ cum daret, Quæso, inquit ille Prætor, adversario meo da istum patronum, deinde mihi neminem dederis. Neque, qui litem alicui intendebat, vel ipse in judicium vocabatur, impensius quidquam optabat, quam ut is, quicum omnis ipsi res esset, illius patrocinio uteretur; tum enim nihil sibi patrono opus esse, sed, nemine defendente, se causam certissimam obtenturum esse, existimabat. Adeo ut Cardinalis Zolleranus Germanus, litigatori cuidam, cui favebat, die quodam clara voce diceret, Bono animo es, vicisti; nam adversarii tui causa, non alio nisi Honorii advocati præsidio fundatur ac nititur. Senex jam, fieri maritus cupiens, ludificatus a veteratoribus quibusdam, qui assecandi hominis gratia, simulaverant, matronam, forma ac divitiis nobilem, ejus esse corporis cupidam; idque adeo illi persuaserunt, ut nullis popularium amicorumque suorum admonitionibus adduci posset ut crederet, se a nebulonibus illis illudi. Sed tandem, cum probe emunctus ab illis fuisset, data sibi verba esse intellexit.

XLV. ANTONIUS MARAFFA.

VIr prudens ac doctus, qui, multos abhinc annos, vita decessit, non pessime cum iis actum esse ajebat, quibus sive natura, sive error, eam mentem injecisset, ut se in aliqua arte esse omnium primos existiment, cum nec digni sint, qui in postremis numerentur; nam iis solis bene esse; &, quamquam aliis diridiculo sint, ipsos sibi plaudere, & ex eo, quod didicerint, cum ad id, quod est in eo summum atque perfectum, pervenisse se credant, voluptate omnium maxima perfundi. Atque idem ille addebat, pessime de illo hominum genere mereri, qui eum illis errorum conentur eripere; quemadmodum ille, natus Argis, apud Horatium,

Qui

Qui se credebat miros audire tragœdos,
In vacuo latus sessor plausorque theatro;

cumque jam, cognatorum amicorumque cura ac diligentia, morbum illum expulisset, graviter cum illis est questus, quod summam sibi voluptatem extorsissent, & gravissimum mentis errorem eripuissent. E contrario, maximas naturam solicitudines curasque, quibus perpetuo excrucientur, iis ingenuisse dicebat, quorum in mentibus, earum rerum, quarum studio ducuntur, impresserit speciem pulcritudinis eximiam quandam, quam intuentes, in eaque defixi, ejus ad similitudinem, orationem vel carmen conentur effingere: nam fieri, ut non solum perpetuis, sed majoribus etiam in dies crucibus torqueantur; quoniam, quo longius in ea, quam colunt, arte, studio atque exercitatione progrediuntur, eo magis intelligunt, quantum absint a summis. Quæ si vera essent, neque ab eo per jocum dicta fuissent, nemo, Antonio Marassæ, felicitate anteisset. Qui, cum vix Grammaticam didicisset, ac Philosophiam & Theologiam ne a limine quidem, ut dicitur, salutasset, optimum se putabat esse Philosophum atque Theologum; cum poëtam nullum legisset, ea se poëmata facere existimabat, quorum similia nunquam Ariostus Tassusque fecissent. Nam poëma longum, Italico sermone, conscripsit, quod Sacræ hebdomadis formam seu modum appellat, quo mundi totius procreationem, sex diebus perfectam, amplectitur; aliaque etiam poëmatia, pene innumera, reliquit, oppido ridicula; quæ ille cum in Academiis, & in eruditorum cœtibus, recitaret, cachinnos omnium commovebat. Quod cum, vel invidentia, vel hominum inscitia, fieri diceret, vehementer iratus, ab ejusmodi cœtibus abstinuit, neque se deinceps eruditis hominibus, ad coronam, dare sustinuit; sed, quos faciebat versus, scriptos, amicis legendos tradebat; qui, non potest satis narrari, quos ludos præberent. Erat inusitatorum monstrosorumque verborum inventor, magis quam Sisenna ille, cujus, in libro de claris oratoribus, meminit Cicero: quæ verba, partim a se inventa & excogitata efferebat, partim ab Istris, Gallis, Hispanis, Illyriis, Teutonicis, Sarmatis, atque etiam, si diis placet, Indis,

 pau-

paululum immutata, mutitabat; iisque tum præsertim utebatur, cum versus rhythmo, hoc est, syllaba similiter cadenti, esset terminandus. Quamobrem multorum ad illum concursus fiebant, simulantium, se rhythmorum inopia laborare, ac rogantium, ut verbis, similiter cadentibus, quibus egerent, sibi subveniret. Quibus ille ea suppeditabat, quæ deinde riderent. Complura, etiam vocabula, in familiari sermone, aliter, quam communis ferret usus, accipiebat; ut, cum loca fœda, inculta, ac sordida, loca pathica vocabat, homines autem, nefario illo crimine infames, sommeticos appellabat. Expetebatur vehementer in amicorum hilariorumque hominum conviviis, ut aliquem sibi ex eo ludum jocumque compararent: quibus ille, versutus & callidus, non solum, non se parabat ut rideretur, sed eos ultro irridebat: ut, cum olim, in convivio, sal illi in os quidam inseruisset, dixissetque, Accipe sal sapientiæ, ille repente ahenum, plenum aquæ, quod ibi erat, arreptum totum in illum invertit, inquiens, Et ego te baptizo. Ac, ne existimarent homines, ipsi verba dare se posse, denunciabat illis, se quadam esse scientia præditum, qua in animos omnium penetraret, quæque illi in eo versarent, agnosceret; quam scientiam, unico verbo, occultam appellabat; itaque sibi occultam esse ajebat. Simul ac e Calabria, ubi honesto natus est loco, Romam se contulit, dedit operam, ut in Sodalitatem eorum exciperetur, qui, eadem domo eodemque cibo utentes, doctrinæ Christianæ rudimenta pueris tradunt. Ac bene cum illo actum esset, si, usque ad extremum vitæ spiritum, se in ea Sodalitate continuisset; non enim habuisset necesse, in summa rerum omnium inopia Romæ, in valetudinario Consolationis, vitæ finem facere. Sed homo, libertatis in primis cupidus, nullis voluit se legibus adstringere, nullum certum vitæ genus ad arbitrium aliorum sequi; sed, cum illi idem propositum esset ac Regibus, ut ne cui pareret, neve qua re indigeret, primum non difficulter obtinuit, ut nulli serviret; alterum assequi non poterat, ut non egeret. Nam ad egestatis terminos, ab adversæ fortunæ tempestate, sive potius a cupiditate otii, ac laboris odio, adactus; ubi ne,
fa-

fame enectus, conficeretur, cogebatur, in aliorum misericordiam confugere, & ficcus ad unctos accedere. Quam ad rem, multorum illi fuerunt amicitiæ expetendæ; ad quas suis sese carminibus insinuabat, tantumque ab eis auferebat, quantum esset, ad vitam parce & in pannis traducendam, satis. Sed, ut eo, unde digressi sumus, revertamur; cum ille ex Sodalium eorum, de quibus diximus, numero se exemisset, literas a Clemente VIII ad omnes Europæ Episcopos impetravit, ut, quacunque doctrinæ Christianæ, rudibus & ignaris ejusdem, tradendæ gratia iter faceret, hospitio, viatico, rebusque omnibus, ad necessarium usum, juvarent. Atque eorum sumtibus bene viaticatus, Italiam, Galliam, Germaniam, Poloniam peragravit. Illud vero mirum accidit, quod, cum Theologiæ ignarus, multos de rebus divinis sermones habuisset, multa etiam, tum soluta oratione, tum versibus, scripsisset, nullum illi verbum excidit, quod hæresin saperet. Erat vir probus, religiosus, pius, ac fide optima. Habitum, quem ab iis Patribus, quibus nomen dederat, acceperat, nunquam deseruit; unde P. Antonius ab omnibus appellabatur.

XLVI. AUGUSTINUS PALLAVICINUS.

Multas adolescentiæ vias ostendi, fallaces ac lubricas, quibus illa insistere, aut ingredi, sine casu aliquo aut prolapsione vix possit, tum vix paucos inveniri, qui directum illud ad virtutem iter teneant, neque in cœnosas illas, ac vestigia fallentes, quas diximus, vias, deflectant, utinam falso jactaretur, nec ingentibus sceleribus flagitiisque, in quæ innumera adolescentium multitudo sese ingurgitat, id altius, quam necesse sit, veritate niti, constaret. Quod autem Augustinus Pallavicinus, Januæ, nobili loco natus, nunquam pessimis illis factis studuerit, quorum est affinis adolescentia, Philosophiæ habenda est gratia, cujus ille quasi blandimentis delinitus, voluptatum illecebras repudiavit, neque eas immigrare suum in animum, sivit. Ut, qui

qui Philoſophiam, vitæ magiſtram, expultricemque vitiorum, dixerit, probe, quanta in ea vis inſit, intellexiſſe videatur. Auguſtinus igitur, ſimul ac Romam Janua venit, ea ætate (erat enim admodum adoleſcens) quæ ætas haud difficulter capi jucundiſſimarum rerum varietatibus ſolet, noluit, in tam corrupta civitate, tritas aliorum adoleſcentium perſequi vias; non ſibi fas eſſe duxit, in amore ac voluptatibus, præſertim cum honeſta ac liberali facie eſſet, adoleſcentiam ſuam collocare, ſed ſibi utilius exiſtimavit, illud vitæ quaſi ædificium extollere atque abſolvere, cujus in patria fundamentum ſubſtruxerat, auctore & quaſi architecto P. Marcello Pallavicino, patruo, ex Societate Jeſu; cujus extant ingentia in eam Societatem merita. Quæ ædificatio, ut recte ſuccederet, ac ſibi uſui, alii exemplo eſſet, tradidit ſe Societatis illius magiſtris, tanquam fabris, ut ab iis exædificaretur, expoliretur & ornaretur. Neque illi materiæ aut operæ parſerunt ſuæ. Nam, ita eum brevi philoſophiæ præceptis excultum reddiderunt, ut perfectus Philoſophus evaſerit, neque ipſe magiſtrorum ſedulitati, ſua diligentia ſtudioque, deerat, ut etiam illorum in ſe erudiendo induſtriam, ingenii celeritate, præcurreret. Ejus ingenii fructus eſt nobilis illa, in libros Phyſicorum Ariſtotelis, paraphraſis. Patuiſſet illi, ob generis nobilitatem opesque, quibus præſtabat, ad honores aditus; ſed quo Philoſophiam, quam ſibi, tanquam ſponſam, adjunxerat, arctius amplecteretur, procul a Rep. abeſſe ſtatuerat, ædesque, Capitolio proximas, amœno ſane loco, conductas habuit. Sed, quos uberiores ejus ab ingenio fructus nos capere oportebat, mors eos, tanquam calamitas aliqua, intercepit. Quam illi mortem, neque amœnus neque ſalubris, in ipſo ætatis flore, peperit locus, in quem alieno anni tempore, animi gratia, ſeceſſerat.

XLVII.

XLVII. FRANCISCUS ALCIATUS.

MAgnum, ab Andrea Alciato Mediolanensi Jurisconsulto, Alciatæ familiæ ornamentum ac decus effluxit; cujus virtute, toto orbe terrarum, in subselliis, in tribunalibus magistratuum, in Gymnasiis, in scholis, in Jurisconsultorum libris, Alciati nomen celebratur. Hic, princeps ex omnibus, ausus est Jurisprudentiam, multorum seculorum barbarie infuscatam, nitori pristino reddere. Hic est adortus, eandem, barbarorum injuria, omni ornatu orationis, tanquam veste detracta, squalore ac pannis obsitam, ex iis sordibus, in quas conjecta erat, extrahere, & majorum suorum regno collocare, hic, omnium elegantissimarum artium, tum Græcarum tum Latinarum, excultissimus, tantum animi habuit, ut non dubitaverit, vulgarium Jurisconsultorum turba reclamante, ac contra nitente, ea illi omnia ornamenta, tanquam jure judicioque, repetere, quæ, per summam illorum, quorum fidei commissa fuerat, injuriam, amiserat; adeo ut nihil sit illa hodie excultius, nihil politius, nihil ornatius. Ejus postea exemplum secuti, Duarenus, Connanus, Budæus, Cujacius, Donellus aliique, conati sint, operi, quod ipse inchoaverat, ac fere ad extremum usque perduxerat, tanquam fastigium imponere. Ex hoc germine exorti plures postea ex eadem familia extiterunt, qui partam ab ipso gloriam, multis partibus auxerunt. Atque, ut de aliis taceam, uno Terentio Alciato, ex Sodalitate Jesu, mea definietur oratio, qui omnem omnium bonarum artium vim varietatemque cum sit scientia & cognitione complexus, eandem cum orationis elegantia ornatuque sociavit, plures annos in Gymnasio Soc. Jesu, auditores, quorum magnus ad eum numerus confluebat, Theologicis ac Philosophicis disputationibus erudivit, nunc, laboribus illis egregie functus, maximarum rerum consultationibus adhibetur; ubi illa ejus vis ingenii, doctrinæ, & eruditionis, quæ in illo scholastico pulvere & literaria quasi

si palæstra, admirationis ac delectationis plurimum habuit, in solem atque aciem, hoc est ad usum Reip. translata, ita utilis atque adeo salutaris invenitur, ut hanc ex Urbano VIII Pont. Max. vocem expresserit, nempe, P. Terentium esse Cardinalatu dignissimum. Ab Andrea igitur Franciscus, de quo instituimus dicere, prodiit. Hic insitum generi ingenium ad jurisprudentiæ studia conferens, tantam est facultatem adeptus, ut dignus sit habitus, qui cum Andrea, a quo parens ejus omnium bonorum heres fuerat institutus, compararetur, ac propter excellentem doctrinam, Mediolani, in Collegium Jurisconsultorum cooptatus fuerit; ad quod nemini adspirare licet, nisi illi, qui sit in ea facultate perfectus. Sed ea exuperantia doctrinæ, magnis stipendiis, conducta est a Papiensi Gymnasio, ut ibi, quod de ipso redundaret, in alios sese transfunderet; nimirum, ut jus civile doceret. Quod, quasi solum ac fundamentum ejus amplitudinis fuit, cum id illi docendi munus, conjungendæ cum Carolo Borromæo amicitiæ, qui, mortuus, in Sanctorum numerum relatus est, materies extiterit. Etenim ille Papiam, una cum aliis, venerat, ut Francisci sapientiæ fontibus irrigaretur. At bene ac præclare cum illo actum est, si, quantum Carolus de illius doctrinæ præceptis arripuit, tantum ille de Caroli sanctitatis indole hauserit. Sed Carolus, in referenda magistro suo gratia, non est passus desiderari a se officium suum. Nam Jo. Antonio Mediceo, avunculo suo, ad Pontificatus Max. culmen evecto, evocavit eum Romam, & amplissimis muneribus exornavit: ac primum perfecit, ut Datarius constitueretur; quo munere, non alterum fere in aula Romana invenias, quod negotii plus exhibeat, quod auctoritatis plus habeat, quod fidei plus exigat: illa enim est provincia, quæ diligentissime mandatur a summis Pont. neque quisquam eligitur, nisi is, cui illi maximam rerum suarum fidem habeant. Dedit operam deinde Carolus, cum provinciam illam, ex animi sui sententia, administrasset, ut in Collegium Cardinalium cooptaretur. Cooptato autem, quoniam tantæ ingenii vi negocium deesse non poterat, multæ aliæ provinciæ sunt demandatæ, nempe Gymnasii Roma-

mani cura folicitudoque, ut illud una cum Cardinalibus, Morono, Cornelio, Sirleto, in clientelam fidemque reciperet. Cui etiam M. Antonius Muretus, omni virtutum genere cumulatus orator, tantum tribuendum esse statuit, ut, in quadam oratione, quam, in Æde S. Eustachii, de præstantia literarum habuit, ipsum & Sirletum, ornamenta feculi, firmamenta literarum, domicilia virtutis & eruditionis, appellat. Tum, patrocinium & clientela Regni Hiberniæ, ut dicitur, commissa & tradita; tum, universæ familiæ Franciscanæ patrocinium; quæ familia, patronis suis, plus fortasse negotii exhibere folet, quam centum aliæ fimul. Postremo, ne longum faciam, Carthusianorum ordinis tutelam custodiamque recepit. In quibus omnibus provinciis recte administrandis, morbo interiit, ac tumulatus est in Æde, quam Romæ Carthusiani, in Thermis Diocletiani, Deiparæ Virgini dedicatam habent.

XLVIII. ASCANIUS COLUMNA.

NOn falso a quibusdam dicitur, raro naturam filios a similitudine parentum abstrahere, si consuetudo tamen eos & disciplina degenerare non finat; itaque vix unquam contingere, ut navo, prudenti, industrio, proboque parenti, iners atque impurus & improbus filius existat. Nam, ut ait Horatius,

& bonis
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Quod in Ascanio Columna, M. Antonii filio, qui Turcas classe devicit, deque illis gloriosissimum triumphum reportavit, apparet. Nam ille, hereditario quasi jure, naturam admirabilem habuit, non quidem ad bellicas artes, a quibus eum suscepta vitæ ratio avocabat, sed ad humanissima studia, omnesque, dignas homine nobili, vel principe potius viro, disciplinas. Præterea, ab omni lucro abhorrens, ad liberalitatem, omnemque vitæ ampli-

plitudinem, fuit mire propensus; adeo, ut ex suis vectigalibus large detraheret, quod literatorum hominum, quorum erat studiosus in primis, usibus adderet. Nemo erat Romæ vir doctus, nemo liberalibus studiis paulum deditus, quin eum ad se vocaret, in amici loco haberet, denique officiis beneficiisque omnibus amplecteretur. Admodum puer, forma fuit egregia; in quam Aurelius Ursus, poëta singularis, eleganti carmine, lusit; cujus hæc erat sententia, quod Venus, similitudine formæ decepta, suum esse Ascanium existimans, ivit, ut arctis eum circumplicaret amplexibus, sed postea, errore detecto, *Risit*, &, *Ascanius sic meus*, *inquit*, *erat*. Etiam tum adolescentulus, in aula ædium suarum, Philosophicis disputationibus, doctissimos Urbis Philosophos, tanquam in aliquod certamen contentionemque, vocavit: quo ex certamine magnam est laudem consecutus; & ad studium illud discendi, quo flagrabat, vehementius exarsit. Itaque Salamanticam se contulit; ut ibi, apud exquisitos e toto orbe terrarum magistros, uberius copiosiusque omnium rerum magnarum atque artium scientia pectus impleret. Quibus expletus saturatusque, Regis Philippi II aulam petiit. Nec se illuc profectum esse pœnituit. Nam doctrinæ elegantia, ac sermonis gravitate suavitateque, ac recenti parentis ipsius memoria, omnium, qui ante ipsum in Hispania fuerant, maximi animum ad se convertit, accepit adeo, ut ille a Sixto V in collegium Cardinalium cooptandum ipsum curaverit, tum ad oratorem suum scripserit Romam, ut ne quid deinceps cum summo Pont. negotii ageret, quod non antea cum Ascanio Card. Columna communicatum habuisset. Quamquam postea, invidorum calumnia, tantum Regis beneficium fuerit illi ereptum. Atque utinam non etiam, cum doctrina, plura ex Hispania, Regni illius procerum mores secutus, Romam asportasset, quæ apud nos partim ridicula, partim levia ponuntur; profecto, majori in honore ac laude fuisset. Ea autem, quæ, quoniam a nostris moribus abhorrent, hominum animos offendebant, hæc erant: Abaco mensæ in qua pranderet vel cœnaret, lecto ubi cubaret, sellæ ubi sederet,

ret, omnibus denique locis, ubi agendum sibi aliquid esset, umbellas, serico auroque contectas, impositas habere; tum, ab ephebis, quorum magnum apud se numerum habebat, prandium quod pranderet, caligas & femoralia quibus indueretur, efferri, ac, positis humi genibus, tradi jubere. Tum, parentis clarissimi nomine, ad aliorum contumeliam, abuti videbatur: nam, cum primum Basilicæ Lateranensis Archipresbyter creatus est, atque apud Canonicos illos verba faceret, Non, inquit, habebitis Archipresbyterum, terræ filium nescio quem, ex Piceno, vel ex Liguria, (nam tum Basilicæ Vaticanæ Archipresbyter, Cardin. Picenus, Liberianæ, Ligur sed nobilissimus, erat,) sed hominem Romanum, nobilitate, splendore, divitiis civitatis, omnium clarissimæ, primum; uno verbo, M. Antonii Columnæ filium. Quamquam deinde, usu atque experientia edoctus, hæc, de quibus loquimur, partim satietate abjecit, partim experiendo contemsit, ac totum se ad Romanæ aulæ gravitatem moresque composuit. Sed lævia hæc, ac nugatoria, non potuerunt nec debuerunt tot tantarumque illius virtutum luminibus officere: nam semper, vir summus, doctus, magno ingenio atque animo præditus, habitus est. Insignem domi suæ bibliothecam instruxit; cui Pompejum Ugonium custodem præfecerat. Utebatur hominibus doctis eruditisque: & in primis Francisco Lælio Ubaldino, Franciscano strictioris, ut ajunt, observantiæ deditus fuit. Flagrabant apud illum eloquentiæ studia: itaque laudavit Philippum II, Hispaniarum Regem, mortuum, ornata oratione, ac plena prudentiæ. Scripsit contra Cardinalem Baronium, qui, in annalibus Ecclesiasticis, multis rationibus ostenderat, Reges Hispaniarum, furtim ac de insidiis, in monarchiam Regni Siciliæ invasisse. Cui vicissim Baronius respondit. Sed, cum intelligeret, Clementi VIII se esse minus gratum, adeo ut vix quisquam ex aulicis, quibus hæc Pont. voluntas nota erat atque perspecta, auderet se illi, amicitiæ vel honoris gratia, comitem addere, invitatus a Rege Hispaniarum, ut Regno Tarraconensi, pro rege, præesset, accepit conditionem; illudque, summa cum æquitatis laude, per triennium administra-

 vit

vit: ac deinde reversus est Romam, ubi demum exiit e vita. Erat facie honesta atque decora: nisi quod ita male oculis utebatur, ut vix, ac ne vix quidem, quæ ante pedes essent, aspiceret. Tum Regi Hispaniarum incredibili erat amore obsequioque devinctus, adeo ut, morti jam proximus, id illi, officiosissimis literis, nisi memini male, sua manu exaratis, significaverit; in quibus erat scriptum, non tam sibi ægre esse, quod intelligeret instare sibi finem hujus lucis, & amissionem omnium vitæ commodorum, quam quod Majestati suæ, tali servo sit carendum, quo nullum unquam, nec magis fidum, nec ardentiori, in ipsa diligenda, amore incensum, sit habitura.

XLIX. MAPHÆUS BARBERINUS.

QUi ad Pontificatus maximi fastigium evehitur, in novum quodammodo hominem transire, ac novam quodammodo oris imaginem videtur induere. Nam, ubi primum, summi illius honoris limen attigit, continuo mutat mores, novas cogitationes, nova consilia suscipit, novo nomine appellari se præcipit. Sixti V est hoc, hominis sapientissimi; ad quem, recens Pontificem factum, cum summus vir quidam venisset, ut tantam illi dignitatem gratularetur, a quo insignem accepisset injuriam, humaniter hominem excipiens, ejusmodi ad eum orationem habuit: Quam F. Felici Peretto, Card. a Monte alto, injuriam imposuisti, scito, te impune ablaturum; sed cave posthac, ne Sixtum V, in quem, ex fratre Felici, transivi, novo scelere, vel quemlibet alium, mihi subjectum, offendas; etenim intelliges, quid sit periculi, Sixtum V, Pont. maximum, lædere. Cum igitur Maphæus Barberinus duas imagines referat, unam Maphæi, Urbani VIII Pontificis alteram, ea relicta, quæ est Urbani, Maphæi solius imaginem in Pinacothecam nostram inferemus. Ortus ille est Florentiæ, familia honesta. Statim ab ineunte ætate, multa ac magna celebris ac peracris ingenii signa ostendit. Quamobrem Ro-

Romam, a parentibus missus, demigravit, ubi quamvis ad extremum usque spiritum vitæ permanserit, incorruptam tamen sermonis, quem cum lacte nutricis hauserat, antiquitatem conservavit; atque ejus vox semper Romanis auribus peregrinum quiddam olere ac resonare visa est. Sed, ubi Romam pervenit, omnibus iis doctrinis, quibus puerilis ætas informari ad humanitatem solet, institutus est in scholis Patrum Soc. Jesu, a duobus illis exquisitis magistris, Tursellino ac Bencio. Literas etiam Græcas avide ac diligenter arripuit. Sed ad poëticæ facultatis in primis studium a natura ferebatur; ad quod magna etiam, ab eadem, instrumenta acceperat. Ex poëtis, qui tum florebant, Aurelium Ursum dilexit ex omnibus plurimum, eumque sibi magistrum elegit; adeoque in hac exercitatione studioque sese continuit, ut nullis negotiorum occupationibus, nullis honorum ambitionibus, sit ab eo distractus. Neque mirum, si tantam sit facultatem adeptus, ut non videam, cui ille deberet cedere, una ætate qui esset. Sed, in odis præsertim, proxime ad veterum poëtarum laudem videtur accedere. Quid verbis opus est? ita puræ, ita elegantes, ita Latinæ, ita omni lepore omnique rerum ac sententiarum flore conspersæ, Patribus Soc. Jesu, sunt visæ, ut, ipso vivo, in ipsorum scholis, discipulis ad imitandum proponerentur. Quod, ex recentioribus poëtis contigit ante ipsum nemini. Semper enim veteres, in quibus perfectæ eloquentiæ laus continetur, aptiores sunt habiti, in quibus imitandis adolescentes primum illud ineuntis ætatis studium collocarent. At quanto fecisset rectius, si se in hoc Latine scribendi labore continuisset, neque studium suum ad Etruscas Musas transtulisset? nam, dum conatur, ceteris, in hac etiam lingua, summi poëtæ palmam præripere, inventus est, multis, longo intervallo, inferior. Accessit deinde ad honores adipiscendos, & Remp. gerendam, non nudus, atque inermis, nulla cognitione rerum, nulla scientia imbutus, sed omnium bonarum artium ornamentis instructus. Atque initium Reip. capessendæ cepit, a supplicibus libellis Pont. max. referendis; in eorum enim ordinem, quibus id minus incumbit, adscitus est. Tum, Abbreviatoris,

postea, cum divitiis abundaret, Cameræ Apostolicæ Clerici, locum ac numerum obtinuit. Quo munere cum egregie fungeretur, missus est a Clemente VIII Nuncius in Galliam; cujus etiam nomine, Regis filium, de sacro Baptismatis fonte, suscepit. Et, quia apud illum Regem, omnium maximum, Sedis Apostolicæ rem feliciter gesserat, a Paulo V Cardinalis renunciatus est: qui locus illi, atque honos, ita deberi putabatur, ut nemo contradiceret. Sed non licuit tantæ hominis virtuti esse otiosæ, quod virtutis vis omnis in actione consistat; sed necesse erat, ut, qui ad Remp. gerendam a natura factus esset, traderet se totum Reip. omnemque, ad eam administrandam tuendamque, curam ac solicitudinem conferret. Quod optime Paulus V, acerrimo vir judicio, intelligens, quem Maphæi sapientia non fugerat, cujusque, maximis gravissimisque in rebus, periculum fecerat, ex Musarum hortulis, ubi, a negociis publicis feriatus, interdum se oblectabat, eductum, in arduam sane difficilemque provinciam transtulit, nimirum Bononiam, ut eam, Legati nomine, administraret. Quibus postea partibus cum fide diligentiaque transactis, Signaturæ eum justitiæ, quam vocant, præfecit. Atque in omnibus his muneribus, quidquid illi vacui temporis a negociis publicis dabatur, totum eruditorum hominum, sine quibus nullam esse vitam duceret, consuetudini colloquiisque concedebat; ut minime dubia, planeque explorata spes esset, si unquam ad summam amplitudinem pervenisset, nihil fore literatis hominibus felicius; neminem enim circa se habiturum, neminem honoribus amplificaturum, nemini ea munera, quæ debentur industriæ, mandaturum, nisi qui sapientiæ, præ ceteris, gloria excelleret. Quemadmodum jam eam, quam de ipso commoverat, expectationem expleverit, dicent alii; qui Urbani VIII Pont. Max. imaginem, diserta oratione tanquam coloribus pictam, expressuri sunt.

L. FRAN-

L. FRANCISCUS BENCIUS.

ET propositi nostri ratio, & grati erga eos, qui optime de nobis meriti sunt, animi virtus, & illorum excellens in omni humanitatis genere laus, a nobis exigit, ut egregia, trium præstantissimorum e Societate Jesu hominum ingenia posteritati mandemus; quamvis suis ipsi scriptis assecuti sint, ut immortalem nominis sui memoriam efficerent. Etenim, ex ipsorum ludo, tanquam ex aliqua eloquentiæ officina, cum ea, quantulacunque in nobis est, facultate prodivimus. Atque exordiamur a Francisco Bencio; qui, ante quam in Societatem Jesu veniret, Plautus appellabatur, ab Aquapendente. Hic, admodum adolescens, in disciplina M. Antonii Mureti, qui tum eloquentiæ omnisque elegantis doctrinæ princeps habebatur, educatus, atque Græcis ac Latinis literis institutus est. Ex quibus, quasi fundamentis, ea illi eloquentiæ & eruditionis ædificatio extructa est, quæ pervenit ad summum. Verum ille, id quod raro usu venire videmus, summam eruditionem cum summa probitate, non ex certo tempore, sed ab ineunte ætate, suscepta atque exculta, conjunxit. Atque, ut eloquentiam, ad quam non minima, a natura, adjumenta se habere intelligebat, doctrinarum studiis instrueret, sine quibus verborum volubilitas inanis atque irridenda est; quasi ad earum mercatum, ad Gymnasium Romanum, & ad scholas Soc. Jesu, se contulit, ut Jurisprudentiæ ac Philosophiæ præceptis institueretur. Sed, in eo mercatu, illud etiam mercimonium est nactus, quod, divini numinis instinctu compulsus, fuerit coactus, venditis rebus, quæ habuerat, omnibus, emere. Quæ res, quoniam continet aliquid, dignum admiratione, quodque Dei in eos, quos sibi elegit, providentiam maxime referat, non est prætereunda silentio. Jam Romæ septennium commoratus fuerat, cum, die quodam, in Æde Deiparæ Virginis Annunciatæ, Collegii Soc. Jesu, sacramento Pœnitentiæ, peccatorum sordes ablueret, visus est vocem, in hæc verba, audire, Et tu quoque aliquando, religiosorum istorum numerum augebis.

Quam ille vocem primo neglexit, nec per aures penetrare in animum sivit, sed in suis Jurisprudentiæ ac Philosophiæ studiis sese continuit; quo, eorum præsidio, ad opes honoresque aditus sibi muniret. Quapropter omnes arctioris vitæ cogitationes, utpote consiliis suis inimicas, quantum potest, abire jubebat ex animo. Sed frustra. Nam, quæ inscitia est, adversus stimulum calces? Feriis enim, Christo ab inferis resurgenti sacris, cum, ex Ecclesiæ præcepto, Christi corporis Sacramenta sumsisset, sensit, se tanta vi impetuque a superioribus illis cogitationibus impelli agitarique, ut, cum ferre non posset, eas necesse habuerit illi, qui sibi erat a confessionibus, aperire. Inter hæc, quædam res incidit, quæ homini, ad perfectioris vitæ terminos properanti, quædam quasi calcaria addidit. At enim, multorum est ad eum literis perlatum, matrem, quam præcipua amoris sui parte complectebatur, lethali implicitam morbo, ita periclitari, ut, de medicorum sententia, pronunciatum esset, nullam in ea spem salutis reliquam esse. Itaque advolat in patriam, ventis atque avibus ocius. Sed, in itinere, eam comperit diem obiisse supremum. Ex quo nuncio, ita ab intimo quodam animi dolore oppressus est, ut omnia eum solatia deficerent. Cumque lacrimarum fluctibus pene obrueretur, a Christo, cujus crucifixi imaginem oculis subjectam habebat, summa vi & ardore animi, opem auxiliumque expetiit. Qua in precatione, sensit sibi, pristinæ vocationis memoriam refricari, animumque, ad propositum, Societati Jesu nomen dandi, renovari revocarique. In qua sententia eo libentius mansit, quod acceperat, illud unicum matris suæ votum fuisse, ut in Societatem Jesu ingrederetur. Ac, ne longum faciam, senatu consiliorum suorum in animum convocato, & rationibus diligenter examinatis, quæ ipsum, aut sententiam mutare, aut in ea permanere, suadebant; cum horam integram, in ea deliberatione, consumsisset, Christo, vocanti se, atque adeo attrahenti, manus dedit. In Societatem Jesu recepto, nihil fuit antiquius, quam ut Mureto magistro, laboris, quem in ipso erudiendo susceperat, gratiam referret: neque habuit majus pretium, quod illi persolveret, quam ut persua-

ſuaderet, ut, ſacris initiatus, vitam, eo loco atque ordine dignam, exigeret. In quo fuit felix. Nam impetravit, cumque, cohortationibus ſuis, ita mores mutare coëgit, ut eſſet omnibus exemplo, ſanctiſſimeque moreretur. Quem etiam mortuum laudavit, luculenta oratione, quæ extat. Quanti autem Muretus Bentium faceret, declarabant honorifici, quos de illius eloquentia, eruditione, ac doctrina, ſermones habebat, ut etiam laudum ſuarum ſummam in eo collocatam haberet, quod, qui ad Bencium audiendum confluerent, ad Mureti auditorem atque alumnum ire, ſe prædicarent: declararunt etiam Ariſtotelis Rhetoricorum libri duo, quos, a ſe in Latinum ſermonem converſos, illius nomini dicatos emiſit: quos etiam libros Bencius, publice, me audiente, ejusque dicta excipiente, interpretatus eſt. Erat multi laboris multæque induſtriæ; quibus rebus, eximiam dicendi vim, & minime vulgare eruditionis genus, eſt aſſecutus, præterea ſummam apud omnes literatos exiſtimationem ac famam, a quibus conſulebatur, frequenter audiebatur, ac certatim diligebatur. Fuit etiam ſummis viris, multisque Cardinalibus, apud quos literarum ſtudia vigebant, eximie carus, ab eisque magno in honore habitus. In quem illud extat Cæſaris Cardinalis Baronii elogium: *Franciſcus Bencius, vir maxime pius, & inſigniter eruditus, qui, & Muſas reddidit Chriſtianas, & graviore concentu canoras.* Neque tamen, ex hoc hominum favore & gratia, ejus unquam elati ſunt animi, aut unquam illi aliquid arrogantiæ acceſſit; ſed humilis ac demiſſus, ea gloria, quamvis virtute parta, minime delectabatur, totamque abjiciebat, atque deponebat. Erat ingenium mite, apertum, ac ſimplex, nullaque ſimulationis arte fucatum. Quæ res magnum ſibi omnium amorem & ſtudium conciliabat. Sed, cum plures annos Romæ, in Gymnaſio Soc. Jeſu, Rhetoricam docuiſſet, aliquot etiam Ariſtotelis Moralium libros, magna cum laude, interpretatus eſſet, tandem gravi morbo cœpit urgeri. Ex quo, cum fortaſſe præſagiret, ſe non eſſe convaliturum, quemadmodum P. Franciſcum Carrettonium tum mihi dixiſſe memini, volentibus eum adire, hanc legem indixit, ne alios ſermones,

nisi de rebus spiritualibus ac divinis, inferrent, ceteroqui eorum salutantium officia se nihil morari. Vixit annos duos & quinquaginta: quorum duo & triginta in Societate consumserat, cum, annos natus, non amplius viginti, se iu ea Christo mancipasset. Multa scripsit egregie, tum soluta oratione, tum versibus. Quæ autem mandata sunt typis, hæc enumerantur. Annuarum literarum, de rebus Societatis, volumina quatuor. Quinque Martyres; poëma heroicum. Orationum & poëmatum, volumina duo. Ergastus & Philotimus, drama, quod magno apparatu datum est in aula Gymnasii Societatis ejusdem, cum in literario certamine, victores corona ac præmio donarentur.

LI. HORATIUS TURSELLINUS.

SEquitur vir alter eximius, Horatius Tursellinus, Romanus, in quo, dubitari posse videtur, quid plus laudis habuerit, num humilitatis virtus, an politissimarum literarum elegantia. In utroque enim harum virtutum genere, mirum in modum excelluit. At, si rationum momenta, non solum artificis statera, sed etiam populari, ut dicitur, trutina expendantur, humilitati ejusdem palmam dandam esse reperietur. Nam, esse quantumvis disertum, atque etiam eloquentem, quamvis res difficilis inventu sit, tamen naturale quoddam est bonum; at, sentire, se ceteris superiorem esse, neque tamen pati, se animum altius attollere, sed potius illum demissum, atque omnibus subjectum habere, divinitatis cujusdam esse censetur. Neque id obscurum aut latens, sed maxime est perspicuum ac patens. Etenim disciplina hæc, se ceteris summittendi, ex divinæ sapientiæ thesauris depromta, Christi Salvatoris nostri verbis, sed magis exemplo, commendatur ac traditur; qui, cum, utpote Deus, natura, imperio, æternitate, par ac similis Patri, hujus virtutis usum atque experientiam habere non posset, quasi mortalibus invidens tantam felicitatem, se mortalem immortalis effecit, in eamque humilitatis altitudinem conjecit, in quam nemo adhuc pervenit. Tursellinus igitur, civis Romanus, nec obscuro inter suos natus loco, cum præstaret ingenio, ac pos-

poſſet, in ea Sodalitate, in quam ſe adſcribendum curaverat, vel Remp. capeſſere, aſcendens gradibus magiſtratuum, vel gravioribus diſciplinis operam tribuens, honeſtiorem docendi provinciam obtinere, aut ad majora negotia adhiberi, in literarum humaniorum ſtudiis continere ſe maluit, atque anno cIↃ IↃ LXII, quo anno, Societatis Jeſu inſtitutum amplexus eſt, quoniam id ad majorem Dei gloriam redundaturum intelligebat, facultati illi ſe totum addixit, cujus in ſinum, a primis temporibus ætatis, ſua eum voluntas ſtudiumque contulerat. Itaque ſuperioribus (licet enim hoc) ſe promptum exhibuit, ut omne curriculum induſtriæ ſuæ, usque ad extremum vitæ ſpiritum, in erudienda exercendaque, in bonis literis, adoleſcentia ac juventute conficeret. Intelligebat nimirum, quanta vis in prima puerili illa inſtitutione, ad reliquum vitæ curſum ineſſet. Quod ita apte eleganterque faciebat, ut nihil aptius. Nam in iis ſcriptionibus, in quibus adoleſcentes exercebat, nihil continebatur, niſi ſacrum, religioſum, ac pium; & ex iis etiam ethnicis auctoribus, quos interpretabatur, plures ſententias eligebat, fuſiusque explicabat, quæ illis, ad mores componendos, ex uſu eſſent. Sed quid mirum? proximus S. Ignatii Lojolæ, ordinis auctoris, temporibus extitit, cum Socii inter ſe de humilitate, patientia, probitate, deque omni virtute certabant, atque ipſius Ignatii ſanctitas, qui omnia ſolitus eſſet ad majorem Dei gloriam referre, recens in ſuorum memoria hæreret. Narrabat mihi P. Stephanus, cum ille, ad veterum poëtarum obſcœna vel amatoria carmina, præſertim Tibulli, ad Latinæ linguæ notitiam legenda, accedebat, ne quod humani generis hoſtis, ex ea lectione, animæ ſuæ vulnus infligeret, ſolitum eſſe antea, poſitis humi genibus, humili demiſſaque ad Deum oratione ſeſe munire. Docuit Romæ juventutem, annos viginti; quorum poſtremo, ejus ego auditor fui, atque elegantiſſimæ orationi interfui, qua commemorabat, ſe, tanquam emeritis ſtipendiis, docendi labore ſolutum, miſſionem impetraſſe, vel tanquam equum, ſenectute confectum, liberam per agros evagandi poteſtatem obtinuiſſe. Quamquam in hoc errabat: nam,

cum hæc loqueretur, vix quinquagesimum annum attigerat. Non desiit tamen in Collegio Romano privatim multos erudire, qui postea optimi dicendi magistri extiterunt. Partem etiam aliquam, in sua Societate, publici muneris attigit. Nam Seminarium Romanum, Collegium Florentinum, & Lauretanum, Rectoris nomine administravit. Laureti autem, mortifero morbo implicitus, ac jam depositus ac desperatus, Deiparæ Virginis patrocinio, in cujus opem auxiliumque confugerat, (ita enim ejus egregia in Virginem pietas nos credere persuadet,) amissam valetudinem recuperavit; sed denium anno cIↃ IↃ C IX, VIII Idus Aprilis, e vita emigravit, si ætatem spectemus (erat enim annos natus quatuor & quinquaginta,) nondum morti maturus. Multa edidit, in quibus incorrupta Latini sermonis sanitas, & Ciceronis elegantia, quem sibi ad imitandum proposuerat, tincta, apparet oratio; De vita S. Francisci Xaverii lib. VI; Epistolarum ejusdem lib. IV; Lauretanæ historiæ lib. VII; Literas annuas Soc. Jesu anni cIↃ IↃ C III; De particulis Latinæ orationis; Nomenclatorem vocum Latinarum; Orationem funebrem in morte Gregorii XIII; Epitomen historiarum a mundo condito, lib. X.

LII. HIERONYMUS BRUNELLUS.

HUic æquum erat, corporis staturam, virtuti parem, contigisse. Erat enim corpore pusillus, in quo sæpe ab auditoribus suis irridebatur, sed virtute & eruditione magnus, Hebraicis, Græcis, & Latinis literis, apprime doctus: quas omnes linguas, multos annos, in Gymnasio Rom. Soc. Jesu, magna cum laude, docuit. Latine autem, ita scienter, ita nitide, eleganterque scribebat, ut proxime ad veterum oratorum laudem videretur accedere. Nihil erat, in ejus oratione, nisi purum, nisi sanum, nisi Latinum; nullum verbum, nisi, tanquam tesserulæ in emblemate vermiculato, suo loco positum; nihil confusum, aut obscurum, sed recte disposita, atque perspicua omnia. Abfuit quidem ab eo vis illa oratoria: itaque orationes nunquam scripsit, quod

quod sciam, sed præfationes tantum, & epistolas; in quibus mira hæc, quam dico, sermonis puritas & elegantia deprehenditur. Erat præterea in notandis animadvertendisque vitiis, & instituendo docendoque, prudentissimus. Quamobrem multi viri doctissimi, ejus judicio atque censuræ, sua scripta subjiciebant; neque, quod ipse correxerat, defendere audebant. Hoc correctore ac judice utebatur Fulvius Ursinus, vir, nostra ætate, eloquentia & eruditione clarissimus. Ego quoque eloquentiæ studium, annos plures, Philosophiæ, Theologiæ, ac Jurisprudentiæ, quibus artibus assiduam operam dabam, occupationibus intermissum, hoc rursus summo auctore & doctore renovavi. Ac tanta erat in homine humanitas atque benignitas, ut neminem, qui ad ipsum venisset, respueret, sed humaniter omnes exciperet, seque illis ad docendum daret. Cujus ego, in docendo instituendoque, patientiam satis mirari non possum, cum importunitatis meæ venit in mentem, qua, extremis ejus vitæ annis, eram illi molestus. Nam, cum discendi studio flagrarem, nullus fere dies abibat, quin me illi, cum scriptione aliqua, sisterem, ut ab eo corrigerer; neque unquam repulsus, tristis domum redivi. Atque hæc ejus in docendo facilitas eo erat gratior, quo, sine arrogantia, ad aliorum scripta emendanda, videbatur accedere. Sed totum hoc caritati illi, omnes juvandi, qua intus æstuabat, referendum erat acceptum. Erat enim vir optimus, atque sanctissimus, & iis præditus moribus, qui discuntur in ea Societate, cui pene ab ineunte ætate nomen suum dederat, ubi annos quadraginta & octo ita exegerat, ut, tum sociis suis, tum aliis, exemplum esset, innocentiæ, probitatis, modestiæ, virtutumque omnium. Et, quamquam infirmissimis esset viribus, tamen longior illi vita suppeditavit, quam duobus illis superioribus, Bencio nempe ac Tursellino, qui robustiore corporis firmitate esse videbantur. Nam est usque ad tertium & sexagesimum annum ætate provectus. Edidit orationes aliquot D. Jo. Chrysostomi, in Latinum conversas; videlicet, de descensu Christi ad inferos, & latrone; & orationem in duodecim Apostolos; item eam, Quod nemo læditur, nisi a se ipso; Catenam in Ezechielem Prophetam, ex Sforziana bibliotheca productam.

LIII.

LIII. IULIUS SANSEDO-NIUS.

MUltæ me causæ impellunt, ut Julii Sansedonii imaginem oris, in mea Pinacotheca, una cum aliorum illustrium virorum tabulis, meo rudi stylo, tanquam penicillo, depictis, affigam: primum, longa jam inde a puero, hominis notitia; quamquam nullus mihi cum eo usus necessitudoque intercesserit: tum, propinquitas, quam non inepte Terentianus ille senex, in propinqua parte amicitiæ posuit; etenim aliquot ante ejus obitum mensibus illuc viciniæ commigraveram, ubi ædes conductas habebat: postremo, domus in qua nunc habito, non solum ejus mihi memoriam refricat, verum ipsum etiam ante oculos statuit; ac videre eum videor, ad crucem, quam duabus ex trabibus compactam, in horto ædibus adjuncto, defixam habebat, in Christi Domini passionis ac mortis meditatione defixum hærere; in sacello, in quod unum ex cubiculis converterat, rem divinam facere; in bibliotheca, quam multis ex libris sibi construxerat, literis operam dare; ad B. Virginis aliorumque Sanctorum imagines, quæ in omnibus domus angulis, ostiis, parietibus, affixæ conspiciuntur, caput ac genua flectere; denique ex hac domo, quæ, multos annos, probitatis ipsius domicilium fuit, e vinculis corporis solutum, in cælum, (neque enim mihi aliter persuadeo) tanquam in suam domum, emigrare, ut, una cum sui similibus, ævo sempiterno fruatur. Nam hunc, sane amœnum, ac remotum ab arbitris, locum sibi delegerat, ut perquam similem Eremitis vitam posset exigere. Neque defuerunt, qui id illi ocium quietemque conarentur adimere. Etenim adolescens, summa apud virum principem gratia, ac propterea insolentissimus, adnexas domui illius ædes, magnis sumptibus, a Domino suppeditatis, ædificaverat; unde tam multi erant illius in impluvium hortumque prospectui, ut omnes, qui illic habitarent, Julio arbitri essent, quid suæ fieret domi: e qua ne foras ejiceretur, vix ætatis, ad extremum perductæ, misericordia, & mortis jam adventantis vici-

cinitate, obtinuit. Volebat enim adoleſcens ille, longius ædificando, procedere, domumque illam, cupiditatis, quæ nunquam expletur, faucibus abſorbere. Sed omnes ejus conatus in irritum reciderunt. Nam brevi Deus oſtendit, quid ſit periculi, eos lædere, ac pro nihilo ducere, quos in amicorum numero habeat. Ille enim vir princeps, cujus fiducia, adoleſcens tantam arrogantiam ac tantos ſpiritus ſumſerat, aliquot ante annos, quam ille, cui mortem in foribus jam eſſe putabat, eſt mortuus, eumque ſecum una paucos poſt menſes attraxit, qui erat ipſi in amoribus ac deliciis. Etenim adoleſcens, bonis omnibus everſus, extra eam civitatem, in qua opibus, gratia, atque divitiis floruerat, in quadam taberna diverſoria, omnibus ad neceſſarium uſum egens, exceſſit e medio. Sed illuc redeamus. Julius igitur ex Sanſedonia gente, vetere ac nobili familia, ortus eſt Senis, in Etruria; quæ civitas, ut plurima atque clariſſima egregiæ ſanctitatis lumina declarant, ſanctorum virorum ſanctarumque mulierum, fœcunda ſemper genitrix extitit. Quamobrem, domi conceptam, partam, educatam probitatem, una cum bonis artibus, quibus erat excultus, tranſtulit in urbem Romam, hoc eſt, in ampliſſimum celeberrimumque orbis terræ theatrum; ut eſſet omnibus ſpectaculo. Ad pauca quædam de eo, qui in hac Urbe perpetuo manſit, tranquilliſſime ſenuit, ac ſanctiſſime obiit, exponam; quæ non ab aliis, qui ipſi vidiſſent, accepi, ſed meis ipſe oculis hauſi. Neque ſum neſcius, longe plura, mihi incognita, ſilentio tranſiri; ſed, qui legerit, cum plura noverit, hanc a me jacturam rerum, animo æquo fieri patietur, ſi meminerit, non eſſe mihi propoſitum, clari cujusque hominis vitam, tanquam totum corpus, cernendum referre, ſed oris tantum imaginem, quam maxime cum naturæ veritate certantem, exprimere. Ac primum, exceptus eſt inter eos Sacerdotes, qui a Sodalitate Caritatis aluntur, ut, in templo S. Hieronymi, confeſſiones audiant, Miſſæ ſacrificium faciant, ac diebus feſtis, ſolemni ritu cantuque ſymphoniæ, rem divinam faciant, interdum etiam ſermones de rebus divinis, ad ſpirituales ipſorum filios, habeant. In quo contubernio mul-

multos laudabiliter complevit annos, adeo, ut nullam egregiæ cum muliere quapiam familiaritatis suspicionem dederit; nihilque commiserit, quod eam, quæ de ejus innocentia erat, opinionem aliqua ex parte labefactaret. Præfuit deinde domui illi; in cujus impluvio, S. Philippi Nerii, socios suos B. Virgini commendantis, imaginem, coloribus pingendam exprimendamque curavit, cum elogio, in quo scriptum erat, S. Philippum in ea domo Sacerdotem fuisse, ac tres & triginta ibi annos, animarum saluti strenue operam dando, consumsisse, & Congregationis Oratorii fundamenta jecisse. At tantus erat, in Julio Sansedonio, ecclesiasticorum rituum ac ceremoniarum usus, tantus in agendo lepos ac dignitas, tanta in voce suavitas, ut fere semper, ad solemnia sacra facienda, ad vespertinas horas concinendas, Sacerdos adhiberetur. Per id tempus, Clemens VIII, Pont. Max. edixerat, ut alumni Collegii Germanici, Jus Pontificium discerent; quod olim, faciens iter per Germaniam, ab iis, qui ad Episcopatus ascendissent, sacrorum Canonum ignoratione, multa iniqua judicia fieri animadvertisset, ejus Juris docendi provinciam, a Patribus Soc. Jesu demandatam, acceperat Petrus Albertinus, magis Philosophus ac Theologus præstans, quam Jurisconsultus metuendus; qui, cum in disputationibus quibusdam, a P. Lepido Piccolomineo, ejus juris peritissimo, argumento breviter arguteque concluso captus esset, sive pudore deterritus, sive quod ejus opera ab Odoardo Card. Farnesio conducta esset, eo se munere abdicavit. Quod statim Sansedonius sibi delatum accepit, neque antea dimisit, quam a Paulo V factus est Grosseti Episcopus. Sed, cum neque amœnum neque salubrem in locum venisset, atque eam fortasse provinciam, multis obseptam difficultatibus comperisset, æstuare vehementer animo cœpit, ac varias in partes distrahi. Ac forsitan hæ tentationes illæ erant, a quibus cum oppugnaretur, sibi erat visus in somnis S. Philippus Nerius dicere, ut ad ea remedia confugeret, quæ olim ab ipso didicisset. Etenim sanctissimi illius viri memoriam præcipuo quodam honore studioque prosequebatur, cui peccata sua confiteri, ab eoque consilium, ad omnes vitæ

tæ suæ rationes, expetere solitus fuerat; atque parvum illud Christi crucifixi signum ex argento, quod S. Patris, sepultura affecti, pectori insidet, munus illius est, memoris sui erga eundem Patrem animi monumentum. Sed cum, ut antea narrabam, diutiùs in ea cogitatione curaque fuisset, tandem statuit, optimum factu esse, Episcopatum dimittere, eique, unde acceperat, reddere. Quod ab ipso factum est statim. Verum, quia nihil sibi reliqui fecerat, unde viveret, cogebatur prope victum emendicare. Multi viri locupletes ac nobiles, ejus sanctitatis fama compulsi, ejusdem sumtibus largius etiam quam necessitates suæ postularent, suppeditabant. Præterea, ejus inopia sublevabatur ab iis, quos sacris initiabat: multi enim, ob sanctitatis opinionem, quam de eo conceperant, dabant operam, ut ab ipso potissimum initiarentur. Totus erat pietatis operibus deditus; valetudinaria invisere, ægrotantium cubilia circumire, ægris ministrare, lectulos sternere, nulla in eis curandis, ne vilissimi quidem hominis, officia desugere, loca religiosa frequentare, ea præsertim, in quibus homines, pœnis ultro susceptis, in se desæviunt. Deinde, ligneam sub lecto, ubi cubabat, arcam, in qua mortuus condi vellet, habebat; in eaque, una cum mitra, pontificia ornamenta, quibus indueretur, continebantur. Quibus rebus fiebat, ut vir sanctus atque perfectus, ab omnibus haberetur. Sed tandem ex calculo, qui omnes urinæ aditus obstructos habebat, summa animi æquitate, ut sanctos viros decet, excessit e vita; Patribus Congregationis Oratorii Romani, heredibus relictis: ex quo nempe Deus paupertatis amatorem non destituerat penitus victu, rebusque necessariis pluribus; utut non parum id mirati aliqui fuerint. Multa hominem, abundanti ingenio atque affluentem ocio, scripsisse necesse est; sed nihil extat, quod quidem ad notitiam meam venit, præter vitam B. Ambrosii Sansedonii, ex Dominicana familia; cujus etiam imaginem, supra ostium domus, ubi corporis vinculis laxatus abiit e medio, graphice depingendam curaverat.

LIV.

LIV. ROMULUS PARADISUS.

CIvitas Castellana, Vejentum urbs primaria, fere semper plures, præstantes in omnium virtutum genere, viros edit, Philosophos, Medicos; qui, suis scriptis atque doctrinis, facultati illi, cujus erant principes, plurimum splendoris ac luminis attulerunt. E quibus, non sui modo ævi, sed alterius etiam, longe superioris, omnibus antecedit ille, cui Roma multum se debere fatetur; Alexander nimirum Petronius, qui suis civibus salubriter vivendi rationem ostendit, & in ea urbe, ætatem, ad extremum usque senectutem, perducendi, tanquam vias aperuit. Quam multos musicæ artis peritissimos tulit! quot poëtas, non ignobiles, dedit! In quibus non postremum obtinet locum, Romulus Paradisus, Hieronymi filius; qui a patre, una cum hereditate, miram, ad poësin, indolem accepit. Fuit enim ille, poëta sonorus ac grandis: a cujus similitudine, natura filium non abstraxit; a qua ad illud sublime ac tragicum scribendi genus ferebatur; cui etiam illa corporis proceritatem, oris dignitatem, vocis claritatem ac magnitudinem, addidit, quo grandius pleniusque, quod illi exibat ab ore, sonaret. Sui igitur ingenii viribus fretus, in Urbem Romulus venit, non quidem omnium rerum rudis, sed, parentum diligentia, puerilibus disciplinis excultus, ut fortunam experiretur, num sibi, cupienti Remp. capessere, ad quam incitato studio ferebatur, adversatrix, an favorabilis esset. Atque, ne ad honores adipiscendos, & ad Remp. gerendam, nudus veniret, nulla juris scientia ornatus, jus utrumque, civile ac pontificium, didicit, & utriusque interpretandi facultatem obtinuit. Sed, quia ita comparatum videmus, ut, qui se ipso tantum, nec pecunia, fretus, quæ sua vi perrumpit omnia, ac bonorum præmia ereptum it, adire ad Remp. velit, nugas agat, nisi aliquem ad eam aditum januamque patefecerit; videlicet, nisi apud aliquem magistratum vel principem virum, quid ingenio, quid li-

literis, quid prudentia efficere possit, ostenderit; perfecit, amicorum opera, ut Petri Pauli Crescentii, per id tempus, Cameræ Apostolicæ Auditoris, ab epistolis esset, suæque eidem integritatis, fidei, probitatisque specimen aliquod ederet. In quo munere tuendó, satis signi dedit, qua abstinentia futurus fuisset, si partem aliquam Reip. potuisset attingere. Nam, cum a quodam, cui, nescio quid, apud suum dominum, in beneficio & gratia impetraverat, nummi aliquot aurei essent allati, non solum ab illis abstinuit, sed oculos, iratus, avertit; non solum, qui donabat, liberaliter non est complexus, verum etiam, male verbis acceptum, insectatus est malleo, quo signum epistolis imprimebat. Quod minus mirum videretur, si factum esset ab homine locuplete ac nullius rei egente: sed, tam singularis abstinentiæ exemplum, profectum est ab eo, qui in summa rei nummariæ difficultate esset, maximisque rei familiaris angustiis premeretur. At hic spectatæ vir probitatis, Crescentio in Cardinalium collegium cooptato, ob cujusdam, gratiosi apud illum hominis, arrogantiam contumaciamque, quam ingenio liberoque animo affecti ferre non possunt, coactus est, domo illa discedere, & ad Aloysium Cardinalem Capponum, cum eodem munere, transire. Quem secutus est Bononiam, in illa ejus nobili legatione. Ubi quemadmodum partes, sibi commissas ac traditas, administraverit, idemmet Cardinalis Capponus ostendit; qui, reversus Romam, Roberto Card. Ubaldino, omnium maximarum artium studiis omnisque elegantia doctrinæ expolitissimo ornatissimoque, commendavit, & ab epistolis tradidit. Apud quem, dum vixit, fuit in honore atque æstimatione: neque dubium est, quin ad opes honoresque pervenisset, si non celeriter eum vita defecisset; nondum enim secundum & quadragesimum compleverat annum. Quæ mortis celeritas eo luctuosior, atque ab artium elegantissimarum studiis alienior, existimari debet, quod non licuit illi, Mezentium suum, heroicum poëma, Etrusca lingua compositum, edere; ex quo liceret intelligere, quantum vir ille ingenio præstaret; nec epistolas, ad viginti millia, typis mandare. Sed, quod caput est, ejus probitatis

 nul-

nullum certius adduci argumentum poteſt, quod nihil fere in ejus facultatibus inventum eſt, ut poſſet efferri, ac neceſſe cum fuerit, ſine aliqua pompa, in ſepulcro infimæ ſortis hominum condere. Et ſane non alius illi vitæ finis contigit, niſi ille, qui plerumque ſolet iis evenire, qui, quantumvis ingenioſi, in aulis principum virorum, fortunæ, quæ fere ſemper eſt fallax, ſeſe committunt. Illud vero, oppido ridiculum, nulla eſt ratio prætermittere. Nam, cum rhythmos quoſdam typis mandare conſtituiſſet, illi, quem penes eſt facere librorum, non præcipuorum tamen, imprimendorum poteſtatem, ut moris eſt, tradidit, ut eos legeret, ac typographo excudendos dari curaret. Qui, ut primum in *Paradiſi* nomen incurrit, illico, non ſecus ac ſi anguem pede preſſiſſet, exhorruit, atque, Tibi removendum eſt, inquit, ab hoc libro nomen iſtud, quod non ſecus ab Etruſcis carminibus, tanquam prohibitum alienumque, repellitur, ut cælum, ſors, fatum, aliaque ejuſmodi minime uſurpanda vocabula. Sumtoque calamo, *Paradiſi* cognomen delevit, ejuſque loco, tria puncta, hoc videlicet modo ... ſubſtituit. Eademque opera, interminatus eidem eſt, ne auderet, *Paradiſi* nomen, in eum, unde depulſum fuerat, locum reſtituere; nam illico curaturum ſe, ut opus illud inter prohibitos atque invendibiles libros rejiceretur. Romulus, admirans hominis ſimplicitatem, vix ſe continuit, quin in riſum effunderetur; ſed, ſibi vim adhibens, tacitus abiit. Nec mora; librum typographo, cum illis tribus punctis, loco cognominis, imprimendum tradidit. Cujus poſtea exempla cum inter amicos plura diviſiſſet, ut quiſque illi obviam venerat, Mi Paradiſe, ajebat, jure partam ex tuis carminibus laudem tibi vehementer gratulor. Cui Romulus, admoto ad os digito, Cave, dicebat, obſecro, ne hoc me cognomento appelles, niſi poſtulas, librum, ex hominum manibus ereptum, impiorum ſceleratorumque librorum numero haberi. At, quodnam tibi nomen dicam eſſe? replicabat ille. Reſpondebat, *Romulo trium punctorum*; nam id mihi cognomen, vetere inducto, indidit ille, qui libros imprimendi copiam facit. Quæ res, non poteſt ſatis narrari, quos ludos aulæ præbuerit.

LV.

LV. GABRIEL PENNOTTUS.

NObilis ac vetus, jam inde a Constantini ac B. Sylvestri temporibus ducta, Canonicorum Lateranensium familia; eorum, inquam, qui arctioris vitæ lege adstricti continentur; optimis semper ingeniis, ac præstantium eloquentia, ac multiplici literarum genere, virorum copia, floruit: qui, non suæ modo familiæ decori ornamentoque, verum etiam Ecclesiæ universæ, utilitati atque splendori fuerunt. Atque, ut, ex superiorum seculorum spaciis, orationem in hæc nostra tempora contraham; ex iis, qui in ea familia laude digni extiterunt, numerandus mihi videtur in primis Gabriel Pennottus, Novariensis. Hic, sacris literis non mediocriter institutus, multos annos, apud suos fratres, Theologiam docendi munus egregie sustinuit, ac præcipuas Italiæ civitates, Quadragesimæ diebus, non minori eloquentia, divini verbi semine coluit. Sed omnis ejus facultas præsertim perspici potest ex sacri Clericorum Canonicorum Ordinis historia tripartita; quæ, ut mea fert opinio, est ceteris ejus laudibus anteponenda. In cujus historiæ prima parte, de clericali S. Patris Augustini habitu institutoque copiosissime disserit; quibus de rebus magna semper fuit, inter eosdem Canonicos, & Eremitanos ejusdem instituti fratres, discordia, & gravis quæstio, diu inter ipsos, variis disputationibus ac libris editis, exagitata, ut etiam, ex quotidianis fere contentionibus, ad verborum quasi contumelias descenderetur; cum utraque pars, non alio D. Augustinum habitu institutoque usum esse contenderit; adeo ut summis Pontificibus fuerit necesse, edictis, eorum hominum dissensiones dirimere. In altera vero historiæ ejusdem parte, originem progressumque totius Ordinis regularium Canonicorum exponit. Tertia pars, Canonicorum Salvatoris Lateranensis, diserta narratione concludit. Fuit vir probus, suique instituti legibus obtemperans; dabatque operam, ut familiæ, quibus præerat, ad

ad legum earundem normam vitam moresque componerent. Quamobrem multorum in se odium concitavit, quorum, cum magna esset omnium fere rerum libertas, atque licentia, nemo erat, qui non ferret moleste, revocari se, & intra rationis cancellos includi. Ac Romæ, cum cœnobium Deiparæ Virginis, cui a Pace nomen est, Abbas administraret, hac de causa in apertum vitæ discrimen sæpe se obtulit, cum rationes sibi referri postularet ab eo, qui multos annos pecuniam publicam tractaverat, atque in fratris, qui mercaturam faciebat, usum transtulisse dicebatur. At, die quodam, deambulanti mihi in peristylio ejus cœnobii cum uno ex illis Canonicis, quidam quasi armorum inter se concurrentium strepitus venit ad aures: cumque rogassem, quid illud rei esset, quinam inter se armis dimicarent, respondit ille, Fratres, arreptis ferramentis, quæ circa cubiculi Abbatis focum essent, (erat enim hyems summa, & illuc Fratres, calefaciendi se causa, convenerant,) in Abbatem impetum fecisse; qui, fulcris focalibus, illorum impetus excipiebat propulsabatque. Denique finis fuit ejusmodi, ut, transacta potestate, omnes eum fugerent, nec vellent aspicere; ac vix inventus est superior aliquis, qui habere in suæ familiæ numero vellet.

LVI. FLAMINIUS CERASOLA.

FLaminii Cerasolæ si patriam quæris, Bergomum; si genus, nobile; nam ejus civitatis patritius fuit; si literarum studia, Jus civile, ac sacrarum doctrinarum scientiam; si mores, optimos; si ingenium, non hebes ac tardum, sed austerum, fuisse invenies. In Latinis literis, puer, institutus est a Publio Fontana, poëta clarissimo; &, cum Romam se contulisset, educatus in domo Ludovici Cerasolæ, patrui, Basilicæ S. Mariæ majoris Canonici, hominis, lingua promti, qui nihil pensi haberet, occulta aliorum vitia palam facere, ac, nulla cujusquam injuria provocatus, aliorum existimationi famæque detrahere. Hic noctu interfectus est a suis; idque existimabatur potentioris cujuspiam opera fuisse perfectum,

ctum, in quem ille petulanti ore fuisset ausus invehere. Augebat suspicionem, quod, cum pecunia, argento ac pretiosa supellectile abundaret, nihil eorum desideratum sit. In Gymnasio Perusino dedit operam Juri civili, ibique ejus artis interpretis & Doctoris nomen & facultatem obtinuit. Quod arbitror fuisse causæ, cur Robertum & Hugonem fratres Ubaldinos agnosceret, atque arcta sibi familiaritate constringeret. Ac primum, Herculano Gomitolo, Perusii Episcopo, navavit operam Vicarius, tum fuit tempus, cum negociosam vitam, ociosæ aulæ splendorem domesticis parietibus, studiorum fructus ambitionis laboribus, anteponendum esse duxit; atque ad aulicorum Roberti Cardinalis, Ubaldini, quem Perusii, ut diximus, cognoverat, numerum venit; eique fuit a cognitionibus. Quod antea muneris Sylvio Cardinali Antoniano præstiterat. Cui, sicut & Scipioni Cobellutio Card. S. Susannæ, carus in primis fuit. Sed, aulam fortasse pertæsus, homo ad literarum studia propensus, se patriæ restituit, cum locupletem Canonicatum, Cardinali Ubaldino suffragante, fuisset adeptus. Nec factum est diu post, quam illuc profectus est, cum sui ipsum consilii pœnituit; credo, quod sæpius illi veniret in mentem, & Urbis, quam reliquerat, magnitudinis, libertatis, magnificentiæ, ac veteris amicorum, quos ipse diligebat, & a quibus diligebatur, consuetudinis. Quamobrem, repudiato Sacerdotio, ad Urbem se contulit: &, quoniam eo animo Romam venerat, ut ibi perpetuo viveret, atque etiam vivendi finem faceret, ædes sibi quam optimas, non procul ab Exquiliis, ædificavit, easque eleganti supellectile, & insigni in primis bibliotheca, instruxit; seque ad ea studia revocavit, quibus ab ineunte ætate deditus fuerat; nempe ad sacrorum librorum lectionem; ac, quæcunque tum Græci, tum Latini doctores, de B. Virgine, Dei matre, scripta reliquerunt, a reliquis eorum operibus excerpsit, & in plura volumina digessit: opus, rerum divinarum interpretibus utile; nam nullo pene sumtu nulloque fere labore, quidquid ad illud argumentum attinet, uno in loco constructum inveniunt, quod deinde in concionibus ad populum agitare, ingenii & eloquentiæ viribus, possint.

Erat homo religiosus ac pius. Nam, quicunque domum ejus venerant, omnes ad Christi infantuli ac lactentis sigillum, ex cera, ni fallor, affabre factum, adducebat, & ad secum Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam recitandam, invitabat. Domi hortum habebat, unde flores lectissimos, omni tempore anni, ad infantulum illum ornandum colendumque excipiebat. Tum, tempore Quadragesimæ, semel in die, idque vesperi, cibum capiebat; & quotidie mane rem divinam in eo templo faciebat, quod, ex veteri Ecclesiæ instituto, ad scelerum suorum expiationem, populi frequentia, celebrabatur. Sed erat etiam iracundus, immitis; vitia hominum, sive quod ea ferre non posset, sive naturali quadam acrimonia, nullo hominum delectu habito, reprehendebat, insectabatur, majora verbis faciebat. Quo fiebat, ut in multorum odium & offensionem incurreret. Habuit etiam fratrem, Joanne Cerasola nomine, Gregorii XIV honorarium cubicularium. Moriens, omnium bonorum suorum heredem instituit Sodalitatem suæ nationis, ea lege, ut Collegium adolescentium Bergomatum fundaret administraretque.

LVII. ADRIANUS POLITUS.

SI Adrianus Politus, M. Antonii filius, Senensis, mortuo Cardinali Cornelio, cui in scribendis epistolis operam dabat, divinare potuisset, neque errasset in eligendo, quam potissimum de duabus conditionibus, quæ illi proponebantur, persequeretur, unam, Cardinalis Sorbelloni Mediolanensis, Cardinalis Peretti a Monte alto alteram; uterque enim eum sibi expetebat; parem meritis suis fortunam fuisset assecutus. Sed maluit, ad Sorbellonum migrare; credo, quod existimaret, Pontificatui eum maximo opportuniorem, quam illum alterum, quamvis Sorbellonus ad rem attentior esset; eumque, Gregorio XIII mortuo, secutus est, in conclave euntem. Ubi Cardinali Peretto, quem repudiaverat, ad Pontificatum Max. evecto, quantum conjectura erras-

set,

ſet, intellexit; ac tum, majorem ex errore ſuo dolorem ſibi ſenſit inuri, cum eum vidit, qui locum illum, nempe ab epiſtolis, quem ipſe neglexerat, occupaverat, ad Cardinales reſcribi. Sed Cardinalis Sorbellonus, cum mortem obiret, certam quandam pecuniæ ſummam inter familiares ſuos diſtribuendam legavit, pro ratione cujusque dignitatis, & temporis, quo in ſua familia fuiſſet: verum Adrianus, ex ea pecunia, quæ ad ipſum pervenerat, uſum fructum quarundam ædium, ad ſcalas Montis Jordani, ſibi coëmit, ut iis, quod vita ſuppeditaret, uti frui liceret; quæ ſemper omnibus nobilibus popularibus ſuis apertiſſimæ hoſpitalesque fuerunt. Etiam tum adoleſcentulus comœdiam, quæ Deceptorum inſcribitur, compoſuit; &, quo tempore, Romæ, ſui juris ac ſpontis fuit, Cornelium Tacitum in vulgarem ſermonem convertit; ſed, cum ſibi ipſe non ſatisfaceret, rurſus illud opus limæ traditum, longe expolitius atque perfectius reddidit. Scripſit etiam librum, Lexici cujusdam inſtar, in quem verba omnia Etruſca atque Latina conjecit, ac ſuis interpretationibus illuſtravit; qui liber acriter vehementerque oppugnatus eſt ab Academicis Florentinis, quorum plures, longo amicitiæ uſu ſibi conjunctos, habebat; ſed, eruditorum fere omnium ſententia, omnia argumentationum quaſi tela, ab arce defenſionis ſuæ, fortiter ac ſtrenue, hoc eſt, docte eruditeque, propulſavit ac repulit. Sed, cum jam ab onere ſenectutis ſe gravius urgeri ſentiret, Urbi ſe Romanæ ſubtraxit, quæ, tanquam mare æſtuans, perpetuis ambitionis aliarumque curarum fluctibus agitatur, & in oppidum S. Quiriaci, ubi natus fuerat, quaſi in portum, ſe recepit; ut ibi, quod reliquum eſſet vitæ, ocioſe ab animo degeret. Ubi non diutius, quam annos ſex, manſit, propterea quod ejus quies crebris amicorum, ad ſe adeuntium, ſalutationibus interpellaretur. Itaque, ſæviente hyeme, Sarcianum abiit; ubi alios ſex annos, ſecum, ut dicitur, vixit, & anteactæ vitæ rationes accepti & expenſi cum Deo ſubduxit, &, quod erat reliquum de ratione, eſt conatus illi perſolvere; atque, menſe Octobri, annos natus tres & octuaginta, eſt morbo conſumtus. Qui, ſuo in ſepulcro,

hæc verba, a se composita, inscribi: *Hic jacet Adrianus, M. Antonii Politi & Virgiliæ Ceinæ filius; qui in hac vita nihil maluit, quam quod fuit; utinam in alia sit, quod maxime concupivit. Ne mireris hospes, neve hoc superbe dictum putes. Nam, ab adolescentia, nunquam fere medico vel advocato usus, prospera semper valetudine fuit. Non enim est vivere, sed valere vita. Implevit annum octuagesimum tertium, in quo primum lenta febri decubuit, & occubuit.* Dicitur fuisse ingenio acri, atque mordaci; ut propterea judicum decreto, interdictum fuerit bibliopolis, ne librum epistolarum, quem ediderat, venalem haberent, quod in iis, in Principis illius, quem ad rem fuisse attentum diximus, aliorumque mores acriter vehementerque insectatus esset.

LVIII. CELSUS CITTADINUS.

EX omnibus rebus, quæ hominum ad se ingeniosorum studia ac voluntates alliciunt, summa atque perfecta omnis antiquitatis notitia, Celsi Cittadini, patritii Senensis, ad se operam, laborem, & industriam attraxit. Ac primum, nulla erat paulo illustrior familia, de qua ille, interrogatus, non statim esset progeniem illam, usque ab eo, qui ejus fuisset auctor nobilitatis, memoriter proferens. Atque ad eum finem, ex omnibus publicis Senarum tabulariis, ad tria voluminum millia attente diligenterque perlegerat, ex iisque, quæ sibi usui essent, excerpserat. Tum, veterum numismatum cognitionem, ita, longo usu, fuerat consecutus, ut vix nummum aliquem aspiceret, quin statim, quanti ille esset, ac cujus Imperatoris vel Consulis ætate fuisset impressus, afferret. At vero, in veterum monumentorum elogiis & inscriptionibus legendis explicandisque, ea erat eruditione ac scientia præditus, ut paucos haberet pares, qui autem illum antecederet, neminem fortasse invenisses. Ad historiam vero quod attinet, adeo omnium seculorum memoriam, quam ex libris acceperat, diligenter animo septam & custoditam habebat, ut non posset effluere; &,

&, si quid ex historiis repetendum esset, revocabat se in animum suum, ibique, explicatis ordinibus temporum, uno in conspectu omnia videbat, quodque opus ad rem esset, excipiebat. Etruscam vero linguam ita possidebat, ita totam fecerat suam, ut nullum sit in ea verbum, vel priscum, vel novum, vel inusitatum, vel ab usu quotidiani sermonis intermissum, nullum vel simplex vel translatum, quod ille non nosset; nullus dicendi modus, elegans, venustus, amœnus, cujus ille rationem non redderet. Atque, ut, ad ea probanda quæ diceret, veterum librorum testimoniis uteretur, quingenta volumina, auctorum ipsorum manu conscripta, ut Petrarchæ, Boccatii, Bembi, aliorumque, sumtu, labore, ac diligentia comparaverat. Græcam linguam noverat, ad marmorum antiquorum inscriptiones, non minima ex parte Græco sermone Græcisque literis exaratas, intelligendas legendasque necessariam. Neque Græce solum scivit, verum etiam Hebraice. Multarum præterea artium elegantissimarum notitia præstabat, ut Cosmographiæ, atque plantarum. Erat optimis atque doctissimis viris deditus: itaque, quotquot, sua ætate, summæ doctrinæ & eruditionis famam habebant, usus amicitiaque comprehenderat; in his Franciscum Bencium, Fulvium Ursinum, Antonium Quærengum, aliosque non parum multos. In omni vitæ genere, veteribus Philosophis par similisque inveniebatur. Ejus enim victus, vestitus, erat simplex, parabilis, sine munditiis. Neque id vitæ genus Senis solum adhibuit, ubi, annum agens septuagesimum, diem obiit extremum; verum etiam Romæ, apud summos viros, in quorum aulis versabatur, nihilo se nitidius, nihilo ornatius mundiusque, tractabat; neque dubitabat, in hominum facetorum urbanitatem incurrere, qui omnia posita in eo arbitrantur, ut scite convivium exornetur, ut ædes niteant, ut calces arcte pedibus hæreant, ut omnis ornatus hominem deceat. At ille, bono ingenio se maluit esse ornatum quam serica veste indutum, honestis moribus præditum, quam nullis inquinato sordibus amictu circumdatum; quod, ut mulier inquit illa apud Comicum,

Pulcrum ornatum, turpes mores pejus cœno collinunt,
Lepidi mores turpem ornatum facile factis comprobant.

LIX. CLEMENS MERLINUS.

EA mihi sententia verissima semper est visa, quæ de uniuscujusque ingenio judicandum præcipit, ex eorum moribus, quibus cum ille conjunctissime vivit. Quis enim, cui nihil pensi sit, fidem frangere, ab jure, ab æquitate discedere, castitatem nihil pendere, amicus esse poterit illi, qui virtutes illas amplectatur, colat, & sanctissimas habeat? Qui a literarum studiis abhorreat, atque omni mente & cogitatione totus in eo sit, ut, quidquid incidat in animum, velit, & quod voluerit, conetur atque perficiat; audebitne fœdus amicitiamque cum eo connectere, cujus animo nulla major sit voluptas, quam totum vitæ suæ tempus, evolvendis Philosophorum Jurisconsultorumque libris, discendi causa, consumere? Omnino sic se res habet, ut similitudine, studiorum ac voluntatum, maximam ad amicitias conjungendas vim habeant, &, quod est consequens, ex amicitiis, quibus unusquisque implicatur, quale sit illius ingenium, sive probum sive malum, statuere liceat. Quamobrem, quamvis Clemens Merlinus Forolivienfis, nobili apud suos genere ortus, sua sponte, multis atque præclaris ingenii sui monumentis, satis signi dederit, egregii cujusdam animi atque præstantis; attamen, ex amicis, quibus ille deditus erat, manifeste apparebat, qualis quamque egregia inesset homini indoles, ad omnes pulcerrimas artes ad amussim effecta. Longum esset, sigillatim omnes optimos doctissimosque viros enumerare, quos ille complexus amicitia fuerat: satis sit, uno verbo ponere, tot eos fuisse, quot ætas hæc extulit. Atque, si nulli essent, quos proferre possemus, solus Fabius Chisius, vir domi suæ nobilissimus, sanctissimis moratus moribus, ab ingenio, doctrina, & eruditione locupletissimus, rebus gestis, multisque provinciis, pro Ecclesia Romana, summa cum abstinentiæ, probitatis, prudentiæque laude, administratis, longe clarissimus, quo ille est usus familiarissime, posset ipsi, egregii & ex-

excellentis viri opinionem famamque conficere. Sed quamquam magna hæc Clementis sit laus, tamen foris expetitur. Habuit etiam apud se alia multa, sui ipsius propria, in quorum societatem non alius se infert. Multæ in eo literæ & exquisitæ; nec deerant nostræ hæ liberalissimæ humanissimæque; adeo ut, tum Latine, tum Etrusce, docte eleganterque perscriberet. Aderat Philosophiæ, ac præsertim Juris civilis, scientia, cujus usum Chisius ab illo, doctrinam a magistris, accepit; summa sermonis comitas, lepor, venustas, admirabilis morum suavitas affabilitasque; qua adeo Ludovicum Card. Ludovisium, quo tempore privatus Sodalitatem Deiparæ Virginis Assumtæ, in domo professa Soc. Jesu, una cum illo frequentabat, ceperat, totumque possederat, ut se nihil esset illi carius, nihilque jucundius. Qui Cardinalis deinde, Gregorio XV, patruo suo, Pontificatum Max. adepto, nihil habuit antiquius, quam ut illum, quibuscunque posset modis, ornaret; ac primum perfecit, ut in Auditoribus Rotæ numeraretur; tum, manibus pedibusque, ut dicitur, obnixe omnia fecit, ut in Cardinalium ordinem vocaretur. Sed omnes ejus conatus in irritum reciderunt: nam Pont. summus, sive, ut communi more hominum loquar, fato aliquo, sive quia egregia hominis merita parum nota atque perspecta haberet, obfirmaverat se, hac in re fratris filio morem non gerere. Nam, quamvis totius Reip. administrationem in ejus solicitudinem curamque rejecisset, Cardinales tamen creandi arbitrium penes se esse voluerat. Sed, cum Cardinalis acrius vehementiusque instaret, urgeretque, ut honoris sui gratia, id homini amicissimo, sibique gratissimo, largiretur, tandem Pontifex, odio victus, Cedo, ait, alterum, qui meo magis animo allubescat; nam, in hoc, ne frustra sis, operam perdis. Cumque Cardinalis diceret, neminem se alium, nisi Merlinum, velle, ridicule Pontifex respondisse fertur, Quoniam ita te obstinate obduras, neque Merlinum neque Merlottum habebis. Interea dum altercationibus dies teritur, tempus abit, ac Pontifex, antea quam nova Cardinalium comitia fierent, e vita decessit. Gregorio extincto, de spe, longius honoribus procedendi, Cardinalis Ludovisii ope-

opera, lapsus, ad cognoscendas causas totum se contulit, & magnam optimi Jurisconsulti laudem est adeptus. Sed cum, procedente tempore, cœpisset se nitidius in mensa tractare, neque solum invitare in cœna & in prandio plusculum, verum etiam, quavis diei hora, cum sitis urgeret, largius, nivatum in se merum invergere, contigit id, quod necesse erat, ut fieret plenior, vel potius obesior. Verum, cum propter civilia officia, ac perpetuas studiorum occupationes, quibus tenebatur, nullum fere sepositum tempus haberet, quod curationi corporis daret, ambulationi præsertim, cujus finis est sudor, vel lassitudo, qua noxii humores inutilesque tolluntur, quibus corpus abundat; acuta febri correptus est, & paucos intra dies ab ea peremtus.

LX. MUTIUS VITELLESCUS.

MUtius Vitellescus, Alexandro patre natus est Romæ, ex antiquissima nobilissimaque familia, quæ Corneto, ad quod oppidum, ejus origo refertur, profecta, in Urbem se contulit. Quæ familia, nunc ad unum senem redacta, ejus more (quæ est omnium rerum humanarum condicio, ut, quæ sunt orta, occidant,) una cum illo extinguetur. Sed parens Mutii, cum esset locupletissimus, ac, propter divitias summamque nobilitatem, magna apud omnes existimatione & honore, propemodum est ad egestatem adactus, quod pro nonnullis magnam pecuniam intercessisset. Nam qui homo sese miserum ac mendicum volet, præs pro altero fiat. Quamobrem, quo fidem suam servaret, coactus est auctionem facere, ac relicta a majoribus suis bona divendere. Verum Mutius, simul ac, de parentum gremio exiens, est profectus in ludum, statim magna edidit, non adumbrata sed expressa, signa virtutum. Erat in puero docile ingenium, quo celeriter acciperet, quæ tradebantur; memoria summa, qua, quæ tradita fuerant, custodiret; mens, ad optima facilis, & a vitiis abhorrens; quam etiam severa parentum disciplina, & solers,

for-

formandi custodiendique in ætate prima filiorum pudoris, diligentia, ad virtutem incitaverat. Accedebat forma honesta, summa suavitas oris ac vocis, sine arrogantiæ suspicione gravitas, mores denique ad omnem venustatem mirabiliter facti. Quibus rebus fiebat, ut parentes ipsius, iique, quorum intererat, eum quam optimum fore augurarentur, omnes in eo suæ familiæque dignitatis spes collocatas haberent. Neque dubium est, si ille ad Remp. voluisset accedere, quin, ascendens per omnes honorum gradus, cum illis moribus, ad summam amplitudinem fuisset perventurus. Sed, Patribus Soc. Jesu in disciplinam traditus, ut in ipsorum Gymnasio bonis artibus institueretur, sive eorum Patrum sanctitatis exemplo permotus, sive divini numinis afflatu impulsus, maluit, res perennes ac stabiles brevibus atque caducis, æternas interituris, anteponere; atque dedit operam, ut in Societatem reciperetur. Neque fuit illi magnopere laborandum: nam tanta vis ingenii atque virtutis erat quærenda, roganda, obsecranda, non autem, ultro se dans, repudianda. Cujus rei nuncius simul ac allatus est domum ad parentes illius, cosque qui futuræ adolescentis amplitudinis spe alebantur, continuo commoveri omnes, queri, clamare; adolescentem, imperitum rerum, illud facinus, nondum confirmato consilio, sed dolis eorum captum, fuisse aggressum, qui, ad quæstum suum callidi, quicunque in adolescentibus Romanis, qui scholas ipsorum frequentarent, ingenio, nobilitate, divitiisque pollerent, in sua castra conarentur adducere; optimum esse factu, aliquo eum in loco, ab insidiis illorum tuto, collocare, atque experiri, num occulto divini numinis impulsu, an temerario ineuntis ætatis impetu, fuerit in eam cogitationem delatus: nam fore, ut, a persuasionibus illorum desertus, mutata voluntate, quasi velificatione, ad nova consilia animum appelleret, & ad suos penates rediret. Itaque a Gregorio XIII impetrant, ut tantisper fidei custodiæque Patrum Oratorii, quibus P. Philippus Nerius, clarus sanctitatis fama, præerat, committeretur, quoad se ipsa res aperiret, videlicet, non illum Patrum Jesuitarum dolis deceptum, sed sua ipsius sponte, ad illorum vi-

vitæ genus fuisse compulsum. At, cum S. Philippus, sive parentum illius rogatu, sive adolescentis animum tentandi gratia, conatus cum esset ab eo consilio revocare, ita ille locutus fuisse dicitur, ut vir sanctissimus, Spiritui Sancto, quo ille impulsus agebatur, non esse resistendum, decreverit. Remissus igitur in Domum probationis, unde fuerat abductus, secum una Stephanum Bubalum, nobilissimum Romanum, quem, sæpius ad ipsum officii gratia ventitantem, fecerat lucri, perduxit. Qui postea Stephanus eos in literarum studiis profectus fecit, ut Philosophiam ac Theologiam multos annos docuerit, studiis Gymnasii Rom. Soc. Jesu præfuerit, Domum sive collegium pœnitentiariæ Apostolicæ, Rectoris nomine, administraverit, disputationem de Angelis eruditissimam doctissimamque typis mandaverit. At Mutius, summa sociorum omnium gratulatione, tanquam postliminio reversus, excipitur. Nam, quanto Societati ipsorum futurus esset ornamento, sentiebant. Neque opinionem, quæ de ipso erat, fefellit, sed multis partibus auxit. Erat enim exemplum modestiæ, demissionis animi, obedientiæ, virtutumque omnium; inter æquales suos, ingenii præstantia, clarius ceteris, explendescebat: quas omnes virtutes magis commendabant mores, natura mitissimi; simplex, nec arte quæsita, qua se dabat omnibus, comitas; & egregius, ut diximus, oris decor ac dignitas. Mature fuit ad docendos alios adhibitus, non quascunque disciplinas, sed omnium maximas atque gravissimas, nempe Philosophicas ac Theologicas. Itaque ad ducentos, (nam ego quoque in illis eram) ipso itineris duce ac demonstratore, triennale Philosophiæ curriculum confecimus; ac, ne idem in Theologia, sicut aggressus fuerat, efficeret, repentina quædam vis morbi prohibuit, ex perpetuo studiorum labore, quem vix poterat ferre, contracta; quod tenui & infirma esset valetudine. Quamvis in naturæ vitium, optima vivendi ratione, ac præsertim temperantia, ita correxit, ut ad summam fere senectutem pervenerit. Cum igitur sanguinem cœpisset expuere, cumque metus esset, ne brevi in aliquam tabem incideret, superiores, de medicorum sententia, a docendi eum munere, ad ipsorum

Remp.

Remp. administrandam, transtulerunt: & initium magistratuum gerendorum cœpit a Collegio Anglicano. Nam, cum alumni illi seditionem fecissent, qua Patrum Soc. Jesu imperium detrectabant, missus est, ad eos compescendos, atque in officio retinendos, Rectoris ac moderatoris jure ac nomine. Qui statim, contumaces illorum motus, blanda, ac liquidiore quam ullus est Favonius, oratione sedavit; ac deinceps, ne commovere se possent, incredibili quadam animi lenitate, in quam, cum opus esset, severitatis nonnihil influeret, firmavit, sibique ad nutum dicto audientes effecit. Ne multa; tam scitus tamque doctus rei bene gerendæ inventus est artifex, ut non ulla esset provincia tam difficilis tamque ardua, quæ non illius digna administratione videretur. Itaque, nulla res est in ea Societate, in qua aut honos aliquis sit aut potestas aut procuratio, quin ea res illi sit delata. Atque sæpius Provincialis, postea Assistentis, functus est munere. Qui honos, cum apud illos, ut revera est, maximus habeatur, diligentissime mandatur, neque cuiquam committitur, nisi illi, qui probitate, prudentia, ac rerum usu, ceteris antecellat. Quos omnes magistratus ita gessit, ut neminem non solum ab se non alienaverit, sed, id quod in potestatibus difficillimum habetur, omnium in se amorem, benevolentiam, studiumque converterit. Quapropter, cum Claudius Aquaviva, Præpositus generalis, ex podagra, in morbum implicitus, decessisset, adeo, tantus illi locus, atque honos deberi existimabatur, ut nemo contradiceret. Factus igitur generalis Præpositus, per annos triginta continuos, in eo munere, summa omnium virtutum cum laude gerendo, versatus est. Ac, pro virium imbecillitate, nam infirmo erat corpore, satis commoda usus est valetudine. Tantum, aliquot ante annos quam est mortuus, cum, die quodam, Card. Francisco Barberino advenienti præsto esse vellet, ac celerius per cochlides scalas se demitteret, pede lapsus concidit; quo casu crus graviter læsit, habuitque necesse, quoad vixit, claudicare, ac scipione, ne caderet, uti. Postremo ætatis suæ anno podagra cœpit urgeri; ad extremum gravius ac periculosius ægrotare. Cumque, ad ultimum casum adductus, ac

pau-

paululum de mentis ſtatu dejectus, complures dies, ita defixus lecto jacuiſſet, ut nullam in partem commovere ſe poſſet, tandem ad optatos S. Patris Ignatii evolavit amplexus; a quo ſextus, Societatem, quam ille fundaverat, gubernavit ac moderatus eſt, cum ſumma prudentia. Obiit annos natus unum & octuaginta. Plurimum valuit in dicendo; quamquam in concionibus ad populum, quod corpore erat infirmo, non multum jactare ſe potuit; ſed in cohortationibus nemo erat, cui ille deberet cedere. Vox clara, canora, & jucunde ad aures accidens; ſententiæ illuſtres, concinnæ, venuſtæ: dicendi genus elegans, elaboratum, politum, quodque multitudinem magis delectaret, quam moveret. Nam illam vim, qua permoveret atque incitaret animos, in qua ſunt omnia, non admodum tenuit. Itaque, ſi eſt optimum, ſuaviter dicere, nemo erat, qui eo melior inveniretur.

LXI. IO. STEPHANUS DE SYRIS.

SI quibusdam magnis ac præſtantibus viris tam longa vita ſuppeditaſſet, quam magnum ingenium & ad omnia ſumma idoneum contigit, profecto nemo illis viris gloria præſtitiſſet. Sed iniquo plane jure fieri videmus, ut, quibus ſingulare atque admirabile ingenium natura tribuerit, mors illis ejusdem augendi declarandique ſpacium ademerit, & egregia ac præclara multorum, quæ ab aliis, ad illuſtrandas eas artes, quas colebant, prodire potuiſſent, tanquam ſemina enecaverit. Ex hoc numero multi, patrum noſtrorum memoria, extiterunt: noſtra vero ætate, ut de aliis taceam, proferre poſſumus Jo. Stephanum Syrum, Savonæ nobili genere natum. In hoc, jam inde ferme ab incunabulis, ea, ad omnia diſciplinarum maximarum ſtudia, indoles ac materies eluxit, ut Franciſcus parens, ex ſex & viginti præſtantibus ingenio liberis, quos ex Maria Baſſa, uxore, ſuſceperat, unicum elegerit, quem eruditiſſimorum hominum artibus, omnique eleganti doctrinæ totum ad-

addiceret; cum alios ferme omnes post primam illam pueritem institutionem ad alia liberalissima ac digna homine nobili studia traduxisset. Quanquam eorum non nemo, non solum tinctus literis, sed Latinæ linguæ literate peritus extiterit. Ac, cum de multis possem dicere, ne sim longior, uno Jo. Baptista mea definietur oratio. Hic, multos annos, primum solus, tum, cum Alexandro fratre, ita negociatus est Romæ, ut nunquam omnino literarum studia, quibus a puero operam suam dederat, intermiserit, sed ad ea, quoties maximorum negociorum onere, quibus premebatur, paululum sublevatus esset, sese retulerit. Post autem, summis illis laboribus, aut omnino aut magna ex parte, liberatus, Alexandri fratris pietate, qui eos in se susceperat, ac sæpenumero, in amœnissimo suo suburbano, optimorum librorum lectione, quibus non exigua loculamenta instruxerat, ætatem exegit. Quemadmodum autem una cum fratre gravissimis publicis negotiis, suæ fidei diligentiæque commissis, satisfecerit, incredibile memoratu est. Tantum inveniendo excogitandoque, tantum ingenio prudentiaque valuit, ut ad belli, quo tum Italia exarsit, ceterarumque rerum maxime necessariarum usum, infinitam pene vim pecuniæ, sine cujusquam querela vel damno, subministraverit, ac res difficiles, arduas, dubias, implicatasque, certas, faciles, explicatasque, consilio atque ratione, reddiderit. Quam deinde provinciam cum alii magno quidem animo, sed non eadem qua ille virtute atque prudentia, suscepissent, nec ea illis sub manus recte succederet, immo fœde omnia provenirent, laudis illius obtrectatione conati sunt periculum illi creare, ejusque res amplas atque magnificas in angustum coartumque contrahere. Sed hominis virtus, integritas, fides, majoribus erat præsidiis munita, quam ut expugnari, latiore ejus res campo extendebantur, quam ut statim contrahi possent. Quamobrem omnes adversariorum conatus repulsi, in irritum reciderunt. Tali igitur viro Jo. Stephanus frater a parentibus est commendatus & traditus, ut omnibus eum doctrinis excolendum curaret, qui statim, puerum, annos natum non amplius tredecim, in Gymnasium Soc. Jesu, disciplinæ

causa, misit; ubi, admirabilis ingenii illius celeritas longam magistrorum operam non desideravit; nam vehementius properabat, quam ut condiscipuli, laudis ejusdem cupidi, æquo animo ferre possent, atque, intra sexennium vix integrum, omnes disciplinas, quæ a Patribus illis traduntur, arripuit, Grammaticam, Rhetoricam, Philosophiam, aliasque. Scribebat, tum soluta oratione, tum versibus, elegantissime; ut propterea, in maxima concione, sit præmio donatus; qui honor, adolescentibus illis, prope dixerim, peræque gloriosus habetur, atque iis, qui Olympiæ in quinquennali illa ludorum celebritate victores, præconis voce, citabantur. Sæpe disertissimas orationes habuit; sæpe poëmata recitavit; in publicis Philosophicis disputationibus, ab ipso dissentientium argumenta, tanquam tela, cum plausu rejecit. Has artes, tanquam solum ac fundamentum substruxit Jurisprudentiæ fabricæ, quam erat exædificaturus: quam fabricam, quid mirum, si tam alte extulerit, cum nihil materiæ, nihil labori pepercerit, cum non a Græcæ Latinæque linguæ notitia, non a Philosophia, ut plerique faciunt, inermis ac rudis, sed iis artibus pulcre instructus, ad jus civile percipiendum accesserit? nam cum brevi ejus artis, qua nulla est facilior, cognitionem devorasset, ita pectus, Juris civilis scientia, complevit, ut antea prope magister quam discipulus, juris interpres quam consultor, inventus sit esse. Neque jam quidquam relictum videbatur, nisi, ut quod naturali singularis ingenii prudentiæque bono, & abundantia doctrinæ, sponte sua faceret, ut nimirum legum sententias aperiret, Juris laqueos enodaret, suarum rerum incertos compotes consilii dimitteret, id inquam etiam munus, eorum auctoritate concessuque assequeretur, quibus jus est ac potestas, juris utriusque publice interpretandi facultatem aliis attribuere. Hanc igitur facultatem, magna omnium cum voluntate adeptus, etiam tum adolescens, domum suam omnibus apertam, cœpit habere, qui in suis rebus turbidis, ipsius essent opis indigentes. Itaque domus illa, ut de Q. Mutii janua vestibuloque narratur, magna quotidie frequentia civium, ac summorum hominum splendore, celebrabatur.

Quod

Quod munus, de jure respondendi, eo erat omnibus gratius, quod illud summa cum animi integritate innocentiaque conjunxerat. Non eas ille lubricas adolescentiæ ingressus est vias, in quibus consisti sine casu vix potest; sed directum ad virtutem persecutus est iter. Nihil dedit ætati, nihil voluptati concessit, nihil conviviorum lustrorumque libidini tradidit. Neque dubium cuiquam erat, quin brevi illius domus futura fuisset totius civitatis oraculum, si per Urbanum VIII Pont. Max. licuisset, qui, cum divinis quibusdam bonis instructum exornatumque eum aspiceret, æquum existimavit esse, lumen illud consilii, doctrinæ, ac sanctitatis, patriæ, unde emanaverat, restituere, ut illam tueretur, augeret, ornaret. Sed tum omnium sententia fuit, elegantius Pontificem illum facturum fuisse, si lumen illud in arce orbis omnium terrarum, Romæ videlicet, constituisset, ut non uni populo, sed nationibus omnibus illucesceret. Itaque, vix expectato legitimo tempore (nam trigesimum pene ætatis annum attigerat,) Sagonensem Episcopum eum creavit. Illud vero insigne ac singulare ipsius doctrinæ exemplum edidit, quod eo ipso die, quo istud ipsi onus demandatum fuerat, cum se in suburbanum suum, de quo diximus, contulisset, sive colligendi sui gratia, sive meditandi, quantum esset illud onus, quod suis humeris imponeretur, admonitus est, ut postridie Pontifici se sisteret, quo de se, ut moris est, periculum fieret in literis: sed, quamvis omnibus rebus imparatus accessisset, usque eo se solertem exhibuit, ut, interrogatus ab Antonio Coccino, Rotæ auditore, ac postea Decano, qui ejus excutiendi partes acceperat, de nova ac perplexa quæstione, quam ille diu secum agitaverat, at Jo. Stephanus ne cogitaverat quidem, ita docte, ita fidenter, Coccino contra disserenti, respondit, ut ipse Urbanus diceret, ipsius disputationem probabiliorem verioremque, quam Coccini, sibi videri. Profectus Savonam, biennio post revocatus ab Urbano, ut ad majores res adhiberetur, dum profectionem adornat, est mortuus. Quanto Jo. Baptistæ & Alexandri fratrum, ac totius civitatis, cui illi ob incredibilem ipsorum humanitatem ac suavissimos mores,

erant gratissimi, cum dolore dici non potest. Videbant enim, summum familiæ suæ ornamentum ac decus extinctum; quod Urbanus, prudentiæ, qua Ecclesiam suam administrabat, fama commotus, amplissimis eum honoribus destinaverat; cumque vita functum audivisset, Profecto vir sanctissimus, inquit, est mortuus.

LXII. ANTONIUS MARIA DE GRATIANIS.

Quam multa sæpe ac summa ingenia in occulto latent! quæ, si amica cujuspiam opera in apertum proferrentur, maximum sibi, familiæ, patriæque suæ, atque adeo orbi terrarum, splendorem & ornamentum possent afferre. Nunc autem, cum, tanquam ferrum humi defossum, in tenebris jaceant, sua desidia, tanquam rubigine, exeduntur, & illorum usus nequior efficitur. Atque, ne longius aberret oratio, nisi Antonius Maria de Gratianis, Biturgiæ, nobili in primis loco, natus, in Cardinalem Commendonum incidisset, quicum Aloysio fratri magnus usus & amicitia intercedebat, vel in castris usu militiam didicisset, Julii patris exemplo, qui sæpe in ea ordines duxerat, vel procul a Rep. sine literis, sine aliquo rerum usu, agrum, a patre relictum, coluisset, vel per inertiam desidiamque, morti similem vitam exegisset. Commendonus igitur, qui fortasse, qua erat animi sagacitate, adolescentis ingenium odoratus fuerat, Aloysio fratri fuit auctor, suasor, impulsor, ut liberalibus eum disciplinis erudiendum instituendumque curaret. Itaque, annos natus unum & viginti, missus est in quoddam Forilivii oppidum, ubi notus quidam magister, brevi ac nova ratione, eas artes docebat, quibus ætas puerilis institui ad humanitatem solet. At ipse parentum, in ipso erudiendo, negligentiam, discendi celeritate compensavit. Nam, cum eo esset profectus, omnium rerum rudis, paucis post, annis an mensibus? reversus est Latini sermonis adeo peritus ac doctus, ut diligentiam admirarentur omnes, ingenium agnoscerent, at Commendonus adeo amplexus est hominem, ut eum nunquam a se dimiserit, sed in filii loco dilexerit,

ac

ac, magistri partes sumens, in libris Aristotelis de Rhetorica, de Repub. ac de moribus, erudierit, tum semper ad manus habuerit, ejusque & fide & industria cognita, omnium consiliorum eum esse participem voluerit, in illis octo nobilissimis legationibus, quibus functus est, quarumque immortalis erit memoria, quibus legationibus diligenter obeundis, ac fideliter administrandis, Commendonus ita se præbuit, ut eum omnes, tanquam e cælo delapsum, intuerentur. Nam, si repetere memoriam temporum placeat jam inde usque ab initio nascentis Ecclesiæ, inveniemus, nullum unquam fuisse tempus Reip. Christianæ atrox atque difficile, quin eodem tempore divinitus excitatus sit aliquis, qui ingenio, auctoritate, sapientia, arduis illis rebus ac dubiis posset occurrere: idque cum constet, tum ex antiquis tum ex recentibus nostrorum monumentis ac literis, non est necesse pluribus verbis ostendere. Atque in Commendonii ætatem inciderunt hæc omnia, maxima atque gravissima; Concilium Tridentinum, cujus convocandi gratia, his missus est ad Ferdinandum Cæsarem, semel a Pio IV Pont. Max. iterum a Cardinalibus, qui sacrosancto illi conventui præerant. Tum, res in Polonia consecutæ sunt, implicatæ atque difficiles, unde magnus periculorum metus portendebatur: eo etiam profectus est, semel atque iterum; primo, Pii IV jussu, ut Nuncii ordinarii provinciam administraret; quod munus cum egregie atque sapienter obiret, antequam inde discederet, creatus est ab eodem Pont. Cardinalis: deinde coactus est rursus illud iter arripere, missus a Pio V legatus ad Regem Augustum, ut, uxori Catharinæ nuncium remittere cogitantem, de sententia dimoveret, & ad bellum Turcis inferendum impelleret. Ubi etiam, cum Rex ille diem obiisset supremum, omnes conatus adhibuit, ut in ejus locum succederet aliquis, qui catholicæ religionis cultor existeret; ac tantum auctoritate potuit, valuitque eloquentia, ut Henricus, Galliarum Regis frater, Rex Poloniæ, omnium suffragiis, eligeretur. Quibus actis, cum Pontifex fecisset illi potestatem redeundi in Urbem, rebus nondum plane in tranquillo collocatis, & hæreticis, quamcunque sors

obtulisset rerum novarum occasionem, paratis arripere, Antonium Mariam, de quo est sermo, reliquit, ut, ex Pontificis auctoritate, Episcopos & Catholicos Regni confirmaret, novoque Regi adesset. Quem cum adventare, jamque in Saxoniam pervenisse, comperisset, sexcentis ferme millibus passuum obviam illi processit, &, quo loco, Regni res essent, exposuit; rationes, quibus illud ex sententia administrari, & Catholica fides promoveri posset, ostendit. Quæ ita Regi grata fuerunt, ut ea sibi scripta tradi mandaverit, neque deinceps quidquam, nisi ex ejus auctoritate atque sententia, gesserit. Inciderunt etiam in Commendoni tempora, alia quatuor, maxima atque gravissima: fides catholica, tota Germania, labefactata, ac pene convulsa; comitia Augustæ habenda; metus, ne Augustana Confessio, in summam Germanæ religionis perniciem, Austriæ civitatum populis permitteretur; fœdus adversus Turcam inter Christianos Principes ineundum. De his omnibus, quater intra paucos annos, missus est in Germaniam Legatus ad Maximilianum Cæsarem; qui etiam fuerat placandus, quod iniquo animo tulisset, Cosmo Mediceo, a Pio V, Magni Ducis cognomentum fuisse inditum; quod, ejusmodi cognomentis & appellationibus quemquam afficere, ad Imperatorem, non autem ad Rom. Pontificem, pertinere contenderet. In his omnibus adfuit Antonius Maria; neque quidquam sine ejus consilio gestum est. Sentiebat enim Commendonus, quantæ sibi ejus opera esset utilitati ornamentoque. Neque id Regem Henricum fugit; qui magnis ad se illum pollicitationibus, semel, iterum, ac sæpius, invitavit, ut ejus opera, quemadmodum expertus fuerat, egregia atque fideli uteretur. Sed nulla tam luculenta condicio inventa est, quæ illum potuerit a Cardinali Commendono divellere; cui soli, neque alteri cuipiam, quoad viveret, suas operas deberi existimabat. Qui Cardinalis cum de referenda tot tantisque illius in se meritis gratia cogitaret, si non pari, grato tamen aliquo munere; die quodam ad se vocatum donavit syngrapho, in quo erat perscriptum, ut ab argentario, quatuor scutorum millia, numerata per-

perciperet, quæ vellet esse quasi mercedem laborum, quos pro ipso suscepisset; simulque petebat ab eo, ne hanc, quamvis exiguam, suæ in ipsum voluntatis significationem aspernaretur, sed illud, quidquid esset, æqui bonique consuleret. Cui Antonius Maria respondisse fertur; quidquid fecisset, se honoris sui gratia fecisse, verum, si res ad calculum revocaretur, bene inita subductaque ratione, non par inveniretur ratio acceptorum atque datorum: nam, se multo illi plura debere profitebatur, quam ipse ab illo accepisset: illum vero dolorem se non posse dissimulare, quod cerneret, eorum se loco ac numero haberi, qui mercenariam ipsi operam darent: se enim, nihili antea hominem, ejus opera atque labore, factum esse alicujus precii, ipsique Reipub. inventum esse, in usu, probiorem. Ac, petita ab eo demisse & humiliter venia, syngraphum conscidit. Admiratus Cardinalis magnitudinem animi, spernentis id, cujus alii cupiditate abrepti, fidem jurisjurandi, religionem, justitiam, bonam famam, existimationemque contemnunt, non ita multo post, locupletem Saxiferrati Abbatiam, ex qua bis mille scuta quotannis redibant, sibi detractam, est illi, quamvis invito ac repugnanti, elargitus. Mortuo Cardinali, Sixtus V usus eo est, in Latinis literis scribendis. Quo in munere perquam diligentem ac laudabilem illi operam dedit. Post cujus mortem, eodem gradu fuit apud Alexandrum Cardinalem Montaltum, eique in tribus illis Conclavibus, quæ deinceps consecuta sunt, affuit; in ejusque opera, Clementi VIII, ad Pontificatum Max. adipiscendum, longe maximus usus fuit. Id quod Clemens non dissimulavit, sed sæpe, multis audientibus, dixit, se, Antonii Mariæ, in agendo, dexteritati, prudentiæ, diligentiæque Pontificatum referre acceptum. Quapropter ornabat eum officiis beneficiisque pluribus: nam & Episcopum Ameriæ creavit; quod superiori Episcopo mortuo esset alter, in illius locum, subrogandus; & Nuncium, ad omnes primum Christianos Principes, fœderis causa feriendi contra Turcas, deinde ad Remp. Venetam, misit. Ubi, maxime duabus in rebus gravissimis, ejus virtus eluxit. Etenim cum de jure imperioque quæreretur, quod Veneti in

Adriatico mari exercent, pro Sede Apostolica libellum elegantissimum scripsit, qui etiam nunc in tabulario Vaticani palatii continetur: neque tamen eo offensi sunt Veneti. Cumque Alphonso, Ferrariæ Duce, vita functo, Cæsar Estensis, cognatione illi proximus, Ferrariam sibi deberi, contenderet, auctoritate consilioque perfecit, ne Senatus ille Cæsaris causam susciperet, eamque armis tueretur; immo ab eodem obtinuit, ut Sedi Apostolicæ plura armorum genera, ad illius belli usum, suppeditarentur. Atque constat, Clementem habuisse in animo, in Cardinalium Collegium eum cooptare, ac non semel, sed quoties Cardinalium comitia essent habenda, descriptum in illis habuisse, qui eo essent honore cohonestandi; sed semper sententia destitisse, deterritum a Petro Cardinali Aldobrandino, fratris filio, cui cum Magno Etruriæ Duce, cujus ille in imperio ac ditione erat, (nam Biturgiæ, ut diximus, ortus, quæ Magnorum Etruriæ Ducum paret imperio, cum primis illius civitatis numerabatur,) variæ, inquam, discordiarum causæ intercedebant. Verum, cum jam ætate confectus, & podagræ vehementer obnoxius, re ipsa experiretur, Venetum cœlum sibi minus esse salubre, petiit opere maximo a summo Pont. ut ab ea provincia removeretur; at, venia impetrata, Ameriam se contulit. Quam Ecclesiam, usque ad extremum vitæ spiritum, & integritatis, prudentiæ, ac sanctitatis fama, administravit, quæ sit nunquam interitura, sed deinceps omnibus, qui in eundem locum ac numerum venerint, ad similium virtutum exemplum imitationemque victura. Nemini erat molestus, nemini gravis; sed contra, omnibus jucundus, omnibus comis; nunquam animos extulit, sed demisse humiliterque se gessit; nemini petenti aditum conveniendi non dabat, sed omnes ad ipsum aditus cunctis, qui vellent, quibusvis erant horis aperti; nemo, se ab eo despectum, nemo, contra rem suam injuria aliquid decretum fuisse, questus est unquam; sed omnibus jus suum tribuebat, omnes amplectebatur, omnibus se dabat, cum magna conversatione; cum tristibus severe, cum remissis jucunde vivebat; atque, ad Apostoli exemplum, ad cujusque ingenium, quo omnes lucrifaceret, versabat su-

ſuam naturam, huc & illuc torquens ac flectens. Nullum honeſti ſermonis genus a ſe unquam alienum duxit, ſed de omnibus rebus, quæ in ſermonem diſceptationemque cadunt, copioſe eleganterque diſſerebat; cum militaribus hominibus de officio imperatoris, ac de omni re militari, cum eruditis de omni elegantia literarum, cum philoſophis de rerum natura, cum Theologis de Deo immortali divinisque myſteriis, loquebatur. Denique homo erat omnium, ut dicitur, horarum, temporum, atque hominum. Multa reliquit egregia, quæ teruntur hominum manibus; Synodum Eccleſiæ Amerinæ, de bello Cyprio, de caſibus adverſis illuſtrium virorum ſui ævi, Card. Commendoni vitam; quo libro omnes ab eo legationes obitæ, omnesque res magnæ, ſua auctoritate conſilioque geſtæ, narrantur. Obiit Ameriæ, annos natus quinque & ſeptuaginta, cIↃ IↃ CXI.

LXIII. ALEXANDER MAGIUS.

FUit in Alexandro Magio, Bononiæ, nobili genere, nato, quemadmodum in quibusdam laudandis viris, ſi non ſummum ingenium, attamen admirabilis erga literarum ſtudia ardor atque conatus; ac præſertim tantus erga omnes, qui aliqua ſapientiæ laude excellerent, amor atque propenſio, ut totum ſe illis daret, eorumque ſtudiis obſequeretur. Ac præſertim Torquatum Taſſum ea complexus eſt benevolentia, ut, quotiescunque, in congreſſibus literatorum, orta eſſet quæſtio de Taſſo atque Arioſto, uter alteri anteponendus eſſet, pro Taſſo acriter vehementerque pugnaret, eique palmam dandam eſſe contenderet. Primis ætatis ſuæ annis, Fabium Albergatum, virum clariſſimum atque nobiliſſimum, cujus facultas, ex libris quos edidit, doctiſſime eruditiſſimeque ſcriptis, apparet, conſuetudine ſua ſic ſibi devinxit, ut alter ab altero dirimi diſtrahique non poſſet. Sed, cum ad omnium ingenuarum elegantiſſimarumque artium ſtudia ſe contuliſſet, præcipuam tamen operam, juris Cæſarei ac Pontificii ſcientiæ de-

dit. Nam, etsi de humanissimis politissimisque literis, ac de omni re, quæ in disceptationem cadit, docte copiosesque loqueretur; tamen, cum ad jus civile ventum erat, ita in disserendo acutus, ita elegans, ita disertus, inveniebatur, ut hominum admirationes & studia commoveret. Et, cum, in Bononiensi ac Maceratensi Gymnasio, Juris civilis publice docendi munus accepisset, multos annos magno illud cum plausu sustinuit. Quo munere cum se tandem abdicasset, Romam ad capessendam Remp. venit, ejusque gerendæ initium a referendis Pontificis Max. supplicibus libellis, fecit. Qui gradus honoris, accedentibus ad Remp. primus se offert. Erat Romæ eo tempore Bonifacius Cardinalis Bevilacqua, modicis quidem opibus, verum animo erga præclara ingenia, humanioribus præsertim literis exculta, ingenti ac prope regio. Hic suam in domum Antistites aliquot, probos ac doctos viros, exceperat, quod egestas locum illum honoris, in quem venerant, pro illius dignitate, tueri non patiebatur. In iis Magius numerabatur, atque a Bevilacqua, præ ceteris, beneficiis ac muneribus ornabatur. Nam cum ille, Perusium primum, tum Picenum, Legatus a summo Pont. missus fuisset, in utramque provinciam secum Magium Prolegatum adduxit, quem, ob egregiam juris civilis scientiam, parem illi muneri, ad quod elegerat, fore, atque ob fidem, quam in eo perspexerat, ipsius existimationi & famæ consulturum, non dubitabat. Neque, in eo eligendo, Cardinalem spes, quam conceperat de illius fide ac doctrina, fefellit, sed illius expectationi peræque respondit. Tum Fanum fortunæ solus regendum accepit: cui muneri, sui semper similis, magna abstinentiæ justitiæque cum laude præfuit. Reversus in Urbem, relatus est in numerum ac cœtum illorum, quorum eæ sunt partes, ut Ecclesiastici imperii civitates a moderatoribus illarum, recte atque ex publicæ utilitatis ratione administrentur; cui cœtui, Congregationi boni regiminis nomen est inditum. Hoc quoque egregie, usque ad exitum vitæ, functus est munere. At totum illud tempus, quod a gravioribus ipsi curis supererat, libenter iis studiis dabat, quibus ab ineunte ætate deditus fuerat; pulcerrimis nimirum

rum elegantissimisque literis illis, quæ, nobilia præsertim ingenia, sua amœnitate suavitateque, ad se alliciunt ac rapiunt. Itaque sæpissime in Academiis conspiciebatur, aut doctissimis aliorum sermonibus interesse, aut se aliis ad docendum dare, aut carmina, a se facta, in medium afferre, & existimantium arbitrio judicioque summittere. Quæ carmina, una cum aliis ejus operibus, Etrusco sermone conscriptis, ejus morte, ad fratrem pervenerunt, ac, domesticis parietibus septa, aliquando in lucem proditura, servantur. Sed in Academia Humoristarum frequentior erat; in qua etiam principatum obtinuit. Atque ex tot animi ingeniique bonis, unum, ejus in corpore, vitium deprehendebatur; quod, altero crure captus, deformiter claudicabat. At hæc corporis claudicatio nihil plane animo detraxit: qui, semper excelsus erectusque, in nulla virtutis parte claudicavit. Mortuus est domi Cardinalis Bevilacquæ, ut quidam ajunt, ex stranguria; ut alii, ex morbo, quem puduit medicis aperire; quamobrem a curatione desertus, eum, nondum maturum, ad interitum dedit.

LXIV. BONIFACIUS VANNOZZIUS.

NOn semper accidit, ut claritas ac nobilitas animi, sit generis ac sanguinis nobilitatis splendorisque comes; sed altera ab altera, non raro, disjungitur. Etenim sæpe videas vilem & ignobilem in eo animum, qui sit nobili genere ortus, contra generosum & clarum in eo, qui nullum a majoribus suis lumen acceperit. Atque, si alterutrum sit optandum, malim equidem virtutem sine fumosis imaginibus, quam fumosas imagines sine virtute; quod illæ extrinsecus accidant, hæc animo intrinsecus hæreat; in illis nullam nos partem habeamus, hæc tota a nobis fere pariatur. Itaque, merito laudatur, multisque nobilibus viris antefertur Bonifacius Vannozzius, Pistoriensis, qui, cum honesto quidem apud suos loco natus esset, sed illa summæ nobilitatis laude non clareret, ita tamen virtutis ingeniique bono excelluit, ut, nisi fortunæ malignitas, quæ virtuti fere sem-

semper obsistit, intercessisset, ad summam fuisset amplitudinem perventurus. Hic, etiam tum juvenis, cum factus esset Gymnasii Pisani Gymnasiarcha, quo munus illud splendide magnificeque administraret, facta auctione, bona sua, quæ non erant admodum exigua, præsenti pecunia divendidit. Quibus partibus egregie transactis, ad Principem Sulmonæ se contulit, eumque, tum proficiscentem in Hispaniam, tum ab ea in Italiam redeuntem, est comitatus; deinde, ejus jussu, in Sabaudiam profectus, ut ibi cujusdam litis patrocinium susciperet, (erat enim jurisconsultus in primis;) quæ lis erat Principi, cum Regis Galliarum classis præfecto communis. Deinde navavit operam ab epistolis, Cardinali Sfondrato, qui postea appellari maluit Cardinalis S. Cæciliæ, Gregorii XIV fratris filio. Cui fideliter liberaliterque serviendo, ita Pontificis gratiam promeruerat, ut ab illo iis sacerdotiis locupletatus sit, unde scuta mille quotannis redibant; ac sine dubio Cardinalis etiam honore cohonestatus fuisset, nisi quædam calamitas intervenisset, quæ de tanta tamque explorata spe illum everteret. Statuerat omnino Pontifex, proximis comitiis, in Cardinalium eum ordinem cooptare, ac rem cum eo communicaverat: sed simul egerat, ne sua cuiquam consilia faceret palam; volebat enim, ea esse clam omnes: atque serio proposuerat, Principis arcanum, suæ fidei creditum, ita suo in pectore clausum ac constructum habere, ut indidem ille salvum posset auferre, cum vellet; sed propositum tenere non valuit, Cardinalis Sfondrati sibi precibus imperioque ereptum; qui ardebat cupiditate incredibili, cognoscendi eorum nomina, qui essent cooptandi. Nolebat enim prætermitti amicum quendam, cordi suo carissimum. At Pontifex, ubi eum comperit tacere nequisse, cum maxime erat opus mutito, accersitum ad se compulit, ex schedula, in qua candidatorum nomina erant descripta, sua ipsius manu suum nomen delere, & illius substituere, pro quo Cardinalis laborabat. Itaque ad fidem, quam prodiderat, vindicandam, non alius est carnifex, præter ipsum, adhibitus. Post mortem Pontificis, transiit ad Henricum Cardinalem Cajetanum, qui, missus ad Regem Poloniæ,

niæ,) maximis de rebus legatus, eum semper habuit ab epistolis, & consiliorum omnium arcanorumque participem. In qua legatione quanti fuerit ejus opera, apparet ex epistolis, quas, cum reversus esset in patriam, in unum volumen collectas, ac miscellanearum nomine appellatas, emisit. Nam sæpius ab Henrico (qui, quanto sibi ornamento esset, intelligebat,) missus est ad magnum Regni Cancellarium, qui exercitibus regiis præerat, & in Transylvaniam, ut aversos Regis Poloniæ, & Andreæ Cardinalis Battorii, fratrum, animos componeret, ac litium discordiarumque inter se caussas præcideret, atque convelleret. Interim Henricus, legatione sua obita, reversus est Romam, secumque Vannozzium duxit, suis item partibus functum; ac sui eum juris esse permisit. At, illi non licuit esse ocioso: nam statim a Cosmo II, Magno Etruriæ Duce, Florentiam est evocatus, ut Principi Francisco, qui futurus erat Cardinalis, operam navaret: suo enim jure se repetere eum posse existimabat, in quem, utpote sibi subjectum, imperium & potestatem haberet, quandoquidem tanto alienis usui utilitatique fuisset. Tum, rursus ad Urbem ab eodem remissus est, quo, Francisci loco (nam tum res ita poscebat) Carolus frater Cardinalis renunciaretur. At verum est, quod dicitur, nullam esse sapientiam tam magnam, tam puram, ad quam infuscandam non aliquis stultitiæ rivulus influat. Nam vir, tam prudens, tam doctus, in Magni Ducis aula, quædam inepte, & contra sapientis gravitatem, admisit; &, quod magis mireris, contra id, quod ipse, in suis politicis & Christianis præceptionibus, sigillatim fugiendum esse docuerat. Ex quo licet intelligere, quanto sit facilius, aliis recte præcipere, quam suis ipsum præceptis obtemperare. Solebat Dux ille magnus, ubi paululum volebat hilaritati se dare, Presbyterum quendam, Julio nomine, hominem oppido ridiculum, ad se vocare, eumque pastoritia fistula canentem audire, ac vini congium unico spiritu haurientem aspicere. Tum ille, nulla de causa, multis audientibus dixit, pluris fieri vini cadum vel utrem, quam honestos homines, ac literis deditos. Quod cum ad Magnum Ducem esset perlatum, jussus est ab aula recedere,

ac

ac Pistorium abire; ubi præcepta illa Politica & Christiana, de quibus supra commemoravimus, in tres libros divisa, composuit, ac librum unum epistolarum miscellanearum ad alios duos, quos antea scripserat, addidit. Quæ omnia, typis impressa, circumferuntur. Sed ibi ad alias longe majores ineptias recidit. Ducebatur in vincula famulus quidam suus; hunc, per vim, contra jus fasque, e lictorum manibus abstulit. Non est prætermittenda Principis illius gravitas ac moderatio. Nulla graviori eum pœna affecit, quam ut Romam in exilium mitteret; ubi a Cardin. Aquino, ejus amicissimo, exceptus, paulo post morbo periit.

LXV. FORTUNATUS SCACCHUS.

QUa tempestate, sæva atque immanis lues toto Illyrico debacchabatur, adeo ut mortalium plurimos, Orci faucibus absorbendos vorandosque committeret; fiebat, ut non parum multi fuga sibi consulerent, atque alios lares, alias civitates, alias urbes persequerentur. In iis Margarita quædam, Petruich cognomine, ex oppido Dalmatiæ Trau, una cum aliis multis, Anconam patria sede commutavit. Et, quoniam, inanis a marsupio, verebatur, ne vitam, quam salvam a pestilentia retulerat, ad egestatis terminos redacta, fame deperderet, Equiti Jacobo Oliverii Scaccho, ex vetere claraque ejus civitatis familia, operas suas, pro ancilla, locavit, cum esset ætate integra, & forma non mala. Sed bonus ille conductor fecit id, quod occasio suadebat, ætas hortabatur, libido cogebat, ut plus ab ea, quam quantum sibi debebatur, exigeret, nec ancillares tantum operas, quas conduxerat, verum eas etiam, quæ sunt concubinæ, deposceret. Itaque die quodam, fortasse plus potus, mulierem compressit, ex eoque complexu gravidam fecit. Sed id, quod natum esset, decreverunt, non tollere, sed exponere. At expositum hospitalis domus Deiparæ Virginis Annunciatæ, misericordia, excepit, & quinquennium aluit. Quo exacto, parentes, quod fortasse fa-

eti eos sui pœnitentia subiisset, pro suo agnitum, domum reduxerunt, & Fratrum Eremitarum S. Augustini habitu indutum, religiosæ illorum familiæ dicarunt, & F. Antonii Mariæ nomine appellarunt; cum antea illi, legitimæ prolis jus Pontificio diplomate obtinuissent, nempe ad personam & ad honores dumtaxat, non autem ad hereditates. Jam pueri res omnis esse in vado, jam ille in portu navigare videbatur; cum nova tempestas exorta, inde eum repulit, quo Favonius, vel si quis est alius illi liquidior ventus, antea detulerat; nova videlicet Sixti V Pont. Max. constitutio, quæ omnes, ad Religiosorum ordinum familias iis aditus interclusos esse jubebat, quibus, ex minus justis nuptiis nasci contigisset. Sed paulo post, sedatis fluctibus, secundiore illi statu vecto, Fani fortunæ, ad eandem familiam aditus patuit, Fratrique Fortunato nomen est inditum; fortasse quia fortunam, a qua oppidum illud nomen invenit, propitiam habuisset. Jam vero, quæ tanta dicendi vis est, quæ tamquam penicillus, disertæ orationis ope, quasi coloribus, incredibilem illam dicendi cupiditatem, quæ peracri ingenio hominem, & studio flagranti, incesserat, possit exprimere? qua flagrabat sic, ut vix in altero flagrantius studium inveniretur. Ac primo, unus e multis, nulloque apud superiores numero, in funera vocatus cum aliis una prodire, publicis privatisque supplicationibus interesse, horarias tum nocturnas tum diurnas preces, ceterorum choro insertus, recitare, psallere, mensis deservire, interdum in culina, obsonii partiendis, coquinandis, patinis aliisque vasis abstergendis, dare operam coquo, denique alia omnia facere, quæ vulgarium communia sunt fratrum. Sed, cum in hac ignobilis vitæ patientia aliquandiu perseverasset, jamque discendi desiderium, quo æstuabat, ferre non posset, tandem magna vi, convocatis in auxilium amicis atque cognatis, expugnavit, ut Ariminum, studiorum causa, mitteretur. Ubi, non contentus ea eruditione, qua ibi se expoliri sentiebat, quod sibi erat conscius, sui ingenii vires longe majorem perpeti posse; statuit, alibi eam exquirere, ejusque comparandæ gratia, operæ, sumtui, & labori non parcere. Atque anno cIↄ Iↄ XCIV Magistri ge-

generalis comitiis, Romam se contulit, perfecitque, ut sibi in Hispaniam proficisci liceret. Verum, dum, majore animo quam viatico instructus, Barcinonem navigat, fit, ut, a pecunia destitutus, dum sapientiæ famam quærit, in famem incurreret; a qua nisi confici vellet, necesse habuit coquum agere, ac vectoribus, quod ederent, coquere. Quis unquam existimasset, per culinam, & coquinandi artem, esse iter ad sapientiam? Navi egressus, terraque, quod reliquum erat itineris, peragens, majoribus etiam incommodis atque molestiis conflictatus est; adeo ut Toletum, mortuo quam vivo similior, perveniret. Quæ res illi in bonum conversa est. Nam Patres illi, hominis, ad extremum casum adducti, aspectu commoti, magis misericordia quam alicujus superioris imperio compulsi, in familiam eum suam receperunt; tum, ad Complutensem academiam miserunt, ubi exquisiti tota Hispania magistri docebant; ibique nobilissimos omnium condiscipulos habuit; in quibus Rodericus Borgia, nunc S. R. E. Cardinalis, numerabatur; quibuscum una Philosophicis ac Theologicis est disciplinis eruditus. Quarum disciplinarum curriculo, septem annorum spacio, strenue gnaviterque confecto, voluit, Hispano more, in arenam descendere, cum viris doctissimis de eo, quod didicerat, triduo, tum mane tum vesperi, pugnaturus, eorumque, contra differentium, argumentationum tela fortiter excipere atque repellere. Idemque certamen, ex Hispania reversus, instauravit in patria. Tradidit se deinde linguarum cognitioni: e quibus Hebraicam ita novit, ut in ea natus videretur. Sed Græcas literas, ut M. Cato, senex arripuit: nam videbam ego, qui Romæ in eadem, qua ille, vicinia eram, Græculum, qui mercede docebat, quotidie ad eum venientem. Nec minorem, libris edendis, operam dedit; quibus, ut dicere solitus erat, nomen suum immortalitati commendaret. Nam Venetiis, anno cIↃ IↃ C IX, sacrarum literarum librum, quem Biblia vocant, plures in linguas conversum, ac duobus voluminibus comprehensum, & Paulo V Pont. Max. dicatum, edidit. Quo tempore, Zachariam & Hieronymum Condelmerios, nobiles Venetos, arcta sibi familiaritate devin-

vixit; qui etiam suas illi operas polliciti sunt, ut a Senatu illo, apud quem plurimum auctoritate & gratia valebant, Reip. Theologus, magno cum stipendio, subrogaretur in locum F. Pauli Servitæ, qui paulo ante e vita decesserat. Sed recusavit ille, nec ausus est ei succedere, qui tantum, suis scriptis, dedisset Reip. Christianæ damnum ac malum. Tum, annis quindecim, quibus, Urbano VIII Pontificatus Maximi navis clavum tenente, Sacrario Pontificio præfuit, duo concinnavit volumina de sacris unctionibus, unum, Sacrorum elæochrismatum, alterum Sacrorum arcanorum titulo inscriptum, utrumque varia atque admirabili eruditione refertum: sed, dum paret se, ut duo alia volumina ad communem utilitatem in lucem proferat, coactus est, homo abundanti doctrina, studioque flagranti, literis mandare rationem ac viam, quæ sit ineunda, in Sanctorum numerum referendis iis, qui summa cum probitatis laude vixerunt. De quo argumento volumen unum docte eleganterque confecit; nec potuit alterum, quod jam in fine laborabat, absolvere, subito apoplexiæ morbo correptus, quæ tantam ejus capiti oculisque calamitatem invexit, ut excogitandi eidem tum, & cernendi, facultatem ademerit; quamvis, celeri medicorum ope, tum caput, tum oculi, ad suum munus præstandum, sint propemodum revocati. Emisit item volumen unum concionum, quas variis temporibus ac locis ad populum habuerat: at, ne alterum prodiret in vulgus, fuit impedimento morbus ille, quem diximus. Non enim erat magis doctus, quam eloquens; sed utraque in re plurimum præstitit; atque diserta ejus vox, & eruditis auribus digna, in præcipuis Italiæ civitatibus audita, admirationes & plausus sibi confecit; ac Bononiæ præsertim ita probata est, ut in solennibus quibusdam supplicationibus, cum excitandus esset aliquis, qui ad populum verba faceret, ex triginta magni nominis concionatoribus, ab amplissimo illo Senatu sit electus, cui illæ partes demandarentur, & ob amœnitatem ingenii, qua florebat, dignus fuerit habitus, cui Comitis Aldobrandi opera, ipsi Senatui dicata, verum inchoata, ac nondum perfecta, absolvenda ac perficienda traderentur; cujus-

que opera, ad tradendam in eo Gymnasio Theologiam, annua ducentorum aureorum mercede conduceretur. Sed, num, quia poterat optime loqui ac scribere, in aliis docendis instituendisque non satisfaciebat? at, hoc quoque in genere, laboravit, & excelluit. Etenim Romæ sacras literas interpretatus est; Maceratæ Theologiam, Patavii Hebraicas literas docuit; præterea, tum ibi, tum Perusii, tum Recineti, discentium studiis præfuit. Quid multa? nihil erat in studiis literarum honestum ac pulcrum, ad quod ille maxima, a natura, adjumenta non haberet. Sed homo, ocii quietisque in primis cupidus, quique nihil tam laborabat, quam ut æternam sibi gloriam, scriptorum suorum fama, conficeret, secretum semper aliquem & remotum ab arbitris locum quærebat, ubi scriptioni operam daret. Ac primum, Fanum secessit: verum, ibi adeo eum ocii portum, quem speraverat, non invenit, ut etiam varios ac sævos insectationum fluctus, maxima ex parte a se commotos ac concitatos, incurreret; quod in pravos atque corruptos totius Ordinis ac suorum moderatorum mores inveheret; quos fortasse corrigendos, emendandos, atque etiam gravi aliqua animadversione coërcendos diceret. Atque hos fluctus facile, si quiesset, evitare potuisset: sed probum eum esse virum oportet, qui alios esse probiores, quam ipse sit, postulat. Nam, quid est tam intolerandum, quam ab altero rationem vitæ reposcere eum, qui non possit suæ reddere? Ac non postremum insectationis illius, quam ille subiit, caput fuit nimia atque suspecta mulierum consuetudo, quibus erat addictus. Neque novum faciebat: nam ego non paucos, cupidos literarum, hoc vitio cumulatos inveni, quos, sicubi, cum studiorum ac laborum satietas atque odium ceperat, ad mulieres videbam confugere, atque in illecebrosa earum suavitate illam expuere miseriam ex animo. Qui omnes fluctus sunt, Oliverii Scacchi, germani fratris, sed ex justa uxore nati, opera auxilioque, sedati, qui tum in Urbe, sectator aulæ, morabatur: qui etiam, pessime ab ipso sibi relatam esse gratiam, ajebat, utpote ingrato, suorumque parum vel nihil ferme studioso. Habebat enim hoc, ut, accepto beneficio, obliviosus extemplo fieret,
ne-

neque mortalium quemquam, re, opera, aut commendatione sua, juvaret. Ejus igitur insectationis periculis, fratris ut diximus opera, functus, optione data, ubinam vellet esse, Ripam transonem elegit, locum, studiorum suorum rationibus aptum. Sed Magistri generalis Comitiis anno cIↃ IↃ C XVIII Romæ habitis, fratris hortatu, Romam se contulit, ubi pro eo, quod ejus nomen magna erat apud omnes fama, summis est doctorum virorum omnium salutationibus & amplexibus exceptus, atque a Scipione Cobellutio S. Susannæ Cardinali in clientelam susceptus; qui doctis se viris deditum esse ostendebat; cujus patrocinio confirmatus, invito Generali, qui alio eum destinaverat, ad sacras literas interpretandas, Romæ permansit. Sed Maphæo Barberino Cardinali jucundus fuit in primis; qui, quanti eum faceret, summus Pont. Urbani VIII nomine, factus, ostendit. Nam Macerata, ubi sacras literas docebat, jussum evocari Romam, sacrario suo Pontificio præfecit. Cui muneri, annis quindecim, ut dictum est antea, præfuit, tenui & infirma corporis valetudine; cujus valetudinis adversæ incommodum aëri Vaticano tribuens, habitavit fere semper in Cœnobio vel Deiparæ Virg. Transpontinæ, vel D. Homphrii; ac postremo, in eodem clivo, ædibus, a se conductis; quod fortasse fuit causa, cur Pontifici minus gratus existeret, aut etiam invisus propterea, quod liberius de ipso locutus fuisset; quo frequenter in genere, sive naturæ vitio, sive ingenua quadam animi libertate, peccabat. Itaque cœpit enixe, aliquam laborum, quibus annis quindecim perfunctus esset, remunerationem efflagitare, ac dicere, se jam, exacta ætate, infirmissimaque valetudine, vix oneris, quod ferret, labori posse sufficere. Quod ubi intellectum est ab eo, qui jam diu omni erat cura & cogitatione intentus, ut occasionem, si qua se daret, acciperet, qua popularem quendam suum, in eum honoris locum, attraheret, Pontificem certiorem facit, F. Fortunatum Scacchum se munere illo abdicasse. Quod statim delatum est ei, cui postulabatur. At nihil propius est factum, quam ut ille miser, qui per hanc rationem fuerat eo honore eversus, ex ægritudine in morbum incideret; ac, pro amicitia

ac vicinitate, sæpe mihi narravit, sua verba aliter fuisse accepta, atque ipse protulisset; nunquam enim sibi fuisse in animo, de provincia illa decedere, sed solum præsidii aliquid, quo, decurso ætatis spacio, affecta præsertim valetudine, commode manere in ea posset, expetere. Sed, tempori cedens, insigni bibliotheca, quam sexies mille aureis comparaverat, pluribus divendita, profectus est Fanum, ibique, annos natus prope septuaginta, decessit. Fuit firma corporis constitutione, commoda statura, sed quæ, apta compositione membrorum, oculos moveret; naso, aliquantulum leonino simili, oculis vegetis hilaribusque, fronte late diffusa, cui calvitiei nonnihil erat adjunctum, colore candido, in lævi ac tenera cute.

LXVI. FRANCISCUS CONZAGA.

FRanciscus Conzaga, Caroli Conzagæ, Gazoli domini, filius, & frater Scipionis Conzagæ Cardinalis, cujus imaginis claritas nostram hanc Pinacothecam sua luce lustrat ac complet; annum agens decimum quintum, missus est a patre in aulam Philippi secundi Hispaniarum Regis, ut ibi inter honorarios ephebos esset, quos Hispanica lingua Meninos vocant. Ubi, pro ea pietate, quam una cum lacte parentis fuxerat, adeo se aulæ mundique blandientis illecebris deliniri non est passus, ut non alias ipsum majus rerum fluxarum caducarumque odium & contemtus exceperit; usque adeo, ut ab infesto scopulosoque aulæ mari, in quo satis feliciter navigabat, ad littus se receperit, ac, mutata velificatione, ad certum salutis portum, iter cursumque duxerit, atque in Franciscanam familiam, eam videlicet, quæ arctius vitæ genus sequitur, ac soccis pro calceis utitur, se aggregandum adscribendumque curaverit, ibique tantos in literis progressus fecit, ut ad ipsum, tamquam ad sacrarum disciplinarum oraculum, adiretur; tum bonarum artium studiis, tum literatorum hominum amore, Scipioni fratri non dissimilis; quibus Scipio adeo deditus erat, ac Torquato Tasso in primis addictus, ut, Patavii cum esset, eodem atque ille cubi-

cu-

culo, eadem mensa ac eodem poculo uteretur, &, quod est mirabilius, quodammodo eidem ad manum, scribæ loco, esse non dedignaretur: nam totum illius, Hierosolymæ liberatæ, poëma, sua manu, descripsit. Cum igitur P. Franciscus, & vitæ innocentia, ac doctrinæ elegantia, ceteris specimen esset, comitiis, Lutetiæ Parisiorum habitis, florenti adhuc ætate, (nondum enim annum trigesimum octavum excesserat,) electus est generalis, totius suæ familiæ, custos. Quam provinciam, tanta cum integritatis, abstinentiæ, caritatis, diligentiæque laude gessit, ut vicerit gloriam superiorum, ac nemo, ex minoribus natu, qui adhuc eidem muneri præfuerunt, cum illo æquare ac conferre se audeat. Nulla enim, tota Europa, domus religiosi sui ordinis invenitur, vel tam exilis, vel tam ampla, quam ille non adierit, ejusque collapsam aliqua ex parte disciplinam non emendaverit, atque optimis ac sanctissimis legibus institutisque non formaverit temperaveritque. Ut hodie sacer ille ordo, nullo fere negocio regatur, Francisci institutis servandis, & quasi vestigiis persequendis. Verum, nihil ægrius est factum, quam, ne navim conscenderet, Asiaticum iter arriperet, Palæstinam peragraret, atque singulas ibi sedes, ubi sui versarentur, perlustraret: sed, ne id perficeret, quod conabatur, summa vi est inhibitus a Pontifice max. a quo unice diligebatur. Implevit tamen atque edidit ingentem codicem, in quem multa retulit, ex ignorantiæ tenebris, quibus obruta jacebant, extracta; quæ omnia, ad ejus familiæ, cui ipse præerat, profectum augendum amplificandumque, maximo esse usui possent, ea eruditione, doctrina, ea rerum copia refertum, ut, in magna temporum ac rerum obscuritate, quandam quasi facem prætulisse videatur iis, qui, suis deinde auspiciis, quinque maximis voluminibus, totius Franciscanæ familiæ annales sunt complexi. Ingentia igitur hominis merita, quæ novem annis, quibus arduam illam provinciam administraverat, mirandum in modum, excreverant, additis etiam paternis, quod parens, in exercitibus Caroli Cæsaris, ordines duxerat, & una cum duobus filiis non sine gloria militaverat, præterea bello Senensi magnas equitum turmas

du-

ductaverat, eisque præfuerat; hic, inquam, tantus meritorum tum ipsius, tum parentis, cumulus, Philippi II Hispaniarum Regis studia, ad eum insigni aliquo sacerdotio exornandum augendumque, commovit. Itaque Comiti de Olivares, ejus ad Pontificem oratori, mandatum dederat, ut, simul ac locupletis cujuspiam Episcopatus, in Italia, occasio se daret, suo nomine eum illi a Pont. committendum deferendumque curaret. Nec fuit illi, ad sui mandata Regis exhaurienda, longum tempus expectandum. Etenim, non ita multo post, Caroli Borromæi Cardinalis, qui postea in Sanctorum numerum relatus est, morte, Mediolanensis Ecclesia, suo pastore ac sponso viduata, relinquitur. Longum esset, explicare verbis, quantum Sixto V Pont. voluptatem hæc Regis, de illo in demortui Cardinalis locum subrogando, voluntas objecerit. Nec mora; evocatum illum ad se, regiæ hujus voluntatis participem fecit, & simul in spem maximam, amplissimæ Cardinalatus dignitatis ab ipso consequendæ, erexit. Quam ille spem non admisit, sed rejecit; quod diceret, se non esse eo loco ac numero dignum, verum, in eum aptius recipi posse Scipionem fratrem, tunc Patriarcham Hierosolymitanum; propterea se demisse atque humiliter petere, ut in Cardinalium comitiis illius rationem dignaretur habere. Quæ commendatio non omnino pondere caruit, sed in primis suffragata est fratri, ad honorem illum adipiscendum; nam brevi, ab eodem Pont. Cardinalis est factus. Quod vero ad Mediolanensem Episcopatum attinet, disertis verbis testificatus est, sibi vires, tanto oneri pares, non esse. Quod Pont. non serio, sed modestiæ scilicet causa, & inanium officiorum, ut mos est aulæ, dictum existimans, fuit illi auctor, ut consilio cogitationum suarum advocato, de re tota diligentius & accuratius deliberaret: ac paucos post dies revocatum eum interrogavit, quidnam consilii cepisset; sibi enim esse decretum, Mediolanensi eum Ecclesiæ præficere. Tum ille extraxit e gremio schedulam, sua manu conscriptam, in qua denunciabat, quidquid incommodi detrimentique, ex inepta imperitaque ipsius gubernandi ratione in Ecclesiam illam recidisset, fore, ut totum ipsi referretur acceptum; se enim in-

intelligere, quam esset illud onus, fraterculi viribus, impar, qui tum primum e cellula pedem foras efferret: sed, ne existimaret, id a se, declinandi laboris causa, fingi, aliam longe inferioris ordinis Ecclesiam afferret; nam tum, nullam se, ejus recusandi, causam allaturum. Admiratus Pontifex magnitudinem animi, spernentis, quod alii, ut adipiscantur, manibus & pedibus obnixe omnia conantur, non ita multo post eum Cephaledis, quod est oppidum Siciliæ, creavit Episcopum. Quam Ecclesiam ita quinquennium, quo illi præfuit, administravit, ut etiamnunc, incredibilis, pastoralis ejus vigilantia, ardens salutis animarum studium, abstinentia, crebris sermonibus, non a Cephaleditanis solum, sed a Siculis pene omnibus, usurpetur, & in magna apud eos laude versetur. Quæ virtutes eo erant illustriores, quod a prudentia, sine qua nulla est virtus, regebantur, & tanquam illuminabantur. Quarum virtutum fama, cum per omnes partes commeasset, ac fulgore suo cuncta complesset, ad Clementem VIII permanavit, ejusque oculos mire perstrinxit, ut etiam Romam venire eum jusserit; ubi plura, de hominis sanctitate, judicio, prudentiaque, suis ipse oculis accepit, quam quantum ad eum fama ac rumor attulerat. Quamobrem, cum intellexisset, quanto sibi usui in rebus Christianæ Reip. arduis ac difficilibus, in ejus consilio, opera prudentiaque fuisset, statuit, optimum esse factu, ex Cephaleditana Ecclesia in Papiensem, eum transferre: multo enim latius atque utilius, tantam vim ingenii atque virtutis, in nobili atque ampla in primis Italiæ civitate, doctrinæ, eruditionis, & sanctitatis suæ lumen diffusuram, quam remoto neque ita magno Siciliæ in oppido conclusam atque contractam. Vix menses octo intercesserant ab eo die, quo, a Clemente, Papiensi est præfectus Ecclesiæ; cum a Vincentio Gonzaga, Mantuæ Duce, ad Mantuanam postulatus est Sedem, quæ, vetere pastore morte sublato, alterum deposcebat. Sed, quamvis Pontifici gratum esset in primis, talem Antistitem, ea ambitione, a viris principibus expeti, ille tamen ejus animo scrupulus inerat, quod alienum a bonis moribus esse putaret, quempiam ab una Ecclesia ad alteram sine causa tradu-

cere. At voluit ex eo, quænam ejus, ea de re, animi sententia esset, exquirere. Qui, interrogatus, ea libertate, quam illi optimæ mentis conscientia dabat, respondit, nunquam se Episcopalis muneris cupidum studiosumque fuisse; proinde si cuperet, suo sibi beneficio ipsum quam maxime obstrictum habere, ad suam cellam & ad suos se quamprimum redire permitteret, deinde tum Papiensem tum Mantuanum Episcopatum iis committeret, qui majora, quam ipse, a Deo atque a natura, nacti essent instrumenta, Ecclesiæ bene regendæ. Tanta hominis virtus, ac demissio animi, grata Pontifici max. fuit; ita tamen, ut ejus magis studium incenderit, ad Episcopatum illi demandandum, quem repudiabat, atque ad deferendam eidem post paulo, extra ordinem, Apostolici Nuncii provinciam, ad Henricum quartum, Galliarum Regem, qui nuper ab hæreticarum partium, quarum ille antesignanus fuerat, castris ad Catholicorum septa transierat, discordiis cum Hispaniarum Rege compositis atque sedatis. Ac profectus est in Gallias, una cum Alexandro Mediceo Cardinali, qui postea in locum Clementis VIII electus est Pontifex, Leonis XI nomine. Sed triginta sex illis mensibus, quibus est versatus in Gallia, ita, generis claritate, multoque magis virtutum, quæ in eo elucebant, splendore, ejus sibi Regis animum benevolentiamque devinxerat, ut non alter inveniretur, cui Rex ille esset addictior, cujusque fidei magis consilia sua omnia crederet. Quod malevoli quidam finistre interpretantes, materiam ac sementem discordiarum inter ipsum & Cardinalem Legatum conati sunt facere; quasi nihil inter ipsos conveniret, sed alter alteri suspectus esset. At Legatus, cui Gonzagæ animus, apertus ac simplex, notus erat atque perspectus, ob hanc intimam Regis cum illo familiaritatem, ad eum magis magisque diligendum, adigi se impellique sentiebat; eoque ardentiori in eum studio ferebatur, quod, conscius negociorum arcanorumque omnium, publicæ utilitatis causa ab eo fieri videbat, ut Rex ita cum ipso de rebus omnibus communicaret. Neque id Legatus dissimulavit; qui sua confessione testatus est, arduum atque perplexum legationis illius negotium, ex intima Regis

cum

cum Nuncio amicitia, redditum fuisse expeditissimum planissimumque. Quod etiam apertius, Pontifex factus, significavit. Vix enim in illud fastigium receptus est, cum amantissimis eum literis, sua manu exaratis, Romam arcessivit; quarum literarum sententia, sive potius verba, hæc erant: Quandoquidem laborum, quibus in Gallia premebamur, onere, pro tua virili parte, a te suscepto, leve illud nobis est redditum, volumus, ut rebus nostris secundis, pariter hic Romæ, ubi te expectamus, nobiscum una fruaris; quo te, prout meritus de nobis es, omni officiorum ornamentorumque, quibus possimus, genere prosequamur. His literis acceptis, statim itineri se dedit. Sed, cum Senas venisset, eoque illi de Leonis Pontificis morte esset allatum, nihilo minus susceptum prosecutus est iter Romam, ut sacrosancta Apostolorum limina de more veneraretur. Quo perfunctus officio, hilari solutoque animo, suam ad Ecclesiam sese recepit. Sed, ut in Galliam, unde digressi sumus, revertamur; habebat in animo Clemens, revertentem illum ex ea, in Cardinalium ordinem adscribere, sicut multis significaverat: sed quiddam accidit in Pannonia, inter Vincentium Mantuæ Ducem, & Joannem Franciscum Aldobrandinum, copiarum Pontificiarum imperatorem, quod eum de sententia consilioque deduxit. Ita plerunque contingit, ut Dei & Ecclesiæ res, feliciter procedentes, ab humanis & inanibus contentionibus, in medio cursu, frangantur, ac corruant. Neque tamen propterea de Pontificis in illum amore quidquam diminutum est, neque aliquid de opinione illa detractum, quam idem Pont. de illius fide, integritate, doctrinaque, suo in animo insitam atque hærentem habebat. Etenim non cessabat, per literas, suo chirographo scriptas, de rebus cum gravissimis, & ad Ecclesiam universam pertinentibus, sæpe consulere. Atque ille, unde hæc nos, literis tradita, accepimus, triginta & eo amplius ejusmodi epistolas, seu brevia ut vocant, suis se oculis vidisse testatur, in quibus, præsertim suam ab eo sententiam exquirebat, vel de divinis auxiliis, quæ tum quæstio quotidianis fere disputationibus ante ipsum agitabatur, vel de corruptis quorundam

religiosorum ordinum moribus emendandis corrigendisque. Incredibile memoratu est, quantam ille vigilantiam ad gregem suum custodiendum adhiberet; a quo, tanquam in perpetua quadam vigilia manens, nusquam oculos dejiciebat, quantam severitatem, ad eundem in officio continendum, quem ardorem animi ad ipsum diligendum, afferret. Singulis diebus festis, doctis ac disertis concionibus, ad Christianam eum pietatem erudire, ad vitia evellenda, & contrarias iis vitiis virtutes in ipsorum animis inserendas, impellere, innumerabilem pene pecuniam, in pauperes cujusvis generis, in Xenodochia, Nosocomia, & in religiosorum ordinum domos, tum privatim tum publice distribuere, ac prope diffundere. Atque ad eleemosynas quod attinet, elegans ac facetum quoddam ejus factum, nec prætereundum silentio, narratur. Carolus, Nivernix Dux, qui postremis etiam temporibus Dux Mantuæ fuit, cum Mantuam venisset, (utpote qui ceteros suo ex ingenio æstimaret,) quatuor illi venaticos canes muneri miserat; quos hilari vultu accepit, eademque opera mandavit iis, qui adduxerant, ut suis verbis Duci nunciarent, se propediem, una cum illo, eorundem sagacitatis industriæque periculum esse facturum. Non ita multos post dies, invitat eum Dux, magno illustrium ac militarium virorum comitatu, ad venationem. Promittit ille, non sine ingenti totius populi admiratione; cui notum erat atque perspectum, quantum Episcopus genus illud oblectamenti, tantopere a professione sua alienum, odisset. Postridie mane, Dux adest una cum suis, ruris habitu atque ornatu; atque Episcopum, longis vestibus, & ad talos usque pertinentibus, videt indutum: miratur, ac, Quæso, inquit, has vestes depone, ac breviores sume; nonne vides, quanto tibi hæ sint impedimento futuræ, ad feras bestias citato equo persequendas, venabuloque feriendas? Cui ille, Hanc, inquit, mihi da veniam. Ac pingui lautoque jentaculo large liberaliterque acceptum, in peristylium eum amplum adduxit, pauperum plenum; quibus viritim nummos, ut quotidie solitus erat, sua manu divisit. Tum, leviter arridens, Hæc est mea, o Dux, inquit, venatio, hi lepores, hi apri, hæ damæ;

mæ; quocirca, tuos tibi habe canes, quos vides ad eas venationes, in quibus mea fere vita consistit, nulli plane usui esse: ac pauperes, cum dimitteret, identidem admonebat, ut etiam atque etiam Deum, quo Duci esset propitius, orarent. Tum Dux, tantæ tam docti sanctique Antistitis virtutis exemplo, incredibili admiratione affectus, O si, inquit, omnes tui similes hoc venationum genere delectarentur, in eoque se exercerent; neque in nostræ Galliæ, neque in Germaniæ, neque in Angliæ vitiis atque peccatis, ita homines offenderentur. Sed nec desunt plura, quæ de Francisco Gonzaga referri merentur. Vincentius Dux, Francisci, Ferdinandi, & Vincentii pater, gloriatus fuerat apud suos, eum se adducturum, ut secum chartis luderet, vel ad aliquod aliud ludorum genus delaberetur atque descenderet. Itaque jubens sibi chartas afferri, provocavit eum in aleam: sed negans ille, id a se ullo modo fieri posse, quod nullus ex illis chartis, ad usum veri Episcopi, liber confici posset; se tamen, quo ipsi morem gereret, eo descensurum ait, ut unam cum ipso horam, latrunculorum ludo, traduceret. Dux condicionem accepit; sed integra nondum hora abierat, cum ab eo, triginta aureis nummis est dirutus. Quos Dux se illi domum missurum esse spopondit; at Franciscus, Nihil agis, inquit; præsenti opus est pecunia; nolo enim, tantum Principem mihi debitorem habere, cum quo, judicio, certare non liceat. Eductoque, ex proximo ibidem atramentario, calamo, Ducem coëgit, ut scripto, eam statim pecuniam numerandam sibi, mandaret. Qua accepta, Principe ipso præsente, in quandam religiosam ac pauperem domum, deferendam curavit, cum mandatis, ut Deus, pro Ducis salute, unde ea pecunia prodibat, exoraretur. In quem Ducem postea intuens, Si tibi molestum est, ait, tantam uno tempore pecuniam in pauperes erogare, ne tibi posthac veniat in mentem, me in ludum provocare. Quibus actis, magna suæ virtutis admiratione relicta, discessit a Duce. Qui conversus ad suos, Nihil opus est, inquit, sanctos viros velle sibi ludos efficere. Jam vero, quis posset assequi oratione infinitos illos sumtus, quos in sacris Ædibus, in domibus piis ac religiosis, tum ve-

te-

teribus instaurandis, tum novis exædificandis, faciebat? ut nullus sit pauperum & calamitosorum hominum ordo, cui non ille domum ac perfugium aliquod excitaverit, in quod, fortunæ fluctibus ejecti, tanquam in portum, sese colligerent. Videlicet, filiabus, a parentibus derelictis, mulieribus a flagitiosa vita ad honestam pudicamque conversis, orbis parentibus pueris, puellisque male nuptis, mulieribus nobili genere natis, quas vel res male gesta, vel fortunæ sævientis injuria, ad terminos egestatis impulerat, præterea Clericis seminarium, ubi alerentur, optimis moribus imbuerentur, & sacros Ecclesiæ ritus edocerentur, exstruxit. Sed, num, quia erat in sacris Ædibus instaurandis ædificandisque magnificus, in eisdem exornandis locupletandisque, parcus inveniebatur? At utroque in genere laboravit & præstitit. Atque, ut de ceteris sileamus, in Ecclesia Cathedrali, quam magnificis ædificiis auxerat, argento, sacris vestibus, ac preciosa supellectile exornanda, septuaginta aureorum millia, & eo amplius, effuderat; si tamen est effundere, quod in Dei immortalis cultu collocetur. Sed nullus erit finis, si sit consilium, omnia ejus, pietatis in Deum, liberalitatis in pauperes, caritatis in omnes, exempla proferre. Denique, dives meritis, dives virtutibus, sua in Ecclesia, debitum naturæ reddidit; cum, in ipso mortis articulo, omnia ea mala prædixisset, quæ postea civitati illi inciderunt; ut propterea diceret, se maximas Deo gratias agere, quod non erepta sibi ab illo vita, sed opportune donata mors esset, ne tanta oculis, quæ postea ventura essent, mala conciperet. Obiit igitur, non sine maxima sanctitatis opinione. Multa enim occurrerunt, quæ supra naturæ vires existimantur ab Episcopo Donesmundo, ex eadem qua ille erat Franciscana familia, relata in ejus vitam, quam edidit. Quæ, apotheosis ejusdem gratia, a testibus interrogatis ac juratis excepta, in publicas tabulas, seu instrumenta, conferri cœpta erant; sed, ne opus perficeretur, belli calamitas obstitit, quæ Mantuæ civitatem afflixit. Theologicæ ejus disputationes una cum concionibus, ubi asserventur, ambigitur; utrum apud Principem Bozzoli, fratris ejus filium, an in Bibliotheca Terræ S. Martini, quæ

quæ Principis illius paret imperio: quam bibliothecam, eo in loco, sibi ipse exstruxerat eo animo, ut ibi, quod reliquum esset vitæ, conficeret; sed, factus Episcopus, animum ab ea cogitatione abducere, & ad alia consilia est transferre compulsus.

LXVII. AURELIUS CHISIUS.

Clarissima Senarum civitas, non modo nulli Italiæ, quæ quidem feratur in primis, belli pacisque artibus cedit, sed neque virorum, quos virtutum maximarum merita evocarunt in cælum, numero inferior existit. Atque insignium, doctrinæ & eruditionis laude, civium plurimorum, qui mea ætate, communi naturæ fato extincti, æternam nominis sui famam reliquerunt, imagines, tenui nostro stylo, quasi penicillo, descripsimus, & huic alteri Pinacothecæ commendavimus; quarum imaginum tam magnus est numerus, ut non minimam ejus, ut ita dicam, parietum partem vestiat atque exornet. Eos vero, qui ad summam sanctitatem, dum viverent, effloruerunt, non sum adumbrare conatus; quoniam totum hoc integrum reservabam ad eum librum, in quo cogitabam laudabiles eorum mores exprimere, qui nostro hoc ævo habiti essent omnium sanctissimi. Sed, in Aurelio Chisio, hoc me quasi legitimum tempus expectare non sinunt eximia Fabii Chisii, ex cujus stirpe hoc tam fulgens sanctitatis lumen emersit, merita atque virtutes; qui nunc Sedis Apostolicæ apud Ubios Nuncius, ac Monasterii in Westphalia, Sedis ejusdem nomine, communis pacis conciliandæ caussa, interpres atque auctor, magnum præbet specimen animi, ingenii, consiliique sui. Neque ingratum id illi fore existimo, si inter eos, qui, humanæ doctrinæ præstantia, magni & clari habentur, cognati unius, cælesti sapientia referti, imaginem collocemus; ut, quoties in eam intueatur, & præclarissimis domesticæ virtutis exemplis gaudeat, & ab ejus similitudine abstractum se non fuisse lætetur. Aurelius igitur, na-

natus est Senis, ex Augustino Chisio, & Olympia Bulgarina, optimis ac nobilissimis parentibus, anno cIↃ IↃ LXVI. Non fuit in puero, nec docilitas ingenii nec suavitas morum: in adolescentia, etiam libertas & vivendi licentia notabatur. Sed, annum agens undevigesimum, dexteræ excelsi opera, ineuntis adolescentiæ vitia magnis virtutibus emendavit atque correxit; tanta animi alacritate, ut Spiritui Sancto, novum in ipso opus instituenti, repugnare non sit ausus, sed totum se eidem reficiendum, expoliendum, instaurandumque permiserit. Et, quod magis miremur, novum vitæ genus, ejusdem Sancti Spiritus impulsu, horridum, sævum, atrox, suscepturus, non ejus ineundi rationem, a religiosorum ordinum familiis, & in eorum domibus, esse petendam existimavit, sed in privatis etiam ædibus posse illam inveniri putavit. Tum, in rerum cælestium cogitatione totum se collocaturus, non in loca sola atque deserta confugiendum statuit, sed in urbium frequentia, in foris, in hominum strepitu, secretum sibi unumquemque posse facere duxit, ubi in acri atque attenta Dei meditatione defixus, omnes alias cogitationes a se rejiceret, atque repelleret. Itaque in sua civitate ætatem agens, in immensis cæli regionibus, inter cœlestis patriæ cives, mente animoque peregrinabatur; popularea inter suos positus, longissimo ab aliis intervallo distabat; intra domesticos suos parietes clausus, latissima cæli spacia emetiebatur. Erat illi, somni loco, vigilia, pro preciosa ac divite veste rudis atque horridus saccus, pro esca atque potione jejunium, pro corporis oblectamentis flagella, atque aliæ ejusmodi pœnæ, ultro susceptæ, quibus in se acriter vehementerque sæviebat; risus locum ac sedem vis lacrimarum, quæ perpetuo eidem ab oculis decurrebant, occupaverat, adeo ut, quemadmodum de principe Apostolorum Petro traditum memoriæ ac literis est, velut sulci quidam in malis conspicerentur, unde in pectus, quod madidum semper gestabat, lacrimarum rivi defluerent. Jam vero, ubi ad sacra Christi corporis mysteria sumenda ventum erat, tum licebat videre, quantum ille fletui obsequeretur, quantum lacrimis indulgeret; quarum ea erat copia, ut non ge-

genas tantum rigaret, non pectus solum lavaret, sed, in terram decidens, pavimentum ipsum Ecclesiæ madefaceret: adeo ut sæpe æditui, rationis totius ignarus, vereretur, ne lychnus aliquis vitreus, ex iis, qui ejus orantis capiti impendebant, effractus, illam vim aquæ dedisset. Erat in primis cupidus, Societati Jesu nomen dandi, quod ea (absit verbo invidia,) magis fere quam reliquæ Religiosorum ordinum familiæ, iis, quas sibi ipsi præscripsit, legibus pareat: sed ab eadem excludebatur, quod esset humaniorum literarum funditus expers; quibus saltem imbutos eos esse oporteat, qui initiari sacris ecclesiasticis volunt. Quæ fuit causa, ut Patavium proficisceretur, quo ociosius & utilius daret operam literis. Sed fiebat, ut, simul ac Grammatici cujuspiam librum in manus sumeret, adeo a capitis dolore invaderetur, ut haberet necesse, illum abjicere; cum autem ad orandi studium se reciperet, statim dolor ille consisteret, nec auderet progredi longius. Itaque, Dei voluntate perspecta, cum, annum integrum, inanem illam operam sumsisset, reversus est in patriam; ubi, a Præposito Societatis ejusdem, maximo opere petiit, ut, quoniam omnis sibi, ad sacerdotes perveniendi, aditus esset obstructus, saltem ad fratres, seu coadjutores Societatis, ut vocant, transeundi potestas fieret. Quod etiam, justis de causis, impetrare non potuit. Sed quoniam, nullum veræ sanctitatis ædificium recte constitui, neque tolli altius potest, nisi humilitate nitatur; summum, in jaciendis humilitatis fundamentis, studium adhibuit, atque operæ non pepercit suæ. Itaque humum fodere, cubicula everrere, parietibus opera aranearum dejicere, ut ædes niterent efficere, aquam urnæ ingerere, ac plenam per vicos plateasque deferre, sua palam vitia detegere, nunquam, se accusandi, finem facere. Audierat a Francisco Vannio, pictore in primis, formæ imaginem suæ, quam maxime ad similitudinem veri, expressam fuisse coloribus: oravit, ut eam liceret aspicere, ac, facta potestate, plures eam scidit in partes. Injuriarum, in quibus æquo animo perferendis, veræ perfectæque humilitatis specimen editur, adeo patiens fuit, ut, publice læsus, ac ludibrio habitus, omni-

omnibus lætitiis incesserit. Verum, ejus patientiæ precium non exiguum tulit. Nam eum, a quo tam insignem contumeliam acceperat, tanta repente pœnitentia subiit, ut, sacco indutus, ac fune præcinctus, palam per urbem incesserit, atque peccati sui veniam exposcens, quod ausus esset tantam homini sanctissimo contumeliam, per summam injuriam, inferre, contumaciæ suæ voluntarias pœnas dederit. Tantis igitur humilitatis patientiæque radicibus positis, quid mirum, si ea in Deum & in homines caritas, quæ inde prodit, tam alte succreverit? Primum, piam ac religiosam domum, quam vulgus Derelictarum appellat, ab Hieronymo Benevogliente, I. C. eximio, inchoatam, ad absolutionem perfectionemque perduxit: in quam plures, facie honesta puellas coëgit, ne inopia & egestate coactæ, quæstum occiperent, ac Dei in se templum violarent; perfecitque, ne quid illis ad necessarium vitæ usum deesset. Deinde, quum dolore, quantum maximum animo capere poterat, afficeretur, ex misera & indigna virginum quarundam calamitate, quas cum generis claritas, majorum amplitudo ac dignitas, ab aliarum numero abstraxisse, egestas tamen ad infimæ sortis hominum condicionem sordesque compelleret; dedit operam, quantum potuit, neque ulla alia in re impensius elaboravit, ut insignis domus aliqua excitaretur, quæ, adversæ fortunæ fluctibus, jactatis, quasi perfugium ac portus existeret, atque Refugii eam nomine appellavit. Quam domum de integro, coëmtis in ea vicinia ædibus pluribus ac dirutis, fundamentis erexit; sacellum, in quo res divina fieret, constituit; signis, tabulis pictis, ac preciosa supellectile, instruxit ornavitque: tum, prædia coëmit, ex quibus tantum quotannis rediret, quantum satis esset, ad vestes illis comparandas, ad panem præbendum, ad vinum obsoniumque tradendum. Eas postremo omnium bonorum suorum heredes instituit. Atque in his omnibus, constat, triginta aureorum millia fuisse consumta. Sed, quod incredibilem ejus animi magnitudinem, & humanæ gloriolæ contemtum, mire declarat, tam amplo excelsoque ædificio suum nomen inscribi non est passus: tantum,

post

post ejus mortem, multis illæ virgines precibus impetrarunt, ut in lapide, quo ejus sepulcrum tegebatur, quæ & quanta ejusdem essent in piam illam domum merita, grandioribus literis insculpta legerentur. Ibi enim, anno CIↃIↃCXI, morbo consumtus, annum agens quintum & quadragesimum, est humatus. Sed præcipuam habuit servatæ castitatis laudem. Nam, cum in assidua atque perpetua illarum virginum custodia vigiliaque maneret, cum auctoritate, consilio, re, atque opera, omnibus horis, præsto illis, tum ægrotis, tum bene valentibus, esset, ut etiam fœtidam ægrotantis cujusdam virginis saniem, quam evomebat, sibi sit in os conatus ingerere; cum, inquam, tam frequenti virginum illarum consuetudine uteretur, adeo tamen secunda inter ipsas castitatis fama versatus est, ut nullam unquam cuiquam, ejus minus honeste habitæ, suspicionem aperuerit. Quod etiam Patrum Societatis Jesu, qui, quinque & viginti annos, ejus confessiones audierunt, testimonio confirmatur. Ajunt enim, toto hoc tempore, nulla ejus animum, impuræ cujuspiam cogitationis, vi impetuque fuisse oppugnatum verberatumque: ut etiam in eo, vetus sanctissimi Patriarchæ Josephi castitatis exemplum, longo intervallo, sit renovatum. Etenim, impuræ cujusdam meretricis, quam a flagitio revocare conabatur, amplexibus, sese fuga expedivit, relicto pallio, quod illa e fenestra in viam ejecit.

LXVIII. LORETUS VICTORIUS.

Mirum nemini videri debeat, si, tot præstantissimis hominibus mortuis, vivi unius imaginem inseramus. Ea enim est hominis, in suo genere, virtus atque præstantia, ejusmodi mea, in illo exornando exprimendoque, cupiditas, ut ad eam explendam, si sit expectandum, dum eo iter arripiat, quo ii, quorum imagines nostra hac Pinacotheca continentur, abierunt, millies me antea, tanto illo majorem, mors opprimere possit, quam ille vitæ suæ spacii metam aspiciat. Quamvis, in

eam sedem, ad quam iter est omnibus, receptus, posse videatur suam, & alterius, quem dilexerit, vitam ab Orco, suo cantu, redimere; quemadmodum de Orpheo & Eurydice narratur. Cujus ille, superioribus annis, non nihil simile, si vera est fama, perfecit, qui suam, Eurydicem quandam, in tenebris, ex Cerberi tricipitis, nempe cognatorum custodiis, quibus ille verba dedit, eripuit. Sed fecit sapientius, quam vetus ille Orpheus. Non enim flexit retro sua lumina, ut ille; sed semper, quæ ante ipsum erant, aspiciens, tutus, quo voluit, evolavit una cum illa; non, ut suam ex ea, ut falso quidam suspicantur, voluptatem expleret, sed quemadmodum ipse in quadam ad me epistola affirmat, quo illius pudicitiam, ab adolescentis cujusdam insidiis, præstaret incolumem. Natus est Spoleti, magis ingenii virtutisque bono, quam generis claritate, præclarus ac nobilis; atque admodum puer, voculæ suavitate, ac docilitate ingenii, sectus est, & in musicis eruditus, ab exquisitis tota Italia magistris. A Cosmo, Magno Etruriæ Duce, simul auditus & probatus est, & ab Octavio Donio Florentino, qui illuc eum perduxerat, acceptus, magno in precio habitus, ac domi suæ innutritus, ubi deinde, tum sua tum magistrorum diligentia, tantos profectus fecit, ut scenicis in ludis, qui sæpe Florentiæ magnificentissimi dabantur, in scenam productus, primarum semper partium actor, tantum commendationis habuerit, ut apud omnes gentes, ubi aliquis musicæ arti honor habetur, celebre ejus nomen & clarum existeret. Cujus vocis eximiæ cantus, cum Ludovici Cardinalis Ludovisii Gregorii XV fratris filii, pervenisset ad aures, per eas illi in animum commeans, maximum, ad intima cordis ejusdem cubilia, sui desiderium invexit: in qua cupiditate adeo fuit intemperans, ut non antea quieverit, quam summis eum precibus, a Magno Duce, in beneficio & gratia, impetrarit. Cujus precibus Magnus Dux non potuit obsistere; quod tum ille, Romæ, rerum potiebatur. Sed Ludovisius tam alte hominis precium extulerat, ut non cuivis ejus audiendi faceret potestatem, sed iis tantum, qui æquabilitatem communis conditionis, præstantia dignitatis aut fortunæ suæ, transirent; quod,

eam

eam vocis cantusque suavitatem, vulgarium non esse aurium pabulum, existimaret. Quæ res magnum illi convertebatur in bonum. Nam viri illi principes, quo, magno se beneficio a Cardinali esse affectos, ostenderent, large in eum dona ingerebant; ex quibus, ad eos nummos, in quibus nunc est, brevi pervenit. Sed interdum Romæ, per hyemem, in sacello Patrum Congregationis Oratorii exaudiebatur. Ubi eum ego, nocte quadam, Magdalenæ, sua deflentis crimina, seque ad Christi pedes abjicientis, querimoniam, canentem audivi: qui, eo ardore animi, ea vi vocis, iis tam mollibus tamque delicatis in cantu flexionibus, Magdalenam nostris pene oculis subjiciebat, ut, si revixisset, in illa ejus, pœnitentiæ ipsius, imitatione suos veros luctus doloresque agnovisset atque admirata esset. At neminem eorum, qui aderant, arbitror fuisse tam leni animo, tamque remisso, qui non ad eos motus se perduci sentiret, ad quos ab illo impellebatur; nimirum, ad fletum, ad iram, ad odium peccatorum. Nescio alios; me quidem, scio, acriter vehementerque in delicta mea exarsisse, cum ille Magdalenæ personæ actor, præteritæ illius vitæ crimina exsecraretur, propter quæ in tantam Dei atque hominum offensionem incurrisset; sensi, mihi ubertim lacrimas ab oculis ire, cum ille flentis peccatricis gemitus, voce ad miserabilem sonum inflexa, repræsentaret; sensi, me ad incredibilem admirationem efferri, cum, vocem a gravissimo ad acutissimum sonum gradatim impellens, eandemque ab acutissimo ad gravissimum, per varios anfractus, volubilitate incredibili colligens, se posse eam ostenderet, sicut mollissimam ceram, quocunque vellet, contorquere ac flectere. Quid opus est verbis? nullus erat animi motus, ad quem ab illo, ut ita dicam, abreptus, non continuo formarer ac fingerer. At, quo artificio, qua venustate, quo lepore, id totum ab illo fiebat? Profecto, ars certare cum natura videbatur, utra majorem in eo vim ac dominatum haberet. Equidem, memoria repetens cantores omnes, quos ad hunc diem audire, longæ mihi vitæ cursus attribuit, sic statuo; nemini eorum, quos, in hoc genere, præstantissimos absolutissimosque, erudita veterum Græcorum Romanarumque natio ja-

ctat, tam multa, vel a natura vel ab arte, concessa fuisse, quam multa in hunc unum congesta miramur; magnum ingenium, miram ad poësin indolem: nam Sanctarum Irenæ & Galateæ dramata elegantissima edidit; non vulgarem, in faciendis modis, eruditionem; qui, Ignatium Lojolam, Romæ in Æde nominis Jesu, ejusdem Societatis, regio apparatu datum, modulatus est egregie; vocem suavem ac splendidam, & ad quamcunque varietatem & commutationem efficiendam aptissimam, quæ, ut in fidibus chordæ, ad quemcunque tactum respondeat, acuta, gravis, cita, tarda, magna, tenuis; acre in canendo judicium, atque artificem rationem: quo fit, ut suum, cuique animi mortui, vocis genus adhibeat, neque præpostere agat, ut multi, a quibus vox non arte ac moderatione tractatur, qui hilares ac jucundas res triste, tristes hilare, vehementes remisse, graves ludibunde, iracundas lente, ad nos, per vias ab auribus ad animum perforatas, inducunt. Quamquam in hoc est eorum culpa nonnulla, qui carmini modos fecerunt, quos non apte ad illius sententiam accommodaverunt. Ille vero, a natura atque ab optimorum magistrorum præceptis edoctus, si iracunda perturbati hominis vox & oratio cantu sit exprimenda, vocis genus sumit acutum, incitatum, crebro incidens; si miseratio ac mœror explicandus, flexibile, plenum, interruptum, flebili voce; si metus referendus, demissum, hæsitans, abjectum; si truculenti vis hominis tradenda, contentum, vehemens, imminens; si exhilarati voluptas animi anteponenda, effusum, lene, tenerum, hilaratum ac remissum; si ægritudine aliqua oppressi molestia significanda, sine commiseratione grave quiddam, & uno pressu ac sono obductum adhibet. Hæc, a L. Crasso aliisque summis doctoribus relata, felicius, in illius modulate canentis voce, quam in eorum libris, impressa cernuntur. Quod autem ita scienter in cantu, ad quemcunque velit animi affectum exprimendum, se formet ac fingat, a natura consecutus est; unde habet, ut, in communi vitæ consuetudine, ad eos omnes motus acriter vehementerque impellatur. Nam si dat se hilaritati, in maximos repente risus effunditur; si tristitiæ, demittit animum; si iracun-

cundiæ, ita se ab ea abripi sinit, ut ad clamores, ad jurgia, ad contumelias, & interdum etiam ad verberationes, labatur atque deveniat; adeo ut vix ab iis manus abstinuisse dicatur, quos nefas est tangere. Eadem est ratio spei, misericordiæ, aliarumque animi perturbationum: in quarum singulas nimis ille quidem est vehemens. Quid illa ejus, in qua mihi deus videri solet, in voce claritas, & in lingua, explanata vocum impressio, quantam attentionem benevolentiamque conciliat! est enim in magna cantoris laude ponendum, verba, syllabas, literas omnes exprimere, non putide, sed accurate, & cum quodam, sine molestia, diligenti spiritus sono ac vocis: idque non tam, sua sponte, laudabile est, quam, quod est a plerisque neglectum. Etenim, non tam præclarum est, pronunciationi distinctæ atque dilucidæ operam dare, quam flagitiosum, id spernere. Novi ego non neminem ex iis, qui ad summam recte eleganterque canendi laudem efflorescerent, ultimas præsertim syllabas, sive negligentia, sive prava consuetudine, ita obscurare, ut, quid dicerent, quamvis admodum attenderem, non intelligerem; quod non, tam vocem foras emittere, quam intra fauces impellere, non tam in lucem edere, quam tenebris involutam, anteaquam lucem aspiceret, enecare viderentur: quamobrem illud assequebantur, ut, qui audirent, desperantes, posse ex illis tenebris, lucis quidquam, ad ipsorum intelligentiam illuminandam, existere, vel aliud agerent, vel oscitarentur, vel dormitarent, vel cum vicinis capita conferrent, ac de cœna loquerentur. At vero, illo canere incipiente, omnes alacres & erecti consistunt, sermones, quos instituerant, dirimunt, animam continent, ne, crebro respirantes, sibi quodammodo obstrepere videantur; tum, cantu ejusdem mirabiliter deliniti, nullis ab eo fastidiis abalienantur, nulla aurium satietate defatigati discedunt, sed ab eo, tanquam capti alligatique, continentur. Fabulosis poëtarum carminibus traditur, ad Amphionis lyræ cantum, Thebarum arcem murosque fuisse substructos. Ridicule, si ad lapides & latera, quibus muri constabant, referatur: verum, si in cœmentis, rudia hominum ingenia, quovis interdum saxo stupidiora, in-

 tel-

telligantur, in hoc lepido tam elegantis fabulæ mendacio non inelegans veritatis ratio inclusa invenietur; nimirum, nulla re alia, nisi suavi docti cujuspiam oratione, ex agresti immanique vita, nos ad humanitatem excultos exædificatosque fuisse, vel potius mutuæ caritatis amplexu, quovis muro firmiore, unum in locum coactos, atque occlusos. Sed, quid hæc, inquies, ad Loretum narratio spectat? Multum sane. Non enim ita Amphion dispersos & agrestes homines, lyra, ad Thebanum oppidum conflandum, quasi lapides ac lateres, elaboratos atque expolitos attraxit, ut ille suæ vocis suavissimæ cantu voluntates ad se hominum allicit, eorumque benevolentia, quæ, plusquam centuplex murus, servandis hominibus prodest, se munitione quadam & vallo circumdat. Quot ego homines novi, ad hæc studia duriores, ad dulcissimos ejus cantus commoveri, emolliri, ac flecti! quot, præ nimia voluptate gestientes, quod ad eam continendam angusti essent unius pectoris fines, sibi tunicam a pectore diloricare, quasi eidem, ad egrediendum, aditum darent, & aperte fateri, se pares eidem ferendæ non esse! quot ego patres familias vidi, natu grandes, cum auditum esset, illum quopiam cantatum prodiisse, statim, ex ultimis Urbis regionibus, domibus relictis, re familiari neglecta, corruptis itineribus cœno, tempestate perfrigida, imbribus maximis, accurrere, loca in subselliis occupare, ac multas horas, expectando, conterere! quot etiam aspexi, quos, locis omnibus obsessis, negociorum necessitas serius illuc impulerat, in confertissima multitudine stantes, premi, impelli, & hac illac, tanquam fluctibus, agi, neque his tamen incommodis deterreri, quo minus eum, cujus causa venerant, audirent! atque isti ipsi, qui serius illuc accesserant, cum discederent, non tam querebantur, se pene fuisse in turba collisos, quam illum dolebant, cupiditate ipsorum celerius, finem canendi fecisse; se enim, nequaquam fuisse satiatos, sed avidiores, quam attulerant, aures domum referre. Alii multa matri illius bona dicebant, quæ sua fœcunditate, Angelum magis quam hominem, peperisset. Alii commune rerum humanarum fatum deplorabant, quod illum, ob excellentem vocis sua-

suavitatem, & incredibilem canendi artem, omnino mori non debere, ajebant. Alii affirmare non dubitabant, cæli beatissimas mentes, si eas canere humana voce contingeret, non alia voce nec aliis modis usuras, nisi illius. Dixi paulo ante, videri eum dignum, qui mori non debeat: sed, quoniam nemini, in tam exiguo vitæ spacio, immortalitas potest accidere, saltem optandum est, ut Xenophili musici ætas illi contingat; qui, nullo valetudinis damno, centum & septem complevit annos. Vel potius, quoniam, in ejus suavissima voce, tot animi reficiuntur, tot curæ abiguntur, tot aures conquiescunt; videtur petendum a superis, ut ejus felicitatis compotem eum faciant, quam Lucceiæ mimæ largitos esse, auctor est Plinius; cujus vocis præstantissimæ ea fuisse perennitas traditur, ut, centum annos in scena pronunciaverit. Nam illud jam assecutus videtur, ut vetus de Tellene musico, omnium maximo, proverbium in ipsum transierit. Non enim, ut antea, cum aliquem ad recte canendum hortabamur, dicimus, *Cane ea, quæ sunt Tellenis*; sed, *Cane ea, quæ sunt Loreti*; *quoniam sunt optima.* Tam constans est omnium opinio, fuisse Tellenem ab eo superatum.

LXIX. FORTUNATULUS LURCO.

Lubet hic narratiunculam apponere, habitam, feriis Bacchanalibus, ad Academicos Humoristas, quæ, cum mores illius, qui in ea continetur, exponat, imaginis cujusdam instar potest haberi.

Multa sæpe homini in vita contingunt, sive bona sive mala, quæ ille non cogitavit. Vel illud, quod dicturi sumus, quis unquam crederet potuisse accidere? scilicet, ut quisquam, domo, negocii causa, egressus, quatridui viam, sine ullo suo sumtu, conficeret, &, quod admirabilius videatur, magna ex parte ad caupones diverteret? Sentio, vos vehementer mirari; scio, me rem incredibilem polliceri. Nam, qua insolentia avaritiaque hic ordo sit, indicant leges severissimæ, in caupones & stabularios scriptæ, quibus, gravissimis propositis pœnis, eorum fraus & nequitia compescitur. Attamen, res

ita se habet, ut dicam. Ejusmodi enim casus affuerunt, quibus est illis pulcre os sublitum. Accipite igitur rem jucundam, & dignam vestro cachinno. Sed, antea quam ad rem aggredior, explicandum est, quid hominis sit hic, ad quem ea, quam sumus dicturi, res attinet. Hic est, annos natus quinquaginta & plus eo, magnus, ventriosus, obesus, rubicundo ore, facetus, amœnus, quotidie mensam amicis complet; semper est in convivio magister, in comessationibus dominus, in compotationibus princeps; ubi in aliquod oppidum venit, mirandum in modum, (canem venaticum diceres,) odoratur in popinis omnia, & pervestigat, num aliquid sit in eis vini, ex palati sui sententia: quod si reperit, nefas putat esse inexpiabile, antea illinc pedem efferre, quam dolio illi, quod probaverit, omnem animam intertraxerit. Præterea, homo est mulierosus, &, tanquam Mimnermus alter, sine Veneris voluptatibus nullam esse vitam existimat. At nihil factum est propius, quam ut hæc illi voluptas pessime infeliciterque succederet. Nam cum, festis Bacchanalibus, statuisset, multo, quam antea, effusius in venerem ruere, in eoque luto altius hærere, aromatarium quendam adiit, quem acceperat medicatam quandam aquam habere, quæ non solum deficientem libidinem excitaret, verum etiam ab inferis, mortuam, revocaret; ac quatuor ejus cyathos ab illo coëmit. Sed satis superque unus fuisset: etenim nonnihil cantharidum habebat admistum; quæ cantharides quantam ad urendum, exulcerandum, atque etiam enecandum, vim habeant, nemo est plane qui nesciat. At ille nondum vim earum fuerat expertus. Redit igitur alacris, ac mulierem quandam in sua vicinia, quæ corpore corpus alebat, domum suam invitat, ut ea secum nocte concumberet. Illa conditionem accipit, ac se venturam constituit. Adest nox, venit mulier, cœnant. Sed, antequam se lecto commendent, Est mihi, inquit ille, potio, quæ, epota, vires augeat atque confirmet. Mulier, quæ non minus præceps in scelus ferretur, quam ille, Da mihi, inquit, hanc potionem; volo enim, gigantis non minus vires habere. Ille statim amphoram aquæ profert, ac dimidium ejus præbet mulieri, reliquum ipse totum exhaurit. Tum eunt cubi-

bitum; ac tantam denique vim incendii intus in visceribus æstuare sentiunt, ut, cum ferre non possent, primo mane, se e lecto in terram ejecerint, ac singula singuli ahena corripuerint, gelida aqua impleverint, in eamque nates demiserint. Sed, tanquam si non in aqua frigida sedentes, ab æstu relevarentur, sed in Phalaridis tauro inclusi essent, plorabant, clamabant, se uri, inflammari, incendi. Accersitur medicus; adest. Qui, ubi eos videt, ita demersos in aqua, cachinnos extulit; rogat, quid sit. Cumque de potione illa, quam ebiberant, audisset, multo est majores in risus effusus. Sed tandem, quo miseris auxilio esset, jussit refrigerantia quædam, clysteris ope, in viscera utrisque infundi. Hic igitur, quem deformavi, habebat nescio quid negocii in oppidulo, ab eo, ubi ipse habitabat, quatridui fere via sejuncto. Commode ergo, atque ex itineris ratione, viaticatus, equum conscendit, viæque se tradit. Noctu, venit in quoddam castrum & ad cauponem divertit. Erat ejus castri dominus, Comes quidam sævus, acer, iracundus, impotens animi; qui primum, caverat edicto, tum, sigillatim cauponibus præceperat, ne quemquam tecto reciperent, prius quam coram sibi stitissent. Caupo, qui existimaret hominem hunc liberalem, & quia de via fessum aspiceret, noluit, ea insuper molestia afficere, ut ad dominum mitteret; sed plena ac pingui cœna refectum, statim in lecto collocavit. Tum ipse Dominum adiit, atque, apud se hospitem esse, narravit. At ille, stomacho & iracundia, supra quam dici potest, elatus, Itane, inquit, imperio meo præsto es, furcifer? Et, qua erat animi impotentia, nihil propius est factum, quam, ut illi misere fustem in tergore frangeret, aut pugnis in ore sementem efficeret. Et, Nisi mihi, inquit, exhibeas tuum istum hospitem, tam delicatum, tam nobilem, excludito mihi oculum, si non mactabo te atque illum infortunio. Caupo, domum reversus, hospitem, altiori somno oppressum, atque stertentem, offendit, impellit, excitat, atque, Tibi dominus adeundus est, ait; ille, somni plenus, Ne mihi molestus sis, inquit; sine, dormiam. Ac redormire protinus cœpit. Caupo instat, urget, impellit; excitatum admonet, ut surgat. Tan-

dem ille ægre a somno distractus, sarcinas suas poscit, & cauponi atque domino mala multa ingerens, ad Comitem venit. Qui Comes, tristi ac severa fronte, Cur, inquit, o hospes, ex edicto meo, simul ut pedem in oppidum intro tulisti, non recte ad me ibas? Quia, respondit, non putavi, mei similes ea lege posse constringi. At nesciebat, quem ipse crabronem irritaret. Nam, hoc responso, vehementer Comes offensus, Scis, inquit, quanti te ac tui similes facio? quanti eam, quæ mihi latrinam lavat: ac nisi te ex hoc oppido, avibus atque auris ocius, ejeceris, faciam, ut hujus diei locique, meique, tibi immortalis ac sempiterna fit meminisse memoria. Ille, qui Comiti repugnare non auderet, nescio quid secum mussitans, abiit, atque extra oppidum, ut potuit, sub quadam quercu, nocte illa quievit. Postridie mane, cum profectionem ornaret, ecce tibi duo, qui Comitem ajunt opere eum maximo evocare; velle enim se eidem satisfacere de eo, quod proxima superiore nocte nimis in eum acriter violenterque dixisset. Ille negare venire, nec Comitem flocci facere. Sed tandem, multis precibus exoratus, se est passus adduci. Quem ut hospes aspexit, in ejus collum irruens, excusavit, quod iracundia summa esset; ac, se nolle, ait, dictum, quod dixisset. Eadem opera jentaculum jussit afferri; quo ille mirabiliter recreatus, multis magnisque Comiti gratiis actis, repente evolavit e conspectu Comitis, cauponis, & castri; neque quisquam, ob cœnam, vel hospitium, plus illi molestus fuit, quam si nunquam illuc venisset. Verum, metuens, quod vix poterat credere, ut immunis abiret, retorquebat sæpe oculos ad illud oppidulum, &, quidquid obstreperet, vocem cauponum, se revocantium, esse credebat. Sed, quemadmodum, malis initiis orta, deteriores fere semper exitus solent habere: ita etiam, bene cœptis, prospere feliciterque cuncta succedunt. Neque, uti temere fortuna incipit bene vel male mortalibus facere, ita temere definit, sed ludum utrumque pertinaciter ludit. Itaque fortunatus iste non habebit necesse, sumtus faciendi gratia, marsupium exenterare: sed gratis altera sibi advenienti cœna præbebitur, nam vespere aliud oppidum ingressus, more suo in

in hospitium ad cauponem divertit, cœnat, decumbit. Postridie mane, surgit, cauponem vocat, rogat, ut rationem conficiat, quidque sibi pro cœna, quam comederat, debeatur, enunciet; seque ad profectionem comparat. Sed interea dum caupo adest, dum ratio initur, dum equus ornatur, compotatores quidam, qui probe madulsam habebant, inter se de nugis rixari cœperunt; res a verbis ad pugnam & ad manus venit. Caupo, exanimatus, rationes conficere, quas inire cœperat, desinit; nullum de cœna verbum amplius facit; sed, hospitis genibus advolutus, orat eum, obsecrat, ut se in illorum controversias interponat, pugnam dirimat, sibique subveniat: nam, Si quæ cædes, inquit, hic fiat, numquidnam dubitas, quin perpetuo perierim? edicta sunt acerba, prætor severus, ego semper infelix. Quibus ille precibus motus, ibat, ut cauponi operam daret. Sed repentinus lictorum concursus duas res fecit illi compendii; nempe diremptionem pugnæ, inter ebrios commissæ, & solutionem cœnæ, quam obligurierat. Nam, cum mallet sibi cavere, quam cauponi, atque id ipsum metuens, quod ille, videlicet, ne raperetur in carcerem; equum conscendens, se, quantum potuit, ex oppido illo proripuit. Conquisitus est postea in omnibus popinis, non tam propter cœnam, quam ob testimonium, quod ipsi Prætor, de ea pugna, denunciaverat. Sed ille jam fecerat, quod servus malus; nempe in pedes se dederat. Jurarem, bonam fortunam iter una cum eo fecisse: nam tot illi commoda evenerunt, quot ne optare quidem sibi quisquam, nedum sperare, sine illa, ausus esset. Quid autem illi in caupona contigerit, in quam, ea quæ consecuta nox est, divertit, accipite, ac, bonam fortunam cum illo fuisse, negate. Aberat hæc caupona ab oppido, quod petebat, millibus passuum circiter octo; in quam manipulus quidam furum, quidquid, ex proximis villis, ovorum, gallinarum, caponum, vini, succidiarum, diripiebat, omne congerebat; ex quo facile fuit cauponi, eam homini, gutturi dedito, cœnam apponere, quæ maxime in illius ventris rem esset; adeo ut deliberaret, utrum aliquot ibi dies commoraretur, an statim discederet. Etenim, ita lepide ac nitide se

se fuisse acceptum, videbat, ut nunquam sibi melius in vita fuisse fateretur. Sed, dum maxime in senatu cogitationum suarum sententias exquirit, de improviso nova res accidit, quæ senatum dimittere, sibique ipsum metuere, atque inde sese surripere cogeret, ubi comitia de capite suo fore non dubitabat; nimirum militum non paucorum adventus. Hi erant latrunculi illi quos diximus, qui se domum ex præda receperant, & undique cauponam armati obsederant. Si cor illi in pectore cœperit artem facere ludicram, quid me attinet dicere? in cogitatione vestra relinquo: nam multo erit vobis major ad intelligendum, quam mihi ad enarrandum, facultas. Tum unus, qui, ex habitu, videbatur habere imperium in ceteros, Numquidnam, inquit, rei tibi cum istis est? qui, Nihil, respondit. Cur igitur emissitios istos oculos hac illac circumferebas? Quia nimis, ait, pulcris armis præditos eos aspiciebam. At scin', (excepit ille) quomodo se tibi res habeat? nisi te hinc properas ocius amovere, arbori alligatus, signi loco, istorum sclopis, in quem colliment, exstes. At, Quo vis, ille, abeam, ait, si apud cauponem hunc habito? In malam rem, inquit lictorum explorator & emissarius. Eademque opera, duobus validissimis latronibus imperat, ut illinc abstractum, quo maxime ille velit, abripiant. Qui non procul ab eo oppido eum statuunt, cujus illud iter gratia susceperat. Ferebat ille quidem moleste, se nimis celeriter fuisse ab ea sagina depulsum: sed longe impensius gaudebat, suam sibi crumenam adhuc salvam cum intestinis omnibus esse. Sed non poterat illi male esse, cui sese comitem fortuna adjunxerat. Tuebatur se, eo oppido, notissimi hominis interfector, incredibili diligentia ac vigilantia: nam, ubi quisquam in oppidum venerat, continuo hominem conveniebat, in ejus se amicitiam insinuabat, magnoque artificio exsculpebat ex eo, quis esset, cujas, quo iret, quamobrem illuc venisset, an futurus esset ibi diutius? denique, ab hoc aditu patefacto, ad intima ejus cordis consilia penetrabat. Is videt hunc peregrinum, robustum hominem, ac gladiatoria propemodum corporis firmitate, sclopo & machæra probe munitum, & statim, suspicione offensus

sus insidias sibi ab illo parari putavit. Quamobrem, consilio cogitationum suarum advocato, non varie, sed cunctis sententiis, decernitur, nisi ad cavendum paratus esset, suo capiti infortunii balistam intendi. Quamnam igitur rationem, ut ab ipso caveret, inivit? cum aliquandiu hæsisset, homo acutus excogitat, domum suam hominem invitare, & tantisper, dum ille ibi negociaretur, asservare apud se, vinctum catenis atque compedibus: sed quibusnam? num ligneis? minime. Num ferreis? multo minus. At quibus? escariis, hoc est, apud mensam plenam, cum esca atque potione vinctum habere. Itaque non dimittit tempus, sed simulata amicitia, hominem occupat prior: salutat, advenisse gaudet, domum suam invitat. Non fuit diu luctandum cum eo, ut oblatam sibi occasionem arriperet: nam statim manus dedit, ac se victum esse confessus est. neque minori cum alacritate, nova ac certa spe cibi, tanquam funiculo aliquo capistratus, præeuntem illum sectabatur, quam bos vel equus dominum, cum plenum ad præsepe, ut ibi eum vinciat, adducit. Omnino, quoad ille apud mensam meticulosi illius rostro deligatus est, hæc fuit ratio illi vivendi. Interdiu, suo operam dabat negocio, noctu ostensum ad præsepe se recipiebat: & quamvis se observari sentiret (neque enim erat tam stultus, ut, apud animum illius, metum pugnare, non intelligeret,) nimis tamen pulcros ludos, ex tam inepta hominis calliditate sumebat. Unum displicebat, quod opinione celerius sua ad exitum negocia festinassent: voluisset enim hominem diutius exedere. Quamobrem hospitem adiit, narrat, rebus suis, quarum gratia in oppidum illud venerat, a se rite confectis, nihil jam esse reliquum, nisi ut domum rediret ad suos: gratias agit, quod se tam liberaliter ex suis cibariis tractasset: operam illi suam pollicetur ac defert. Illico nova homini suspicio incessit, propterea hunc a se abire, ut aliquo occultatus, se ex improviso, ac de insidiis, aggrederetur atque opprimeret. Ac secum, Mox, ait, experiar, utrum vere hic abeat, an simulet se abire, & in eum intuens, Num te fugit, inquit, itinera omnia esse infesta latronibus? ea igitur te lege dimittam, si du-

duos tecum, quos comites itineris dabo, venire sustineas; qui commeatum etiam omnem large præberi curabunt. Tum enimvero ridere secum ipsemet cœpit; ac, Scilicet id unum, inquit, deerat felicitati meæ, ut reditus profectioni similis inveniretur. Sed videlicet ignorabat, bonam fortunam, qua illuc comitatus advenerat, re bene gesta, reversionem, cum ipso parare. Itaque, ne verbum quidem addendum putavit; verum, laudata hospitis in se benevolentia, Facerem tibi, inquit, injuriam, si tantum, a te mihi ultro oblatum, beneficium repudiarem, suspectis præsertim itineribus. Quamobrem, ut præceptum erat, reductus est domum; atque eadem opera ipse solutus est sumtu, hospes suspicione.

LXX. BALDUINUS TONSOR.

PRædicta narratiuncula ad se aliam attraxit, in eadem Academia habitam, qua, vafra nebulonis cujusdam ratio, ut se litium molestia liberaret, exponitur.

Magnam nonnullos sapientiam, simulatione stultitiæ, texisse, proditum memoriæ ac literis est; idque propterea, ut commodum inde aliquod aucuparentur, vel paratum sibi infortunium, a capitis sui peste, depellerent. Quis nesciat, (ut de ceteris taceam) Ulyssem, ac L. Brutum, multum, temporibus suis, sapientia præstitisse? Et tamen eorum alter, liberali uxoris suæ consuetudine devinctus, ne sua cum aliis Græciæ Principibus, Trojam abeuntibus, arma conjungeret, causam non eundi, ex insaniæ simulatione, quæsivit; alter vero, quo patriam dominatu regio liberaret, seque vitamque suam Tarquinii odio sævitiæque surriperet, eam, quæ in ipso erat, sapientiam atque virtutem, stultitiæ integumentis obduxit. Similis fuit ratio, non multis abhinc annis, Balduini cujusdam tonsoris. Nam, quo se litium quarundam molestiis eriperet, ad simulationem stultitiæ, se ipse dolis effinxit. At facio injuriam Ulyssi ac L. Bruto, clarissimis viris, cum de Balduino tonsore subjicio; sed malo, eos mihi habere iratos, quam, tam doctum hominis plebeji dolum oblivioni non vindicare. Neque illum iratum vereor, si rescierit; immo maximas mihi gra-

gratias habeat, ac magno se honore affectum existimet, quod, cum duobus, omnis fere memoriæ clarissimis viris, comparetur. Ac propter eos, qui illum non noverunt; hic est, ventriosus quidam, obesus, capito, qui tonstrinam Romæ satis celebrem habet, & sane, homo est voluptarius, iracundus, cerebrosus, magnæ escæ, sed longe majoris vini; omnes, quotquot sunt Romæ cauponias, & cauponum nomina, memoriter nominat; tum, quidquid in unaquaque cella vinaria est vini, seu albi seu atri, seu lenis seu asperi, novit: quas alii emunt curas ac negocia, ille odit, atque abhorret: sed in primis, est fugitans litium: vineam, extra portam Collinam, possidet, quæ agri fertilitate, regionis amœnitate, cœli salubritatę, cum nulli aliarum villarum cedat, fit, ut de ea veterator quidam, qui oculos ad eam adjecerat, litem intendat, & hominem quietissimum quam tumultuosissime adoriatur. Homo callidus cœpit excogitare, quemadmodum eam a se molestiam amoveret, & in alium transferret. Ac statim venit ipsi in mentem alter tonsor, Ulyssi nomine, qui Ghitam, sororem suam, habet in matrimonio: hic sibi videtur incus idonea, supra quam suas fallacias cudat. Ergo, sub initium Quadragesimæ, cœpit repente, abrepto gladio, insectari omnes domi, aliena loqui, clamare. Hic omnes accurrere, retinere, mirari, derepente eum esse a mente depulsum, qui paulo ante valuisset. Accersitur Ulysses; advolat. Ubi Ulysseu videt, tanto magis simulat insanire. Itaque os sibi distorquere, spumas agere, tectum ascendere, quasi præcipitare se vellet, &, tanquam imaginibus falleretur, dicere, Corripite direptores meæ vineæ, retinete, discerpite, interficite latrones; ubinam est Ulysses meus, qui mihi opem ferat? Tum ille, En adsum, inquit. Atque eum existimans, ob litium terrorem, in eam ægritudinem fuisse delapsum, objurgare leviter cœpit, ac polliceri, ad ejus defensionem, operam suam. Balduinus, quasi tum primum Ulyssem aspiceret, O mi Ulysses, inquit, tune hic eras? mihi igitur auxiliare, audaciæ istorum occurre; tuum negocium agis, cum mihi operam præstas; siquidem isthæc ad te vinea, una cum ceteris bonis, morte mea redibit, ut ego perierim,

vi-

vides; vix bidui vel tridui mihi reliquum est vitæ. Ulysses, plura eum loqui, non est passus; sed, in lecto collocatum, remotis arbitris, oravit, ut paululum quietis acciperet. Nemo invitus audit, cum spes hæreditatis sibi proponitur. Quamobrem Ulysses, ab hoc vento abreptus, ridicule ab eodem, est passus, se hac illac impelli; & id secum habere rationis cœpit: Miser hic, quantum video, prorsus interiit; nam, ut deliramenta ejus audio, quidquid hellebori mittunt Anticyræ, huic ægro mentem, quæ aufugit, revocare non potest; nullus est illi filius, quem patri, si intestatus sit mortuus, esse heredem oporteat; ad sororem igitur suam, uxorem meam, lege, bona ejus omnia pervenient; nonne magis ipso insaniam, si tam bonam vineam non omnibus copiis defendam? Quamobrem, omissis ceteris curis, cœpit id unum agere, ipse advocatos adducere, circum patronos cursare, judices adire, docere, ad diem, atque adeo ad horam præsto esse, cum adversario concertare, operæ atque labori non parcere. Quid verbis opus est? tanquam si Balduinus diem suum obiisset, ipseque in possessionem vineæ venisset, pro herede se gerere; de pastinando, serendo, ædificando cogitare; vineam inter filios partiri, sic dicens; Ea pars, quam salices directo ordine definiunt, in qua est puteus, Septimillæ meæ, doti dicetur; ea autem, quæ ad viam publicam pertinet, quæque arundinetum habet adjunctum, Momo, filio itidem meo, assignabitur; ita tamen, ut Momus, per sororis fundum, haustum habeat, soror ex fratris arundineto pedamenta sumat, ad vineam. Sed, ut ad Balduinum revertar, cum ea simulatio insaniæ feliciter sub manus succederet, unus adhuc scrupulus residebat, quemadmodum de tonstrina se gereret; etenim, negocium illud deseri, unde tantos quæstus fecisset, unde se & familiam aleret, e re sua non esse; nimis enim magno cum damno desipuisset, ac jure mittendus fuisset Anticyras, si dissolutus, in re tanta, fuisset. Quare, simulata paulum mente, sic Ulyssem mœstus alloquitur, Mi Ulysses, quo loco meæ res sint, vides, & sane, cælum ruere, & naturam interire, mea quidem nihil refert; sed, meus in te amor, me, quamvis oblitum mei, tui tu-

tuorumque immemorem esse non patitur: quantum detrimenti, ex hac mea invaletudine, tonstrina factura sit, non te fugit; quocirca, e re tua esse arbitror, ut ea probo cuiquam viro & fideli, quam optima conditione possit, locetur. Ulysses, id se curaturum esse, respondit, simulque daturum operam, ut pecunia suas in manus veniret. Neque dicto fides absfuit: nam paulo post Ballioni cuidam locata est. Balduinus, hac cura liberatus, ociosus ab animo, insaniæ operam dabat. Ac primo illo insaniæ simulatæ tempore, cœperat se violentius agere, alios adoriri, velle sibi manus afferre, se præcipitem agere, eaque fingere, quæ furentium sunt maxime: sed postea consilium displicuit, has secum rationes deputanti, Si perpetuo uti hoc impetu velim, primum, ad languorem defatigabor; tum, metuo, ne mea, de medicorum sententia, audacia, tenebris, vinculis, verberibusque coërceatur; quare nihil est a rationibus meis alienius, qui nihil nisi ocium quæro, atque ansam, qua cuculum istum eludam, quem tam avide bonis meis inhiantem aspicio. Quamobrem decrevit, tantum intra verba desipere, atque aliquid etiam leviter manu peccare, ut, patinas in terram abjicere, vel, visa muliere pulcra, in ejus amplexus irruere, atque alia his similia conari. Initio simulatæ ægritudinis, virginis cujusdam operas conduxerat, quæ, ne æger umbris & imaginibus vanis perterreretur, neve, ex insania, manu aliquid violenter faceret, una semper cum illo erat, cœnabat, propter dormiebat. At improbus, ubi videt hanc forma non mala, primo suis eam nugis aggreditur; illa timere, seque e conspectu proripere, tum leviter repugnare, postremo deditionem facere. Sed quia Balduinus erat legitimæ prolis, supra quam dici potest, cupidus, antea quam quidnam sibi cum ea esset, clam eam secum matrimonio junxit, postea gravidam fecit. Ulysses, inscius harum rerum ignarusque omnium, quo arctius affinis sibi animum officiis beneficiisque constringeret, primo mane surgere, fora omnia circumire, aves, pisces, coëmere, Balduino apponere. Ille, esse, patinas detergere, Ulyssem obsonatorem optimum esse, dicere. Sed fiebat interdum, ut non semper Ulysses in tot nummis esset, quot sunt ad

emendos turdos, ficedulas, & capones, satis; unde cogebatur, eidem vervecinam, vel bubulam carnem, apponere, ac pro Græco, Romanum vinum inferre. Cum id contingeret, tum enimvero illum furere & insanire dixisses; clamare, Ulyssem suum hostem dicere; vicinos, populares, ut sibi subvenirent, orare. Ulysses, qui jam spe & cogitatione sua vineam illam devorasset, verens ne, si affinis suus esuriret, tantus sibi bolus eriperetur e faucibus, ad proximam cauponiam accurrere, aves coctas, & exotica vina, mercari, æs alienum conflare, sumtui finem non facere. Ille quiescere, Ulyssem virum bonum esse dicere, eumque exedere. Jam, apud judices, agitata lis erat, qui, tum jure, tum Balduini misericordia adducti, secundum illum sententiam dixerant. Restabat, ut Balduinus, ex suo dicto promissoque, diem obiret extremum, cum ancillæ venter, qui celari non poterat, jam pulere plenus, Ulyssi venit ad oculos. Qui admirans, Hem, Balduine, inquit, numne solent insani ita inhoneste virgines ludere? cui Balduinus, Sic agitur, ait; quid ad te ea res pertinet? mea est uxor; parocho ac testibus præsentibus eam duxi; atque hoc quidem haud pro insano feci. Ulysses, re inopinata percussus, ac de spe omni dejectus, obmutuit, nec potuit proloqui unum verbum, vel ineptum saltem. At Balduinus, Quid est, ait, quod conturbatum te video? numne animum ad mulierem, quemadmodum ad hereditatem meam, adjeceras? Hic Ulysses dolorem suum amplius dissimulare non potuit; atque, Itane, pessime, inquit, me ludos fecisti? itane tibi idoneus visus sum, quem dolis falleres? ideone mortem exoptabas, ut non modo viveres, sed etiam improbiorem aliquem, nequioremque te, gigneres? lurco, nebulo, veterator, impurus: utinam fuissent tibi cœnæ Thyestæ & Terei, turdi atque aves illæ, quæ mea pecunia comparatæ tibi advolarunt in ventrem: ut illud posthac edas quod te perdat, illud bibas quod nunquam transeat. Cui Balduinus, Hominem, ait, impurum & execrabilem vide; qui non solum morti & fortunis meis inhiat, quasi lupus esuriens, sed ultro contumeliis oneratum me advenit: abi sis hinc, in ganeum, quantum potest; nam, si pergis molestus

esse,

esse, vel si huc intro posthac pedem tuleris, tibi pugnis os exossabo. Neque quidquam propius est factum, quam, itidem ut murena, manibus coci, ossibus exuitur, Ulysses os, pugnis comminutum, a Balduino referret. Sed ille, ne ad damnum, dedecus etiam accederet, iram continuit, seque inde proripuit, frustra querens, a Balduino se fuisse deceptum. Dixi antea, si recte meministis, Balduinum, quo cautius insanire posset, tonstrinam Ballioni locasse: hic restabat ejiciendus. Et primo, humaniter hominem Balduinus appellat, oratque, ut aliam sibi tonstrinam inveniat. Cui Ballio, Quid ais? inquit; an ignoras, eam mihi fuisse locatam? in medio sunt tabulæ locationis; aspice. Næ, tu homo es ridiculus, respondit Balduinus, qui istas speres tabulas præsidio tibi futuras; an nescis, quidquid in insania gestum est, solere a prætore restitui. At ego probabo, inquit ille, tibi lucida fuisse intervalla, cum locabas. At ego, respondit Balduinus, tum te præsertim insaniam percepisse ostendam, cum me tonstrina ejiciebas. Quid igitur agam? ait ille. Ego dicam, excepit Balduinus, abi & suspende te. Tum iratus Ballio, Sycophanta, inquit. At tu, clamat Balduinus, vel comprime linguam istam, vel si pergis male loqui, novacula hac, quam in manibus habeo, venas tibi præcido. Voluit deinde Ballio experiri, judicioque rem persequi; sed omnem operam perdidit. Nam judices, subveniendum esse insaniæ, censuerunt. Ipse autem alio abire est coactus. Quare Balduinus vineam, uxorem, & tonstrinam, sine controversia possedit.





PINACOTHECA
TERTIA.

REVERENDISSIMO PATRI,

D. ANDREÆ FOSSÆ, CANONICO REG. LATERANENSI ET ABBATI.

Bene atque præclare, Andrea sapientissime, de Repub. mereri mihi videntur, qui egregia hominum ingenia, quæ sua ætate floruerunt, quorumque memoriam, sicut alia omnia, vetustas obrueret, omnium seculorum posteritati commendare, atque ab oblivione vindicare nituntur; ut eorum imagines ingenii, in suis libris, tanquam in aliqua tabula, docta atque diserta oratione, quasi coloribus picta, pene oculis subjiciantur. Nam quid est tam utile, atque adeo necessarium, quam eos, qui nullo rerum usu nullaque experientia imbuti, hujus curriculum vitæ ingrediuntur, in quo tam multi turpiter labuntur ac corruunt, posse, tanquam in speculum, in eorum vitas, qui illud ante ipsos confecerunt, inspicere, atque ex iis sumere exemplum sibi? videlicet, ut, quod illis iter ad laudem aperuit, in eo omnes nervos ætatis industriæque suæ contendant; quod autem eisdem datum est vitio, omni ope studioque defugiant. Atque hic mortuorum memoriæ propagandæ labor multo magis est suscipiendus ob eos, qui, dum mortalem hanc vitam incolerent, quum sapientia atque doctrina ceteris anteirent, sive inertia, quod scribendi laborem effugerent, sive animi demissione atque modestia, quod memoriam in posterum ingenii sui nullam desiderarent, nihil omnino scripserunt, vel, cum ad scribendum se contulissent ea, quæ ab ipsis essent inventa & excogita-

tata divinitus, post ipsorum mortem, cognatorum vel negligentia, aliquo in angulo, pulvere situque marcescerent, aut muribus blattisque cibum praeberent, vel eorundem avaritia, ea quibus nullum satis dignum constitui precium potest, exigua mercede ad cetarios pomariosque advolarent. Sed ex iis, qui, quum divinitate quadam ingenii praestarent, atque eximiae cujusdam facultatis auctores existerent, nullum tamen a se librum, unde, quantum doctrina abundarent, colligi posset, passi sunt egredi, unus fuit Socrates. Hic enim, eruditorum quidem testimonio, & judicio Graeciae, cum prudentia & acumine & venustate, tum vero eloquentia, varietate & copia, eorum, qui ante ipsum docuerant, habitus est facile princeps; & nullam tamen literam ipse reliquit. Quamobrem, quantum aequum est nos debere Xenophonti, ac Platoni in primis, qui nisi Socratis ingenium, variosque sermones, suis scriptis immortalitati mandassent, illum vetustas, ut alios fortasse multos, oblivione obruisset; &, quod magis dolendum esset, ea nos Philosophia carere contingeret, in qua de bonis rebus & malis, deque hominum vita ac moribus disputatur. Etenim ab eo Philosophia, quae antea in naturae obscuritate, & in caelestium rerum contemplatione peregrinabatur, e caelo deducta esse dicitur, & in hominum coetus societatemque traducta. Quem ego morem sequutus; id quod etiam alii ante me fecerunt, duobus jam voluminibus, eorum, qui me superstite occiderunt, ingeniorum imagines sum conatus exprimere; horum praesertim, qui ex scriptis ipsi suis, quales fuerint, cognosci non possunt: nunc autem superioribus duobus tertium addo, conflatum ex iis, vel qui post eos, quos recensui, mortem

tem obierunt, vel qui tum, cum scriberem, e memoria fugerant. Neque fuit mihi diutius in ea deliberatione cunctandum, quisnam potissimum esset deligendus, in cujus nomine hoc postremum opus exiret. Nam ea jampridem meum animum cogitatio subit, ut aliquid inveniam, quo, si non pari tuis meritis, grato tamen munere, significem, quantum me tibi debere profitear. Etenim, tua sponte nec alicujus persuasione vel gratia impulsus, mea omnia, quæ adhuc sunt typis impressa, legisti, miris in cœlum laudibus extulisti, tum antea me pene, quam aspiceres, singulari amplexus es benevolentia, incredibili conjungendæ mecum amicitiæ cupiditate flagrasti; deinde, cum summum in tua clarissima religiosa familia magistratum gereres, ultro, non semel sed bis, salutandi mei gratia, domum ad me venisti, ibique, efficacissimis verbis, quæ non simulati cujusquam officii ratio vix vi exprimeret, sed quæ intimus cordis effectus expromeret, te tuaque omnia mihi detulisti; præterea, domi tuæ, ample magnificeque convivium exornasti, large munera contribuisti; denique, cum Ravennam Roma ad comitia Abbatis generalis profectus esses, simul ac patriam attigisti, elegantibus sane literis, plenissimis amoris, humanitatis & officii, prior me salvere jussisti. Quamobrem gaudeo, mihi, ad te remunerandum, id esse oblatum, quod tibi gratum fore non dubito, quum te liberalium horum studiorum, quibus nos a pueris operam dedimus, te in primis cupidum præbeas; quod non potest sine summa excelsi & elegantis animi magnitudine amœnitateque contingere. Sed ego stul-

tus, qui, dum veteris obligationis nexu me conor exsolvere, novis atque arctioribus beneficii alterius vinculis me tibi constringi non sentio. Nam dando, multo a te plus accipio, quam est id, quod emetior. Ego tibi munus, ex sua exiguitate ac tenuitate parvum ac leve exhibeo; tu, illud accipiendo, auctoritate, qua praestas, aliquid eidem magnitudinis ac ponderis acquiris. Ego tibi opus, nulla fere, ex sua vi, luce clarum atque conspicuum, trado: tu mihi illud, tui nominis, cui dicatur, claritate perfusum illuminatumque, restituis. Etenim tam magnus in te meritorum numerus confluit, ut iis non solum ipse niteas, sed nitorem etiam lumenque tuum refundas in eos, qui tuo se decorari nomine, postulent. Primum, nobilitas generis, quae multos jam annos viget in vestra familia: siquidem anno cIↃ CCC XXXIV Jacobus Fossa, I.C. ut temporibus illis eximius, electus est judex unus ex omnibus, qui ortas, inter Genuenses ac Savonenses, lites controversiasque dirimeret, & aequo jure componeret; & Marcus Fossa, una cum aliquot aliis, oratoris functus est munere, missi ad Carolum V, quo tempore in Liguriam venit; ut Imperatorem illum, tot victoriis clarum, omni officiorum genere prosequeretur, Reip. nomine, quoad ille per Liguriam faceret iter. Et, quoniam mos est vestrae nationis, propter angustos ejus agri fines, ut civium suorum opera in mercatura vortatur, nemo ex Fossiorum familia in aliqua sordida, vel illiberali arte versatus invenitur, ut ex ea quaestum faceret; in quo genere numerantur opifices omnes, iique qui mercantur a mercatoribus, quod statim ipsi divendant: verum, quicunque animum

ad

ad mercaturæ studium adjunxit, non ea usus est vili nec tenui, sed nobili, magna, atque copiosa; ut videlicet holosericas vestes, in Germaniam, Galliam, Hispaniam, & ad Indos usque, comportaret, & ab illis multa referret, quorum magna est in iis regionibus, nulla autem ferme in nostris, annona. Quamquam te hoc genere laudum minime delectari comperio, quas non nobis ipsi peperimus, sed vel natura vel majoribus nostris acceptas referimus, sed totum abjicere, ac pro nihilo ducere. Ii magnifice, fumosarum imaginum fiducia subnixi, se inferant, in quibus, præter formam & genus, nihil unquam sapiens laudavit. Alia sunt in te, tua propria, quæ veram in se laudem continent; quod videlicet ingentis spem lucri, quæ ex mercatura se objiciebat, generosa quadam contumacia, a magnitudine animi ducta, contemseris. Itaque non navem parasti qua merces vectares undique, vel in Hispaniam potius aveheres, quo te parentes destinaverant; sed incredibili sapientiæ amore ac perfectæ probitatis studio inflammatus, cum vix a pueris excessisses (decimum enim quintum annum attigeras) Mediolani dedisti nomen in laudatissimam Lateranensium regularium Canonicorum familiam, ut ibi, rerum omnium humanarum curis expeditus, otiosus ab animo, utrique rei operam dares, & literarum studiis &, quod tibi magis erat cordi, vitæ morumque sanctitati. Transacto tyrocinio, studiorum gratia profectus es Patavium, quæ urbs semper est habita scientiarum omnium domicilium; ibique, ea animi alacritate & contentione, bonarum artium, Philosophiæ, Theologiæ, ac sacrorum in primis Canonum cursum es ingres-

gressus; labore, assiduitate, diligentia ut æqualium tuorum, qui in eodem curriculo versarentur, studia præcurreres. Itaque, emenso earum disciplinarum spacio, cum eam jam tibi vim doctrinæ comparasses; ut ceteris præesse posses, qui vellent earundem disciplinarum cursum ac spacium inire, doctoris in illis atque magistri potestatem, omnium concessit, obtinuisti. Verum, tua illa egregia ad eloquentiam indoles, ad quam omnia a natura studioque adjumenta habebas, templa, suggesta conciones que spectabat. Jam omnes illustriores Italiæ civitates, tui theatrum ingenii fieri poscebant: omnia sunt enim in te, quæ solent perfecti oratoris speciem exprimere; forma dignitas, quæ maximam, ad voluntates omnium sibi conciliandas, vim habet, latera, vires, eaque alia, quæ nemo sibi potest, nisi a natura tradantur, affingere; actio singularis, quæ si præsertim in vocem gestumque dividenda sit, vox est plena, canora, suavis, distincta, quæ nec literas exprimat putidius, neque obscuret negligentius; gestus, qui nihil habeat ineptiarum, nec verba exprimat, sed cum verbis sententiisque conveniat. Illa vero tua vis dicendi sublimis atque magnifica, ut est copiosa, gravis ac vehemens! ut sensus ac dolores habet! ut in animos hominum influit eosque, quamcunque in partem causa postulet, agit, flectit, permovet, atque compellit, sive sit opus ad spem, sive ad timorem, sive ad odium peccatorum ac virtutis amorem, sive ad rerum humanarum omnium contemtum! orationis vero genus, quam purum, enucleatum, splendidum! ita tamen, ut naturalis, non fucatus, in eo nitor eluceat; quam exsculptum, comtum, ornatum! ita tamen,

ut

ut rerum gravitate, & majestate verborum refertum, non autem inanibus puerilium sententiarum flosculis conspersum, totum appareat; ut quandam nobilis cujuspiam matronæ venerandam quasi castimoniam præferat, non autem illecebrosas meritricis blandicias objiciat; quemadmodum faciunt oratores ii, qui nihil ad animorum utilitatem, ad voluptatem tamen aurium omnia, referunt. Tua igitur hæc vox, tam docta, tam gravis, tam elegans, tam eruditis auribus digna, totos triginta ferme annos, audita est, in illustrioribus, ut diximus, Italiæ civitatibus, tanquam cælum (hoc enim nomine sanctus Spiritus, in sacris literis, concionatores appellat,) tonare, fulgurare, atque improbos sceleratosque tangere, ferire, atque pervertere. Et quod rem continet, non tam oratione, id quod faciunt ii, qui ab eo, quod verbis docent, moribus discrepant, quam exemplo, es assecutus, ut improbos percelleres, & ad frugem, ut dicitur, revocares. Sed, num quid is, qui tantam semper utilitatem omnibus attulit, nulli, Congregationi suæ, usui fuit? immo Reipub. regendæ scientissimus tu in tua, ubi tanquam jubar quoddam lucidissimum nites, per omnes bonorum gradus ad summum in ea dignitatis culmen ascendisti. Etenim Prioris, Abbatis, Concionatoris privilegiarii, Procuratoris in Romana aula primarii, Visitatoris, Definitoris, denique Abbatis Generalis functus es munere. Quin etiam, quo tempore aula tuam, in negotiis tuæ Congregationis, Procuratoris Generalis nomine expediendis conficiendisque, fidem, diligentiam, assiduitatemque intuebatur laudabatque, S. P. Q. R. tuarum virtutum fama compulsus, non solum honorificentissimo diploma-

ma-

mate Romana te civitate nobilitateque donavit, verum etiam in senatum cooptavit, ac beneficiis officiisque omnibus cumulavit, quibus illi ornari solent, quorum maxima atque amplissima extant in universam Rempub. merita. Neque id quod tibi a summis tuis occupationibus reliquum erat temporis, voluisti (quod facere tuo jure poteras) quieti & cessationi concedere; neque aves imitatus es, quæ, ab operis labore defessæ, libere hac illàc volitare cernuntur; sed placuit etiam tibi, aliquam omnibus ocii tui rationem constare. Itaque duo magna & egregia volumina confecisti, quorum uni titulus est, Pentachordum Caritatis, alteri Amussis viri probi, ad librum Tobiæ. Quæ quidem opera, ne adhuc, typis impressa, in eruditorum manus pervenerint, duo fuerunt in mora: primum, modestia tua, qua, licet virtutum omnium ornamentis instructus, verecundaris in publicum prodire; tum, acerrimum illud judicium, quo præstas; ad cujus exactam rationem si placeat omnia dirigere, nihil tibi possit satisfacere. Sed erit illud tempus, cùm, tuum ad arbitrium absoluta atque perfecta, nihil hominum conspectum lucemque refugient, sed suæ omnibus suavitatis, elegantiæ, doctrinæque, quantùm quisque velit, impertient. Quæ cum ita sint, patere, a tui nominis, tantis meritis, tanquam luminibus, clari fulgore, meum istud opus, ex se obscurum, lucis aliquid mutuare. Hoc mihi gratius facere nihil posses.

IANI NICII ERYTHRÆI

PINACOTHECA TERTIA.

I. IUSTUS LIPSIUS.

Iusti Lipsii, hominis, nostra ætate, doctrinæ & eruditionis fama clarissimi, imaginem descripturus, quam potissimum viam insistam, prorsus ignoro. Nam, si, quæcumque ille scripsit edid itque, quorum non parvus est numerus, velim sigillatim oratione referre, sunt ea mihi temporibus distinguenda, & loca notanda, & occasiones suo ordine enumerandæ, quibus est ad scribendum impulsus. Quod si perfecero, non tam eum videbor ex quibusdam quasi delineamentis, quo fuerit ille a natura factus ingenio, ostendere, quam vitam ejusdem exponere; quod est ab instituto meo alienum: sin autem, plerisque omissis, in aliquorum enarratione versabor, vereor, ne iis, qui eum nunquam noverunt, minus lucide appareat, quantum vir ille omnium artium præclarissimarum laude præstiterit. Itaque, utrique rei occurram, quantum potero; atque, iis tantum, quæ magnam in primis, ad eum, qualis fuerit, exprimendum, vim habeant, afferendis, satietati medebor, eorumque ignorationi, quos tanta vis virtutis effugerit, consulam. Ac duabus præsertim rebus clarum ac nobile suum nomen effecit: primum, singularis eruditionis laude, qua nemo illi antecessit, qui una esset ætate; nam plures veterum Latinorum libros recognovit, castigavit, atque eorum partim doctissimis suis commentariis, omni eruditione refertis, partim animadversionibus, partim notis illustravit, complures etiam libros de suo, non minus docte quam scite eleganterque, composuit.

Nam,

nam, qui illi annus propemodum aditum ad vitæ curriculum dedit, idem quoque scribendi initium attulit. Anno enim nono, qua homo ætate, cum jam ratione uti valeat, vere incipit vivere, poëma scripsit; tum, annos natus duodecim, orationes composuit, atque etiam habuit, quæ magis spe & expectatione, quam re ipsa, quamvis sententiarum verborumque splendore non careant, laudantur: atque ab hac indole, consequentibus annis, usque ad exitum vitæ, alia deinceps, ut videbimus, maturiora ac præstantiora prodierunt. Sed, ab ineunte ætate, dilexit atque admiratus est, ex omnibus auctoribus plurimum, Cornelium Tacitum; utpote qui omnino in illud dicendi genus, cui non absit quidquam neque supersit, natura ferebatur; quem usque eo in amoribus habuit, ut ad verbum edisceret. Audivi de eo, qui sermoni se interfuisse narrabat, in Germania, cum esset apud principem nescio quem virum, ac die quodam injiceretur mentio de Tacito, gloriantem Lipsium dixisse, se aureum illud volumen adeo memoria comprehensum habere, ut nihil ex ea unquam exciderit; qui etiam sponsionem lacessivit, ni ita esset ut diceret; atque: Agite, inquit, statuite hic aliquem cum pugione, ac, si, Cornelium totum recitans, verbum unum peccavero, non recuso quin eo me ille pugione confodiat; ac sponte jugulum vel pectus, quod ferire possit, aperiam. Deinde, sibi gloriam famamque quæsivit, ac multorum in se studia, dictionis novitate, convertit. Illud enim Latine scribendi genus induxit, quod proprium est suum, nec aliorum: &, quemadmodum Ciceronis studiosi, Ciceroniani vocantur, ita etiam, qui ad Lipsii stylum se exercent, Lipsiani appellantur. Genus orationis est breve, concisum, verbis inops, crebro incidens, nunquam fere circuitum, & quasi orbem verborum, apta atque eleganti compositione conficiens. Quæ scribendi ratio ac modus, avide primum ab auditoribus suis est abreptus. Nam, quid tam cupiunt adolescentes, quam se magistrorum suorum esse quam simillimos? Sed fit etiam, communi quodam vitio, ut ea magis, quæ faciliora sunt, aut etiam insignia ac pæne vitiosa, consectemur

imi-

imitando, quam ea, quæ maxime excellunt in eo, quem imitamur. Ideo illius auditores, doctrinæ & eruditionis nervos, qui in illo erant, non assequebantur, dum subtile, attenuatum, incisum ac breve orationis genus imitabantur. Quod ille animadvertens, sui ipsius conscius, auctor illis erat, eosque hortabatur in primis, ut hac una in re ab ipsius similitudine se, quam maxime possent, abstraherent, ac tota mente Ciceronem, atque omni animo, intuerentur. Hæc nova dicendi scribendique ratio, a discipulis, multoque magis e scriptis Lipsii, ex Belgio translata est in Italiam, multorumque studia cepit; eorum nimirum, qui, Tullianam illam scribendi varietatem & copiam se assequi posse, diffiderent. Itaque hanc sermonis jejunitatem sterilitatemque, in qua se posse excellentes evadere non dubitant, sunt amplexati; & quia tantum quisque laudat, quantum se assequi posse non desperat, hanc unam solum ad eloquentiam viam, in cœlum efferunt, eamque, quasi formam figuramque dicendi, omnibus elegantiorem prædicant, quam in suis ille scriptis expressit. Varia studiorum suorum domicilia habuit. Sexennis, Bruxellis, ejus eruditionis, quæ deinde, tanquam ædificium aliquod, in eam altitudinem, quam videmus, excrevit, fundamenta jecit, apud ludimagistrum: atque ea celeritate, prima illa rudimenta Grammatices, quæ ab illo tradebantur, accipiebat, ut magister, quo condiscipulorum tarditatem, illius studio, incitaret, suis impositum genibus, ea recitare juberet, quæ illi ediscenda mandaverat. Tum, Coloniæ Agrippinæ, in scholis Patrum Soc. Jesu, iis disciplinis excultus est, quibus puerilis ætas impertiri solet. Sed adolescentuli docilitas, & rectum ad virtutem ingenium, (nondum enim purum integrumque animum aliqua vitiorum labe contaminaverat,) Patrum erga illum studia mire commoverunt; quibus ille, Societati nomen dando, respondisset, nisi id parentibus obstitisset; qui eum statim Lovanium evocarunt, ubi ex illorum arbitrio ac voluntate, cum Juri civili, atque, in Gymnasio Liliensi, Philosophiæ, multum operæ dedisset; ab earum artium tanquam portu, ingenii quasi navim solvit, eoque vela dedit, quo jampridem sua eum

naturalis inclinatio propensioque vocabat; nimirum ad humanissima ac liberalissima studia; præsertim cum parens, qui posset obsistere, Bruxellis, quam ille urbem, præfecti prætorio munere, administrabat, interiisset. Neque diu otii sui fructum a se expectari passus est. Etenim, Variarum Lectionum librum, Cardinali Granvellano dicatum, edidit. Qui liber, Cardinali in primis operam dante, latum illi aditum in Peretani domum aperuit, ac multas simul commoditates objecit; ut Romæ videlicet, cum illo, cui erat ab epistolis, esset; ut urbis, quondam nationum omnium reginæ, atque ibi imperii majestatisque, reliquias, etiam nunc hostibus terribiles admirandasque, conspiceret, contemplaretur, & honore cultuque prosequeretur; ut insculpta marmoribus, veterum Imperatorum, beneque de Republ. meritorum civium, elogia oculis lustraret, manuque describeret; ut M. Antonium Muretum, omnium eloquentissimum, in Gymnasio Romano eloquentiæ præcepta tradentem, audiret; ut P. Franciscum Bencium, in Gymnasio suæ Societatis, juventutem optimis disciplinis instituentem, eo sibi amoris nexu constringeret, ut in fratris germani loco diligeret; ut Carolum Sigonium, Petrum Victorium, Hieronymum Mercurialem, omnis eruditionis doctrinæque principes, fama sibi antea notos, aspiceret, audiret, cum eisque colloqueretur. Sed, discessu ab Urbe, nescio quomodo, a sese discessit nonnihil, & voluptatibus, quibuscum antea inimicitias gerebat, quasi indulsit, ac Lovanii paululum animo obsequutus est suo: verum Leodii, Caroli Langii, viri doctissimi, ac veteris amici, admonitionibus, ad se ipsum rediit, ac totus sibi displicens, libros, de constantia composuit. Neque ita multo post, Viennam Austriæ, & in Maximiliani II aulam venit, compluribus doctissimis viris ornatam ac refertam; a quibus est honorifice ac peramanter exceptus. Sed, cum jam patriam ac domum animo conceptam haberet, nullis conditionibus adduci potuit, ut ibidem, ad illius ornamentum aulæ decusque, consisteret, ac literatorum illum numerum & chorum expleret; quem numerum chorumque, cujusmodinam viri conflabant? ii, qui, omnium eruditorum judi-

judicio, omnem rerum præclarissimarum scientiam animo conclusam habere existimarentur; Augerius Gissenius Busbequius; Joannes Cratonus, Nicolaus Biesius, Joannes Sambucus, Stephanus Pighius. Adhuc nemini se ad docendum dederat; sed, per fines Saxoniæ iter faciens, accepto Belgico tumultu, & acerba bonorum suorum direptione, re necessaria cogente, compulsus est, Jenæ hanc provinciam accipere, eamque annum & eo amplius obire. Sed jam ex illis integumentis dissimulationis, quibus tegebatur, evolutus artifex, amplius latere non poterat. Quamobrem, cum jam Coloniæ Ubiorum Annam Colstriam, nobili loco natam, ac viduam, ex qua nunquam liberos suscepit, uxorem duxisset, & Antiquas lectiones, ac Notas ad Cornelium Tacitum scripsisset, quem postea uberioribus commentariis illustravit auxitque; evocatus est Lugdunum Batavorum ab ejus Reipubl. Ordinibus, honorificis stipendiis, ut redundantem effluentemque vim illam eruditionis doctrinæque, qua pectus completum habebat, in alios refunderet, qui eam vellent excipere. Quod ille munus, sibi delatum, cum accepisset, tredecim in eo annos summa est cum laude versatus; adeo ut ejus nomen, toto orbe terrarum, omnium linguis ac literis celebraretur. Quod fuit causæ, ut, cum clam inde ac furtim, religionis, ut ajunt, causa, se subduxisset, ubi id palam est factum, nullus tota Europa fuerit vir princeps, nullus Rex, nulla Respubl. nulla paulo illustrior civitas, nulla Academia, quæ non summa vi illum expeteret, ac certatim, maximis ad se præmiis, evocarent; Guilielmus, Boiorum Dux; Ernestus, ejus frater, Ubiorum Eburonumque Antistes; Wolfgangus Theodoricus Salisburgensium, Julius Herbipolensium, Præsules; Christianus, Saxoniæ Dux; Clemens VIII, Pont. Max.; Henricus IV, Galliæ Rex; Ferdinandus, magnus Dux Etruriæ; S. P. Q. Venetus; Patavini; Bononienses; aliique, quos longum esset omnes referre. Sed omnium istorum, quos enumeravimus, studia, Lovanii amor evicit, Brabantiæ Ordinibus summa cum benignitate evocantibus; quibus & suos de Cruce libros dicavit. Scripsit etiam, ibidem cum esset, hæc omnia: Facem historicam, qua obscuras

Græcorum Romanorumque res perlustrare cupientibus, tanquam cereum lucet; tum, volumen in Senecam Philosophum, quod etiam, eleganti epistola, Pauli V Pont. Maximi nomini dicatum, emisit; cui epistolæ adolescentulus ego respondi, Marcelli Vestrii Barbiani rogatu, cui Pontifex, suo nomine respondendi, partes mandaverat; erat enim illi a Brevibus. Sed totius scribendi cursus quasi meta fuerint Lipsio, Deiparæ Virginis, Sichemensis & Hallensis, res novæ atque admirabiles; cui Virgini Hallensi, moriens, lacernam suam pelliceam testamento legavit. In quo, non potuit, quin facetorum hominum urbanitatem incurreret; qui quidem ridicule, sed non admodum religiose, ideo lacernam pelliceam Virgini illi relictam ajebant, quod ejus miracula, quæ tantopere in cælum laudibus efferebat, frigerent ad populum. Stomachabatur in eos, qui, superbia & ambitione ducti, judicium de aliorum scriptis ferre, seque Criticos appellare, audebant; quorum audaciam insolentiamque conatus est Satyra Menippea, quam adversus eos armaverat, labefactare atque confringere; cum contra ipse nunquam præponeret se aliis, sed omnes vereretur ac diligeret. Et tamen tam multa scripserat, eaque, quorum commemoratio & fama non iisdem, quibus vita illius, finibus terminata sunt, sed progressa longius, atque etiam nunc vigent, eorumque vitæ cursus cum omni futuri temporis spacio adæquabitur: ut sunt, Commentarii ad Polybium, ad Panegyricum Plinii, aliaque opera; ut libri Saturnaliorum, &, in pauca ut conferam, ea omnia, quæ numerantur ab iis, qui ejus vitæ seriem, suis scriptis, posteritati mandarunt. Hepatario morbo laboravit; cujus curandi gratia, in Eburones, ad Spadanos fontes acidos, profectus est. Sæpius in vita, manifestum vitæ discrimen adiit; ter in puerili ætate, quæ non raro adversis casibus solet esse obnoxia: nam parum absuit, quin a nutrice, fortasse dum altiori somno oppressa est, suffocaretur, vel in aquam mersus, vel crurifragio, interiret. Deinde, lethali morbo pæne sublatus est Dolæ, quæ Sequanorum est Academia; ubi, quum luculenta oratione Victorem Giselinum, inter medicos allectum, laudasset,
ac

ac statim deinde, opiparo convivio exceptus esset, in quo, ut mos est illarum regionum, convivæ invitare se plusculum solent, & in sese largius merum invergere, repente, insolito horrore correptus, cum febri domum rediit; cui nisi, præstantissimorum medicorum auxiliis, itum obviam mature fuisset, eo celeriter consumto, elegantissima politissimarum artium studia, tot egregiis operibus carerent, quæ postea, cum vita suppeditasset, ab ejus ingenii fonte emanarunt. Postremo, anno cIↄ Iↄ C V, annos natus unum de sexagesimo, ex vehementissima tussi, ac distillatione, a capite defluente, X Kalend. Aprilis interiit; cum antea sacro perunctus Oleo, ac Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis bene viaticatus, illud iter esset ingressus, quod suscipiendum est omnibus.

II. JACOBUS MERLO HORSTIUS.

COgitantibus nobis, transalpinis regionibus relictis, quo nos, Justi Lipsii imaginis referendæ gratia, cupiditatis quidam ardor adduxit, domum, hoc est, ad nostros, redire; paululum moræ objicit Colonia Agrippina, Ubiorum urbs longe clarissima; viri optimi, ac, tum doctrinæ, tum, quod refert, sanctitatis apud ipsos fama notissimi causa; nec festinantes nos vult antea dimittere, quam ejus iconem, quam maxime ad similitudinem veri descriptam, nobiscum afferamus, ceterisque illustribus viris adjungamus, qui, in nostra Pinacotheca, delectationem inspicientibus afferunt, commemoratione hominum & cognitione formarum. Et sane jus postulat. Nam quamvis, ut David Rex inquit, ille, qui justitiam ac pietatem coluit, rectissimum tenuerit iter ad gloriam, nec cujusquam oratione ac scriptis, ab oblivione hominum se vindicari desideret; attamen omnis exsuperantia virtutis, jure suo, debitum laudis præconium efflagitat, suique memoriam nominis, rerumque gestarum, literis custodiri ab eo deposcit, qui id ullo modo præstare vel assequi valeat. Atque is, qui adeo nostrum ad se studium atque operam attrahit, est Jacobus Merlo Horstius; in quo non minimus extitit

Catholicæ religioni apud Ubios splendor ac decus. Hic, viginti & unum annos, Ecclesiæ S. Mariæ in Pascuo, Parochi jure ac nomine, ita præfuit, ut non solum cæteris Parochis, sed longe superioris etiam ordinis hominibus, debeat esse exemplo, quemadmodum commissa sibi a Deo animarum regendarum provincia sit gerenda. Primum, ne minima quidem in eo cogendæ pecuniæ cupiditas ac studium exarsit, nullæ innatæ eidem avaritiæ suspicio se prodidit; ut, quemadmodum a pluribus committi videmus, locupletioribus semper sacerdotiis inhiaret, ac, tenuioribus valere jussis, pinguiora invaderet; in quibus justissima illa Dei querela consumitur, qui, avida istorum ingenia verberans, Prophetarum ore eos, ait, non greges sibi commissos pascere, quemadmodum pastores æquum est facere, sed se ipsos alere, neque quidquam curæ illis esse, ne populi, cælestis pabuli inopia enecti, depereant, sed omni mente in ea cogitatione curaque versantur, ut opibus divitiisque circumfluant, quibus quotidie laute splendideque convivium exornent, abacum argento optime tacto instruant, quod in conviviis exponant, pretiosam supellectilem comparent, Attalicis peripetasmatis parietes ædium suarum vestiant, canes, pane ex Christi pauperum ore, quibus debetur, erepto, educent expleantque, quibus in venationibus utantur. At iste, de quo loquimur, eo sacerdotio, ad quod semel eum Deus vocaverat, quamvis exiguum, contentus, in eo regendo administrandoque, omnes, ut par est, nervos ætatis, ingenii, industriæque exseruit. Et, quia fortasse non deerant, qui ejus cupiditatem studiumque, ad majora concupiscenda inflammarent atque incenderent, quo posset abundantius vivere, eos Davidico illo rejiciebat, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit; in loco PASCUÆ, ibi me collocavit*; ad ecclesiæ suæ nomen alludens, quæ S. Mariæ, ut diximus, in Pascuo appellabatur; in quo, modico, ut dixi, contentus, non avidi, non appetentis animi signa præbebat. Tum, in suo munere recte laudabiliterque tuendo, nullus eum major labor solicitudoque torquebat, quam illa, ne quid detrimenti Catholica fides caperet, in hac custodia semper permanebat, ab eaque ne tan-

tantulum quidem oculos deficiebat, etiamsi omnes mortales sibi capiundos esse inimicos non dubitaret. Sed quum tanto Catholicæ religionis studio teneretur, fortasse non poterat iis, quos in fide erudiendos susceperat, doctrinæ inopia, satisfacere. Immo erat apprime eruditus ac doctus, & Theologicis præcipue disciplinis instructus: nam in iis numerabatur, quos Theologiæ Licentiatos appellant. Itaque, festis diebus, docta atque igne caritatis incensa oratione, studebat, ex animis hominum, vitiorum radices evellere, & contrarias illis virtutes inserere; privatis vero sermonibus, non cessabat, suis opem afferre, afflictos consolari, errantes in viam reducere, peccata in odium adducere, pacem componere, ac discordiarum caussas, si quas inter aliquos intercedere noverat, funditus tollere. Quæ oratio eo apud suos gravior habebatur, quod cum ejus vita mirabiliter congruebat. Vivens, in assidua mortis meditatione versabatur, in eaque magnam inesse vim ad bene vivendum, non immerito existimabat; ac propterea, ut ceterorum hominum studia ad eandem exercitationem commoveret, quam tanto sibi usui fuisse cognoverat, libellum composuit, quem etiam, extremum spiritum agens, sua manu conscripsit, quem *Epitaphium hominis Christiani*, vitæ ejusdem regulam exprimens, appellavit: in quo hominem, vita functum, & conditum in sepulcro, cum viatore loquentem inducit, eumque amice ac perhumaniter admonentem de statu hominis post mortem, tum quod ad corpus tum quod ad animam pertinet; ac præsertim de ratione dictorum factorumque omnium, quam Deo severissimo judici reddit; quæ, quo altius mentis memoria in animo hæreat, potest unusquisque ad res suas revocare, (nam ad id demum redeundum est omnibus,) seque jam esse mortuum, ac prædicere ea aliis, effingere. Verum melius ex aliis ejus scriptis agnoscitur, quali ipse ingenio fuerit. Plura enim scripsit, plenissima eruditionis ac pietatis. Multum etiam operæ ac laboris, in D. Bernardi operibus illustrandis tribuit. Sed nimis celeriter evocatus est a Deo, ad laborum suorum fructus percipiendos. Etenim annos natus, non amplius septem ac quadraginta, XII Kal. Aprilis CIↃ IↃC XLIV, a vita recessit.

III. MARTINUS BONACINA.

EX iis omnibus, qui generi hominum consulere deque eo bene mereri laborant, iis non immerito palmam esse dandam existimo, qui ita literarum studiis operam navant, ut aliquid ex se pariant, cognitione & scientia dignum, quod deinde editum, ad communem omnium utilitatem hominum proferant. Etenim ii, vehementi cuidam cupiditati, unicuique a natura insitæ, occurrunt, ut aliquid semper addiscat, ac præstantissimam illam animi facultatem, nempe intelligendi vim, rerum pulcerrimarum notitia augeat, alat, ac nutriat. Omnes, Aristoteles inquit, homines, ad aliquid intelligentia scientiaque comprehendendum, naturali quodam impetu incitati feruntur. Verum, illi quoque non minus, immo multo etiam, ut opinio mea fert, magis, hominum in se studia voluntatesque merentur, qui ea literis tradunt, quibus ii, in quorum manus ea pervenerint, meliores fiant, atque animi morbos erroresque depellant, quos si evelli exstirparique contingat, quanta a Rebuspubl. quanta a privatis hominibus vis infortunii abesset! atque ex contrario, quantum eisdem pacis & tranquillitatis bonum accederet! Unde, obsecro, bellorum, seditionum, discordiarum, ac litium semina oriuntur, nisi ex hominum cupiditatibus? Eas tolle; simul etiam litium controversias, bellorum certamina, unde illa promanant, eripies. Itaque homines inter se amice ac concorditer viverent, nihil quisquam ex alterius bonis concupisceret, nemo alterum injuria vel damno afficeret. Quo quid potest generi hominum felicius accidere? Atque ei rei pro sua virili parte dant operam ii, qui in eo sunt omni cura & cogitatione intenti, ut libris, a se editis, animi vitia, quæ mali tantum, quantum diximus, afferunt, noscantur, curentur, ac depellantur. At utraque in re Martinus Bonacina Mediolanensis, ut magno generi hominum esse usui posset, multum studio atque labore perfecit. Nam libris acutissime scriptis, tum ea, quæ ad ingenium excolendum, alendumque, & ad sciendi sitim explendam, valerent, exposuit, cum et-

etiam, quæ ad mores, prolapsos, erigendos, ad cupiditates, longius progressas, revocandas, ac rectam vitæ rationem instituendam, sunt necessaria, quam plura, Moralis Theologiæ nomine inscripta, edidit: quæ, inquam, omnia ad utilitatem diriguntur eorum, quos in vita errare contingit, vel, si nunquam ab officio discesserunt, quemadmodum in eo permanere ad extremum usque spiritum possint. Quæ tantum commendationis habuerunt, ut laudibus, non semel sed sæpius, non uno tantum in loco, sed in pluribus ab ipso aucta & locupletata, sint typis excusa. Neque omnibus in rebus fecit desideriis eorum satis, qui sciendi cupiditate studioque tenentur. Multa enim sunt, quæ nihil vel parum nos scire expediat; sed eas vel tantum recognoscendas illis objecit, quas, quoad fas est, homini, scientia perceptas ac memoria comprehensas nos habere, conveniat; ut Christi Domini incarnationem & cælestis gratiæ præsidia. Nam de re utraque accuratissime scripsit voluminibus aliquot: quibus &, quæ divinitus de inexplicabili illo mysterio traduntur, quo Deus, Dei Filius, communem hominum naturam assumsit, eamque sibi arcano atque a nemine intellecto unius hypostasis nexu conjunxit; & quæ nos de divinis auxiliis sentire oporteat, quibus ad ea, unde æterna nostra salus continetur, suscipienda excitamur, prosequenda juvamur, perficienda confirmamur, est persecutus. Cujus egregia virtus atque doctrina eo gratior ac probabilior videbatur, quod erat cum summa morum ac vitæ probitate innocentiaque conjuncta. Nam isti, si diis placet, vitæ morumque magistri, si secus vivant quam docent, si legibus, quas aliis indicunt, continentiæ virtutumque omnium ipsi non obtemperent, magna ex parte, quod in ipsis est, doctrinæ, quam tradunt, commendationem videntur evertere, ac suis doctissimis ac sapientissimis vocibus, ne commeare in animum possint, audientium aures obstruere. Hanc igitur amplissimam omnium artium, bene vivendi disciplinam, Bonacina, non solum literis, verum est etiam moribus prosecutus. Neque id dissimulatum est ab iis, qui eodem tempore, in simili, Moralis videlicet Theologiæ tradendæ argumento ver-

fati sunt: quos ille, non uti mos est eorum, qui idem opus urgent, adversarios aut obtrectatores laudum suarum, sed socios potius & consortes laudabilis ejusdem laboris, habuerat; qui fere omnes, in suis libris, honorificis sane verbis, vitæ eidem sancte ac laudabiliter actæ testimonium dederunt. Atque ejus hanc singularis probitatis doctrinæque famam arbitror fuisse causam, quæ Urbani VIII Pont. max. studium incenderit, ad insignis cujusdam civitatis Episcopatum illi demandandum. Quod utinam Urbano Pont. non venisset in mentem. Non enim, in medio fere spacio, fuisset interruptus illius ad summæ doctrinæ gloriam, cursus, multique, ad studiosorum utilitatem, ejus ab ingenio, fructus pervenissent, quos omnes mors illis, tanquam calamitas aliqua, intercepit. Etenim, dum anno cIↃ IↃ C XXX I, æstate media, ac summis caloribus, discedens ab Urbe, in Germaniam properat, prius quam Viennam attingeret, est conjectus in morbum, qui cum in dies fieret amplior, sensit, sibi mortem instare, ac multis veræ pietatis signis editis, animam Deo, unde acceperat, reddidit; non quidem inanem ac nudam, sed tanquam talentum, quod, ut in eo negotiaretur, accepisset, magno cum fœnore auctam locupletatamque. Ac præter libros, quos diximus, ab eo relictos, edidit etiam alios duos; unum, de electione summi Pontificis, de beneficiis alterum.

IV. ROBERTUS UBALDINUS.

MAgna profecto vis inest in prima illa puerili institutione, ad reliquum vitæ cursum similiter peragendum. Nam si illa, ex sanctissimis legibus atque ex optima disciplina constiterit, consimilis etiam illi vitæ cursus consequetur: sin autem ex otio, inertia, desidiaque confletur, quis dubitet, quin, qualis sementis fuerit, tale sit etiam id, quod ex ea metatur? At, instituendi formandique, in ætate prima, puerorum animos ad majorum instituta, ac probatissimos mores, adeo ad parentum, eorumque, in quorum potestate illi sunt, curam ac solicitudinem pertinet, ut, quamcunque illi in par-

partem se dederint, sive ad virtutes sive ad vitia contulerint, non tam puerorum illam esse laudem vel culpam, quam eorum, quorum illi disciplina continentur. Recte Diogenes, ut Cynicus, cum videret, adolescentulos quosdam ante præceptoris oculos scurriliter quidpiam agere, non illos verborum objurgationibus verberavit, sed elato baculo, quo nitebatur, aliquot magistro, cujus illi culpa delinquebant, plagas imposuit; Sic, inquiens, doces? Perspicuum est, quam longe parentum in libros indulgentia prodierit, qui eos a teneris, ut Græci ajunt, unguiculis assuefaciunt, quidquid inciderit in animum, velle, victui, vestitui ac cæteris rebus, supra vires indulgere, sermone uti immodesto ac procaci, multa in eis, pudenda dictu, conspicere. Fac in istis esse Francisci vel Dominici indolem, jam tota, hac disciplina, corrumpetur atque delebitur. Contra, da illis ingenium malum, & ad pejora omnia pronum, quodnam est facinus tam audax, quod non illi, cum adoleverint, concepturi? quodnam scelus tam atrox ac sævum, quod non suscepturi etiam sint, si causa peccandi se dederit? At ex contrario, si non mollis, prima illa puerorum educatio fuerit, si nulla cæca atque sopita parentum socordia intercesserit, si disciplina quam maxime severa non defuerit, quid non boni sperari poterit ab iis, quos pietas, frugalitas, pudor in ea domo aluerit? Talis erat illa domus, in qua educatus est Robertus Ubaldinus ex M. Antonio Ubaldino & Lucretia Gherardescha, Leonis XI, Pont. max. sororis filia, natus. Aberat ab ea domo luxuria, improbitas, perfidia, fraus; vigebatque in ea, castitas, modestia, temperantia, simplicitas, fides. Eruditus est in scholis Patrum Soc. Jesu; una cum aliis fratribus, tum literis humanis tum philosophicis. Cujus ea erat ingenii docilitas, ea in accipiendo, quæ a magistris tradebantur, celeritas, ut clare inter ceteros condiscipulos exsplendesceret. Et, quia Perusii, ubi parens suus plurima ac maxima negotia habebat, magnam ineuntis ætatis partem exegit; factum est, ut, quemadmodum alios doctos viros, ita etiam Balthasarem Ansideum, Græcis doctum literis & Latinis, ita consuetudine sua sibi devinxerit, ut se-

fere nemo illi fuerit carior, neque jucundior. Legi ego aliquot Ansidei ad ipsum & ad fratres epistolas, quibus eos ad studium eloquentiæ adhortatur; quæ epistolæ tantam visæ mihi sunt habere Latini sermonis puritatem suavitatemque, ut appareret, in eis nativum quendam leporem, ac proprium Romani generis, esse, non autem ascitum. Verum, cum Robertus a magistris suis didicisset, atque etiam ipse legisset, neminem sibi soli natum esse, sed multo magis generi hominum, quibuscum naturæ ejusdem societate conjunctus teneretur, simulque accepisset, eam Philosophiam procul abesse ab eo viro, qui aliis esse usui postulet, quæ nos avocat a curia, a foro, a negotiis publicis; statuerat, eas artes, quas adhuc didicerat, non domi otiosas, voluptatis suæ gratia habere, sed foras educere, & ad communem utilitatem usumque transferre, atque, cum primum per ætatem posset, Rempub. capessere. Sed, quomodo ad eam auderet accedere, nisi antea leges & instituta majorum, quibus recte ea administraretur, nosset? Itaque utrumque Jus didicit, tum civile, tum Pontificium; &, postquam, sapientissimis illius præceptis, satis pectus implesset, Pisas se contulit, ut ibi, ex legibus suæ patriæ, Doctoris sibi nomen ac potestatem adsciseeret. Tantus adolescentis in studiis literarum atque in omnibus bonis artibus profectus, incredibili Alexandrum Mediceum, magnum ejus avunculum, voluptate afficiebat, cui ob egregiam virtutis indolem, quam in eo admirabatur, carus erat in primis: jamque constituerat animo, atque etiam, parentibus ejusdem audientibus, dixerat, suam eum in aulam excipere, ut sibi ab epistolis, ac particeps consiliorum omnium, esset; sed non ante, quam ille paululum ætate processisset; erat enim tum admodum adolescens; quod, arbitror, fuit causa, cur eum secum in Galliam non duceret, quo Legatus proficiscebatur a Clemente VIII Pont. Max. missus ad Henricum IV Regem, qui nuper cum Romano Pont. & cum Ecclesia Catholica in gratiam redierat, ut palam hæresin, in qua fuerat, detestantem exsecrantemque, ab iis eum censurarum ecclesiasticarum laqueis explicaret, in quas se induerat. Qui postea Cardi-

dinalis, legationis illius munere, sibi tradito, diligenter obito, cum e Gallia in Urbem se recepisset, invenit Robertum, in iis studiis, in quæ fuerat ingressus, cupidius se continentem, quam reliquerat; cepitque ex ea re voluptatem. Ac illi, aliquot jam annorum accessione, magna ex parte, elegantis illius formæ nitor decreverat, quem ineuntis ætatis flos solet afferre; jamque barba genas obsederat, cum, sui memor promissi, amplexus eum est, cœpitque ejus opera uti, quam magno sibi usui ornamentoque esse sentiebat. Interim Clemens VIII, sive morbo corporis, sive ægritudine animi, ut quidam ajebant, excessit e vita. Habita sunt novi Pont. comitia. Ne multa; non varie, sed cunctis sententiis, Alexander Card. Mediceus, in demortui Pont. locum sufficitur. Magna tum ac certa Roberto spes honorum atque opum affulsit, in quam etiam, Pont. Leonis XI nomine appellatus, eum vocaverat: sed vix ea illuxerat, cum extincta celeri Pontificis obitu est. Nam ex tanto fastigio, post septem & viginti dies quam illud conscenderat, corruit. Tantum domesticæ amplitudinis (si ille diutius vixisset) damnum Robertus æquissimo animo sustulit. Sed continuo spes ejus, quæ visæ fuerant a radice revulsæ, majore vi repullulare cœperunt. Etenim Paulus V, qui Leoni successerat, sive hominis misericordia motus, quem repente de tanta tamque florenti fortuna dejectum cernebat, sive multo magis singulari ejusdem virtute compulsus, cubiculi sui Pontificii præfectum sibi delegit; qui honoris locus in summorum Pont. aulis, honestus atque honoratus in primis habetur. At Pontifex, ejus fide & industria cognita, cœpit illum ad res multo graviores adhibere, intimum suis consiliis habere, &, si quando majoris momenti res incidisset, de qua ad Reges aliosque summos in Rep. Christiana Principes accurate esset diligenterque scribendum, ceteris, quos scribæ loco ad manum habebat, repudiatis, eas illi partes demandabat; quod diceret, se neminem invenire, qui majori sententiarum gravitate, ac verborum splendore, animi sui sensa complecteretur. Idque mihi narrare solitus erat Marcellus Vestrius; qui tectam ejus in scribendo pru-

prudentiam, & singularem Latini sermonis elegantiam, miris in cælum laudibus efferebat; ac fidei faciendæ gratia, ostendebat mihi aliquot ejus brevia, quibus, mea etiam sententia, nihil poterat esse præstantius. Quibus rebus cum magnam Pontificis benevolentiam assequeretur, non minorem aulicorum invidiam excipiebat, eorum in primis, qui arctissima Pontifici cognatione implicabantur; quod illum unum pluris quam se omnes fieri animadvertebant. Itaque excogitant rem singularem. Mittendus erat in Galliam a Sede Apostolica Nuncius: persuadent Pontifici, temporum rationem, in quibus tum res Galliæ versabantur, exposcere, ut is eo mittatur, qui nobilitate, ingenio, prudentia & auctoritate, plurimum præstet; se autem neminem videre, qui in his omnibus virtutibus Roberto Ubaldino, Pontificii sui cubiculi præfecto, antecedat. Hoc eo faciebant, ut non solum abesset ab aula, verum etiam libenter & cum magno honore beneficioque abesset; ipsi autem, remoto & ablegato eo, cujus consilio multum movebatur Pontifex, quemque sibi anteponi, indigne ferebant, primum apud eum locum tenerent amicitiæ, auctoritatis, atque consilii. Pontifex, quamquam ægre eum, cui maximam fidem rerum suarum habebat, a se divelli pateretur, tamen communem utilitatem privatæ anteponendam esse duxit; atque misit eum Nuncium in Galliam. Ubi talem se præbuit, cujusmodi illi, Pontifici confirmaverant, ac Pont. ipse non dubitabat. Nam sapienter, atque ex Sedis Apostolicæ dignitate omnia gessit. Verum, qui adeo liberales in eo laudando extiterant, iidem, in ipso, debitis ejus virtuti præmiis, exornando, nimis parci inveniebantur. Obtinuit jam ferme consuetudo, ut ii, qui ad summos Reges Nuncii mittuntur, si munus illud fideliter diligenterque administraverint, confecto triennio, in amplissimum Cardinalium Senatum legantur: at illi, quibus Roberti virtus, & apud Pont. gratia, invisa erat, dederunt operam, ut in Cardinalium comitiis nulla ejus ratio haberetur, ejusque electio in nonum annum protraheretur; quod dicerent, nullam esse rationem, tum, cum minime opus esset, e Gallia eum removere, sed exspectandum, quoad

ad Henrici Regis filius regnum obtineret, præsertim cum ejus opera gravissima fidelissimaque uteretur. Legi ego ejus epistolam, diserte quidem ac prudenter, ut nunquam non alias, e Gallia ad Scipionem Card. Burghesium scriptam; ubi, qua erat animi æquitate prædi-tus, nequaquam ægre accipit, in Cardinalium comitiis se fuisse prætermissum; quum cæteris apud Reges alios Nunciis idem fuisset honor impertitus; sed ea tantum sibi causa dolere, quod Regni proceres, in contemtum Regni illius Majestatis id factum esse, graviter conquererentur; id sibi acerbum & grave videri. Sed tandem Cardinalis factus, venit ad Urbem; ubi benigne quidem & humaniter exceptus est, iisque auctus beneficiis, & ecclesiasticis opibus, quibus tantam sustinere dignitatem satis commode posset. Interim Pont. Paulus gravem in morbum implicitus, ab eoque oppressus, vivendi finem fecit. Agitur de subrogando novo Pont. atque a demortui cognatis, iisque, quorum maxime intererat, eum sibi dari Pontificem, quem scirent, a suis rationibus alienum non fore, eum in locum adducta res erat, ut, cum tot suffragia haberent in potestate, quot essent ad creandum novum Pontificem satis, necessario summum illud Sacerdotium ad eum esset venturum, quem illi vellent. Atque adeo id erat omnibus exploratum, ut Augustinus Mascardus orationem, quæ ad Cardinales, eo ipso die, quo conclave ingrediuntur, haberi solet, non dubitaverit hac sententia concludere: Vivat adhuc ac perseveret in Petri successoribus Petrus; hoc enim nomine is appellabatur, cui illi suffragabantur. Sed eorum conatibus fortiter acriterque restiterunt Card. Ubaldinus aliique nonnulli; quibus indignum videbatur, per hunc modum perpetuari dominationem. Atque ridicule eorum quidam respondisse fertur illi, qui priores in illis comitiis partes habebat, cum Petri, cui suffragabatur, merita nimis exaggeraret, eaque esse diceret maxima, ingentia, immortalia. Tace, inquit; nullam ego majorem in ejus virtutibus laudem invenio, nisi eam, quod docte sciteque Oeconomi tui munus administraverit. At poterat ille, si tantum ingenii a natura habuisset, hanc responsionem alia responsione eludere, ac dicere: ideo Oeco-

Oeconomum illum suum satis esse dignum, cui Ecclesiæ universæ administratio committeretur, quod privatam domum recte administrare didicisset. Nam ex Apostolo Paulo, cujus auctoritate nihil est gravius, Quomodo is, qui domui suæ præesse nescit, Ecclesiæ universæ, & Christianorum omnium quasi familiæ, gubernandæ provinciam accipiet? jugulasset profecto ille hominem hoc dicto. Sed, ut sese res habeat, nunquam Pontificatus max. ab eo, quem ipse volebat, abiisset, si id egisset quod agebat, nec tempus maluisset in altercando consumere. Nam si Pontificio illum in solio collocasset, certatim, perterriti, accurrissent omnes, ut Pontificem eum agnoscerent ac venerarentur. Sed illi consilium atque animus defuit. Verum, non potest præteriri silentio, incredibilis illius, qui ad tantas opes dignitatemque vocabatur, magnitudo animi atque constantia; qui, cum sibi Pontificatus ereptus e manibus esset, non abjecit animum, non despondit, non desperatione fractus ac debilitatus, non ex dolore de mentis statu dejectus est, vel ex ægritudine de vita depulsus; sed ne vultum quidem mutavit; ac vixit usque ad extremam senectutem. Ex quo licet arguere altum quendam & exaggeratum, ac superiorem humanis rebus omnibus, animum. Cum igitur, de eo Pontifice eligendo, suffragatorum inertia, occisa spes esset, conversa sunt hominum studia in Alexandrum Card. Ludovisium, Bononiæ Archiepiscopum; atque ea ipsa nocte, summa omnium voluntate, creatus est Pont. In quo præsertim Roberti opera ac studium enituit. Neque vero hoc fugit Gregorium (hoc enim nomine appellatus est novus Pontifex,) nam multis in rebus, gratum suum erga illum animum ostendit; inprimis, quod illustrem Bononiæ Legationem per illum administrari voluerit, ac Card. Ludovisius, fratris sui filius, villam in Tusculano magnificam eidem tradidit, ut ea, quoad vita suppeditaret, uteretur, frueretur. Cujus egregiæ erga se voluntati dum parem gratiam referre contendit, quo illius studiis obsequeretur, magnum rerum suarum discrimen adiit; atque, eo tempore amicus aberat, cui sua omnia consilia credebat, quique nimios illos

er-

erga hominem de se bene meritum grati animi impetus, magna ex parte, retardare potuisset. Sed animus generosus ac præstans ægre beneficiis vinci se patitur, atque antea ex nimia indulgentia obsequioque desiderari in se mavult prudentiam suam, quam ut aliquid illi, cui se debere profiteatur, a se petenti recuset. Incredibili optimarum elegantissimarumque artium studio & cupiditate flagrabat: & in primis illustrium tum veterum tum sui ævi poëtarum lectione expleri saturarique non poterat; habebatque selectos quosdam amicos, doctos & honestos viros, quibus cum eos lectitare, laudare, admirari, &, si quid incideret, quod præ ceteris extaret ac promineret, clamores efferre, consueverat. Erat literatis viris deditus, eorumque inopiam large sua pecunia sublevabat; ut de Augustino Mascardo narratur, quem alieno a se animo esse, non ignorabat, quemque sciebat, in conventibus amicorum, in aulis Principum, multa nec recte in ipsum loqui. Nam, Tusculi cum esset in ea villa quam diximus, audissetque, Mascardum, gravi implicitum morbo, in lecto decumbere, præterea destitutum ab iis, quos in cælum laudibus efferebat, omnium rerum inopia laborare, ultro eum adiit, humanissimis verbis consolatus est, & nummis aureis centum donavit; quorum præsidio ex eo morbo, unde nunquam sine illis se expedivisset, evasit. Item ille auxilium nummarium Francisco Balduccio, poëtæ insigni, in pannis & inopia vitam agenti, attulit. Nam, ut idemmet Balduccius mihi narrare solitus erat, die quodam, cum jejunus, & affectus fame, nescio quod illi carmen recitaret, Cardinalis aperuit ipsi arculam quandam, nummis aureis plenam, rogavitque eum, ut tantum inde sumeret, quantum ejus voluntas ac necessitas pateretur: quod cum ipse renuisset facere, ille tantum auri, quantum manus capere posset, exceptum, in ejus sinum rejecit. At homo, gratus, atque affluens omni lepore ac venustate, ne versum quidem unum in eum, quod certe in ejus libris appareat, fecit, cum tot laudum maximarum in illo argumenta suppeterent. Omnes fere, alicujus, sui ævi, nominis poëtas arctissima sibi habuit familiaritate conjunctos, Joan.

Baptistam Marinum; ad quem elegans scripsit carmen Etruscum; cui Marinus non minus eleganter politeque respondit: Franciscum Bracciolinum, summum, post Torquatum Tassum, epici carminis artificem ac magistrum; Porphyrium Felicianum, Fulginatium Episcopum, epistolarum ad summos Principes scriptorem, ac poëtam clarissimum, qui etiam, extrema suæ senectute, librum illi Odarum dicavit, in quibus tum præteritæ suæ vitæ peccata deflet, tum fallaces spes, & inanes cogitationes, quas ad sese falsæ honorum species fragilesque fortunæ attraxerant, acri ac vehementi incusatione atque querela prosequitur, tum Deum sibi propitium facere studet; quibus nihil mihi videtur purius, nihil gravius, nihil elegantius, nihil doctius; de quo opere interrogatus quidam, qui non poëticæ solum facultatis, sed mille etiam aliarum artium princeps habetur, quænam ejus esset sententia, respondit, luteum illud esse negotium, nec satis dignum, quod, typis editum, communem hominum lucem aspiceret. Quod si ille nihil laude dignum existimat, nisi quod immanibus, ingentibus, longissimeque petitis translationibus, ita in altum feratur, ut oculorum aciem effugiat, nisi, quod vibrantibus nec satis apertis sententiolis constructum, paucorum, judicio carentium, approbatione legatur; fateor, Porphyrium longe ab hac laude abesse: si vero illud semper est habitum optimum scribendi genus, in quo Petrarcha, Bembus, Casa, Guidiccionus, aliique hujus notæ poëtæ, versati sunt, nescio, cur Porphyrius, qui suis eos vestigiis persecutus est, nullo, ut ille ajebat, in numero sit habendus, ac propterea ineptus existimandus, quod careat ineptiis. Reliquit ipse Odas, Etrusco sermone, cui nunc sermoni magnus honor est, scriptas, quamvis non ita multas. Non enim homini, in Republ. gerenda occupatissimo, multum solet esse otii ad scribendum; sed tanta verborum elegantia, tanto sententiarum splendore, ut neminem videam, ex iis, qui nihil aliud in vita egerunt, qui se illi debeat anteponere. Et, quo majorem illi laudem, quam ceteris, esse tribuendam scias, non inanissimos mulierum amores, non brevem atque caducum illarum

pul-

pulcritudinis florem tractandum celebrandumque suscepit; de quo argumento, ob multitudinem eorum, qui in illo versati sunt, nihil est facilius scribere; sed in eo elaboravit, in quo plurimum prodesse legentibus posset; nimirum de fugiendis voluptatum illecebris, de sedandis opum divitiarumque cupiditatibus, de contemnendis honorum dignitatumque muneribus, de supremo judicio, de inferorum suppliciis, in memoria habendis; quas res asperas, inamœnas, omnisque voluptatis expertes, tanto lepore, tantaque amœnitate tractavit, ut, severius tamen id ipsum atque a sensu hominum abhorrens, suave omnibus ac jucundum videatur. Symphoniacis ac musicis, quorum plures domi alebat, non mediocriter delectabatur; quorum vocibus cantuque, a negotiis publicis aut privatis, vel sua voluntate, feriatus, vel satietate defatigatus, illam ex animo, quam intus conceptam habebat, miseriam exspueret. Familiam suam, pane, vino, obsonio, atque omnibus aliis in rebus, large liberaliterque habendam curabat. Nam solitus erat dicere (nec injuria) bonam aut malam dominorum, in animis hominum, existimationem, ex sermonibus pendere, quos illorum familiares, vel bene vel male in omni victu tractati, de ipsis in vulgus dissipassent. Neque solum ejusmodi se præstabat iis, qui, honestioris ordinis, præcipua domi suæ munera exercerent, sed infimæ etiam sortis hominibus, cujusmodi sunt, circumpedes, rhedarii, mediastini: nunquam etiam, ne ab eo quidem ordine, passus est desiderari officium suum, neque in secunda neque in adversa valetudine: nam ægrotos eos invisere, consolari, ut nulla re, ad valetudinem recuperandam necessaria, egerent, curare; cum sacra illis Eucharistia deferretur, adesse; atque alia ejusmodi pia Christiani Principis officia præstare, quæ ego aliis in domibus fieri non vidi. Sed pietatem in Deum suam, multo magis in morte ostendit, cum, matre, lectissima ac præstantissima fœmina, prætermissa, cum fratris, moribus, ingenio, ac religione insignis, oblitus, Congregationem de propaganda fide, omnium bonorum suorum, quæ erant maxima atque amplissima, hæredem instituit. Non est passus, plus apud

se valere matris vel alterius ex cognatis propinquitatem, quam in Deum pietatem. Hunc quam diuturna lucis usura perfrui, hunc Pontificem max. factum oportuit. Unius tamen propinqui, Leonis videlicet XI, Pont. max. magni sui avunculi, memoriam non abjecit; cujus egregia in Rempubl. Christianam merita nolebat, temporis diuturnitate, in hominum oblivionem adduci, sed perpetuo in oculis omnium hærere. Itaque, regium eidem e marmore sepulcrum, cum ejus statua, item e marmore, egregii artificis manu elaborata, in Æde S. Petri in Vaticano faciendum ornandumque mandavit, quod esset insigne grati ac benevolentis sui erga illum animi monumentum. Denique, ut est humanæ vitæ conditio, in dolóre cruciatuque, calculi morbo, decessit.

V. PAULUS PALETTUS.

Si ex me quæratur, quid sit illud, in quo nobis elaborandum magnopere censeam, quodque, si daretur optio, eligendum, ut ceteris hominibus antéire possimus; responderem, illud esse, in quo homines ceteris animalibus antecellunt. Quidnam est illud, in quo homines ceteris animantibus, infinito pene intervallo, se superiores esse gloriantur, nisi rationis facultas, & vis eloquendi, qua animi sui sensa, dicendo, possint exprimere, & audientium animis, tanquam oculis, verbis, quasi coloribus, depicta subjicere? Quamobrem, si quis inveniatur, qui planius, limatius, politius quam ceteri, præstare id possit, quid jam fateri nos prohibet, multo hunc longius ab animalibus mutis abesse, quam eos, qui rem quidem norint, sed eam graviter, & ornate, & hominum mentibus ac sensibus accommodate, proferre non possint? neque ferat molestè, se habitasse in hac una ratione bene dicendi recteque scribendi, aliis rerum cognitiones reliquisse; nam de illis ipsis rebus, quarum illi notitiam usurparunt, cum opus erit, multo iis ipsis copiosius ac splendidius dicet. Immo, si ita res exigat, ut ea, quorum ipsi sunt domini atque magistri, paulo dilucidius atque ornatius explicata, sint in vul-

vulgus edenda, ad ejus, ut ita dicam, officinam confugiendum est, qui sit artifex faciendæ poliendæque orationis; hic enim ea, ad se delata ac tradita, suo artificio ita verbis aptis atque illustribus circumvestiet ac sepiet, ut non ab altero accepisse, sed suo ex ingenio parta, aliis tradidisse existimetur. Omnino se rem habere sic statuo, ut eloquens, ea, quæ ex aliorum disciplinis tractanda susceperit, pæne melius, quam illi qui in eis principes habeantur, scire videatur. Atque, ut ad exempla veniamus: mitto veterem illum Aratum, qui, ut constat inter doctos, ignarus Astrologiæ homo, totam de cælo stellisque rationem optimis elegantissimisque complexus est versibus: mitto Nicandrum Colophonium, hominem item ab agro remotissimum, qui de rebus rusticis, non rustico quodam modo, sed summo verborum sententiarumque splendore & apparatu, tractavit: mitto etiam peripateticum illum Phormionem; qui,cum nunquam hostem nunquam castra vidisset, multas horas copiose,præsente Hannibale,de Imperatoris officio atque de omni re militari tractavit; quamvis contumeliose admodum idemmet Hannibal, levitatis illum senem stultitiæque crimini accusaverit, quod ausus esset, se audiente, de ea arte verba facere, in qua esset hospes ac rudis, ipse vero peritissimus exercitatissimusque: quasi vero homini eloquenti, cujus facultas nullis circumscripta terminis continetur, sed jus illi est libere evagandi quam velit, non liceat, de eo quod ipse expertus non sit, sed ab eo, qui illius usum habeat, acceperit, longos sermones & elegantes intexere. Sed fortasse Hannibalem puduit, se, hominem imperatorem, qui tot annos de imperio cum Populo Romano certasset, a sene umbratili, qui nunquam hostium vultum aspexisset, in tradendis explicandisque ejus artis præceptis, in qua ipse princeps haberetur, eloquentia vinci; præsertim cum Græcas literas didicisset, usus doctore, Sosilo Lacedæmonio, quem habuit semper in castris, cum eoque quamdiu fortuna passa est, conjunctissime vixit. Veteribus igitur exemplis omissis, ut ad recentia veniamus, nonne paulo supra nostram ætatem, cum Catechismus esset conficiendus, in quo, eleganti stylo,

& ad imperitorum intelligentiam accommodato, quatuor illa capita explicarentur, quibus omnis vis & ratio Christianæ doctrinæ continetur, videlicet Apostolorum Symbolum, Sacramenta, Decalogus, & Oratio Dominica; nonne ad eorum facultatem confugiendum fuit, cujus facultatis proprium existimatur, ac revera est, lumine orationis illustrare, quæcunque quavis in arte traduntur? nimirum ad Paulum Manutium, Julium Poggianum, Cornelium Amaltheum, quorum tum eloquentiæ laus vigebat in primis. At eorum quisque in pervolvendis Ciceronis aliorumque eruditorum libris dies noctesque occupatus, sacrarum literarum scientiam ne a limine quidem, ut dicitur, salutaverat; Cornelius etiam medendi artificio se tuebatur; qua arte a studiis Theologiæ nihil esse potest alienius. Et tamen, quæ in scholis Theologorum subtiliter arguteque disputantur, adeo eleganti, ornata, copiosaque oratione complexi sunt, ut ea quodammodo magis ipsorum esse propria, magis & ad ipsos pertinere videantur, quam ad eos, a quibus illa, tenui, perplexo, & exiguo sermone, disputantur. At, quorsum, inquies, hæc tam alte repetita oratio? Eo nimirum, ut omnes, quicunque eloquentiæ cupiditate studioque tenentur, incitatiore ad ejus laudem cursu ferantur, neque ceterarum magnitudines artium pertimescant, cum, aliquo monstrante capita earum & fontes, possint in eas ingredi, ac tantum inde haurire, quantum sibi sit satis, idque dilucidius atque elegantius explicare, ut diximus, quam ii, a quibus, in illis cognoscendis tractandisque, omne suæ ætatis tempus videmus esse contritum. Intellexit hoc Paulus Palettus Spoletinus, qui non solum toto, ut ajunt, pectore, eloquentiæ complexus est studia, e quibus tantas percipi utilitates posse non ignorabat, verum etiam aliis ducem, ad ea persequenda, se præbuit, ac Spoleti, ludum, quasi quandam eloquentiæ officinam, aperuit; cœpitque, prima illa puerili institutione, puerorum ingenia, tanquam dolare, atque ad eloquentiam effingere: ex quo ludo omnes plane prodiere, quicunque tum Spoleti, tum in Umbria, non vulgarem eloquentium ac doctorum hominum famam sunt adepti.

In

In iis, qui se eidem in disciplinam tradiderunt, numerantur in primis Franciscus & Antonius Barberini Cardinales, qui eo tempore, quo Maphæus Card. illorum patruus, Spoletinam Ecclesiam administravit, eidem se excolendos, exercendosque dediderunt, ac Franciscus etiam, patruo ad summum Pontificatus max. culmen evecto, memor hominis, & virtutis, & diligentiæ in ipso instituendo erudiendoque, annuis pecuniis de suo attributis, inopem ejus senectutem sustentavit, ac non minimum ex ejus morte dolorem accepit. Accuratum ille quoddam scribendi & exquisitum afferebat genus, quod arte limabat expoliebatque. Ita enim mihi narratur ab iis, quibus, ex illius scriptis, judicare de ejusdem ingenio ac literis contigit. Nihil enim mihi venit in manus, unde ego, quantum utraque in re ille præstiterit, affirmare liquido possim. Certe M. Antonius Boncitrius, qui non postremum inter eruditos ac disertos hujus ævi viros locum obtinuit, omnibus fere sui seculi scriptoribus eum anteponit, orationis cultu ac nitore; ac præsertim in scribendis epistolis: unum illi atque alterum præfert, ex antiquis Ciceronem, ex recentioribus Paulum Manutium. Qui Bonciarius, cum per amicum sibi esset allata a Paletto epistola, nec suis eam posset oculis, quia cæcus esset, excurrere, alteri legendam tradidit, ut videlicet, saltem auribus animo traderet: sed auditione, tanta sensit se voluptate perfundi, ex styli amœnitate elegantiaque concepta, ut non semel audivisse contentus fuerit, sed eam sibi jusserit iterum ac tertio relegi, ac ne tum quidem expletus saturatusque discesserit. Summa denique huc redit: in ea illum sermonis elegantia cultuque, ajunt, fuisse versatum, qui esset illius proprius, neque cum aliquo alio communis; adeo ut, si sine illius nomine aliquid ab eo scriptum legeretur, ex politissima scribendi ratione, atque adeo ex colore ipso ac sono, ejus esse, agnosceretur. Id quod Urbano VIII, Pont. max. contigisse narratur; cui cum regularis quidam Canonicus Lateranensis, nescio quem librum, ejus nomini dicatum attulisset, placuit, auctore præsente, epistolam, præfixam operi, legere; ac confestim in suspicionem venit, eam ex Paletti offi-

cina fuisse profectam; accurata ac diligenti Latine scribendi elegantia ductus; neque tacitum illud habuit, sed palam iis, qui aderant, fecit. Denique, hunc quoque, sicut ceteros, in quorum commemoratione versamur, communis conditionis æstus abripuit, ac morti, cui nos nostraque omnia debentur, addixit.

VI. MARCELLUS SACCHETTUS.

SÆpius, in animantibus brutis, quam hominibus ratione præditis, accidit, ut patres, filios sibi similes, gignant. Illa enim suos in filios, si sint fortia, fortitudinem, si imbellia, timiditatem, quasi jure naturæ, transmittunt. Nam *bonis*, ut Horatius inquit,

Est in juvencis, est in equis, patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

At contra, in hominum genere, nonne interdum vidimus, ex ignavis, timidis, atque inertibus parentibus eos esse liberos ortos, quos natura a paternis vitiis ac probris abstraxit? Neminem nominabo; ne cum filiorum laudibus, parentum præterea dedecus jungam. Quam multos contra, doctos, egregios ac bellica præsertim laude præclaros viros audivimus vel legimus, qui, pro se, Reipub. sui similes filios substituerint, ac non potius in contrariis ipsorum virtutum vitiis insignes ediderint? Quis ad incredibilem admirationem non efferatur, cum de Scipione, Africani illius nunquam satis laudati filio, audierit, tanto illum inertia, timiditate, improbitateque nobilem extitisse, quanto parens suus fortitudine, sapientia, ac magnitudine animi, celebre suum nomen, omnis posteritatis memoriæ commendarit? quis non ad eandem admirationem rapiatur, cum legerit, Q. Fabium Maximum, Allobrogi filium, eam claritatem, quam parens, ex devictis hostibus, atque ex omnibus, difficillimi illius belli administratione sibi pepererat, neglexisse, sibique famam ex omnibus turpissimis flagitiosissimisque voluptatibus, in quarum cæno volutabatur, collegisse? Nec minorem nobis admirationem incutiet M. Cicero, M. Tullii illi-

lius eloquentissimi progenies, qui non in eo omnem suam operam ac studium sibi esse collocandum duxit, ut parentis, qui omnibus, quicunque fuerunt, quique futuri sunt, longe multumque dicendi gloria præstitit, laudem æmularetur; sed id sibi putavit esse palmarium, si binos uno spiritu congios exhauriret, & in ventrem invergeret, aliaque, ex temulentia, turpia dictu, committeret. Ignavo igitur ac timido patri gnavus ac fortis; contra navo, prudenti, ac forti, improbus & ignavus filius potest existere. Verum, qui sex vel septem ex uxore sua liberos susceperint, si eos omnes navos, industrios ac rectos ad ingenium bonum habeant, in rebus rarissimis, ac miraculo proximis, numerandum id est. Semper enim eorum aliqui vel plures, ab aliorum similitudine se abstrahent, & ad probrum, damnum, flagitiumque appellent. Atqui, ne aquilarum quidem generosissimis, haliæetis nomine, hæc felicitas accidit, ut pullos suos omnes eadem, qua ipsi, clarissima oculorum acie præditos habeant: nam eorum aliqui, coacti, adversus solis radios, oculorum aciem intendere, conivent, eorumque fulgorem ferre non possunt; itaque hos illi, tanquam degeneres, e nido præcipites agunt; reliquos, quorum acies contra firma steterit, educant. At ætas hæc nostra, id, quod antea vix fieri posse credidimus, in Urbe, omnium regina, Romæ inquam, tribus patribusfamilias, summo genere natis, aspexit, atque admirata est, quorum unusquisque fuit & numero, & optimorum claritate filiorum fortunatissimus. Hi sunt, Virgilius Crescentius, M. Antonius Ubaldinus, & Jo. Baptista Sacchettus. Ac de duobus superioribus non est hic scribendi locus. Jo. vero Baptista, ex Francisca Altovita, fœmina lectissima, summæque inter suos nobilitatis uxore, plures filios suscepit, quorum neminem communia adolescentium vitia transversum egerunt, sed, ad unum omnes, directum illud ad virtutem iter, ad veræ ac germanæ probitatis laudem commendationemque, perduxit. Sed antea quam Marcellum conor exprimere, meum ad se stylum attrahit Julius frater, cogitque, ut ejus, quantumvis viventis, imaginem leviter adumbrem, ac Marcelli tabulæ,

tanquam aliquam appendicem, adjungam. Hic ingenio, eruditione, doctrina, &, quod refert, moribus ac vita, præclarus, impulit Urbanum VIII, ipso ejus pene Pontificatus initio, ut se in amplissimum Cardinalium collegium cooptaret. Videbat enim sapientissimus ille Pont. si tali viro eminentissimum illum ordinem auxisset, quanto eidem ille decori ornamentoque futurus esset, deinde, non magis illustrem, quam arduam atque difficilem, Bononiæ legationem per ipsum administravit; quam ille diligenter summaque Pontificis cum approbatione obivit: in multis præterea gravissimis honestissimisque muneribus ac negociis, est ejus consilio atque opera usus; quam sibi semper opportunam ac fidelem invenit. Atque, Urbano extincto, nihil propius est factum; quam ut in illius locum subrogaretur. Erat enim summa eorum voluntas, qui magnam in illis comitiis auctoritatem habebant, nisi ætas hominis, adhuc viridis, ob recentem ejus Pontificis memoriam, qui unum & viginti atque eo amplius regnaverat annos, eum procul ab illo fastigio habuisset, quod videbatur (ut habebat quorundam sermo,) non minus diuturnum illius imperium fore, quam Pontificis nuper extincti fuisset. Tanquam si gravissimum laboriosissimumque omnium onus ac munus, decrepitis tantum ac capularibus senibus sit demandandum, quorum corpus, annis infirmum, tot laboribus subeundis par esse non potest; vel, tanquam si virtus, in juvenili ætate inventa, non sit regendis imperiis idonea. At ille prudentiæ, vigilantiæ, probitatis, virtutumque omnium laudibus, jam pridem tanto fastigio maturus extiterat; nunc autem, cum conscientia optimæ mentis, tum usurpatione doctrinæ (habet enim apud se, excultissimos literis viros,) hilaris ac jucundus, Signaturæ justitiæ Præfectus, summam dat operam, ne quid detrimenti, justitia, improborum hominum astu, accipiat. Jam vero, ut omissis ceteris fratribus, de quibus alius fortasse dicendi locus se dabit, ad Marcellum veniamus; qui ingenii acumine, animi magnitudine, rerum usu, doctrinæ non vulgaris præstantia, dignus est, cujus imago consuetudinis ac vitæ, literarum præsidio expressa, omnis

omnis posteritatis memoriæ commendetur. Hic Romæ, anno cIↃ IↃ LXXXVI natus, quum sacro Baptismatis fonte ablueretur, susceptorem, vel patrinum, ut nunc vocant, sortitus est Jo. Baptistam Cardinalem Castaneum, qui postea, Urbani VII nomine, factus est Pontifex; qui patri multis audientibus dixit, semper se id patrini munus refugisse, neque voluisse cuiquam baptizato sponsorem accedere, nisi duobus, infantæ Isabellæ, & Marcello Sacchetto; cui Marcelli nomen indidit, ex Ecclesiæ nomine, cujus titulo cognominabatur. A teneris, ut Græci ajunt, unguiculis, maximam habuit indolem ad picturam, ut sine aliqua magistrorum ope, non inscite neque ineleganter multa suo marte delinearet describeretque, nonnulla etiam coloribus ornaret ac vestiret. Atque, ut audivi dici, plures ejus tabulæ proferuntur, in quibus amœnissimarum regionum situs, collesque arboribus vestiti, ac liquoribus perlucidis fontium irrigati, egregie sua manu depicti, cernuntur. Quod si hominibus nobilissimis laudi datum esset, quod pingerent, proxime ad eorum famam accessisset, qui feruntur in primis; at ille, majoris gloriæ cupidus, hanc aliis recte pingendi laudem honoremque concessit, & solum, cum libebat, cum erat commodum, pingebat, eaque honesta oblectatione multas animi solicitudines curasque ponebat. Sed mirum ac singulare, quod in eo vigebat, ingenium, incredibili poësis amore studioque flagrabat; in quo admirabilis extitit, atque versibus Etruscis fabulam scripsit, quam etiam in nuptiis Thaddæi Barberini & Annæ Columnæ, populo spectandam præbuit; præterea volumen Etruscarum odarum, Francisci Petrarchæ carminibus par mole, confecit, in quo, qui viderunt, enarrant licere conspicere, quantum vir ille ingenio, eruditione, ac poëticæ artis facultate præstiterit. Omnino, in illud genus eum, Joannis Casæ, quem ceteris præferebat, magnificum atque præclarum poëmatis genus, natura ducebat, quod etiam feliciter imitando effingebat exprimebatque. Verum, tanta vis virtutis & ingenii, primo, totis sex mensibus, peregrinata, abfuit ab urbe domoque, ac totam fere peragravit Europam, atque Gallos, Hispanos, Germanos, Ba-

tavos, Anglos, est circumvectus, regali propemodum sumtu. Nam in tabulas, quas conficiebat, retulit, in hoc itinere multa aureorum millia fuisse expensa. Est etiam occasionem nactus, quam arripuit, plures, in illis exteris regionibus, viros principes adeundi, ac perpetua sibi amicitia usuque conglutinandi; a quibus est perhumaniter exceptus, & officiis beneficiisque maximis exornatus; plures etiam insignes doctrina & eruditione viros, quorum nomen, libris editis, tota erat Italia celebratum, arcte sibi conjunxit, ad quos, incredibili discendi cupiditate incensus, tanquam ad fontes adibat, unde, qua æstuabat, sitim expleret. Rebus domesticis, atque familiæ universæ, præfuit, eaque animi magnitudine ac magnificentia domum suam instructam habuit, ut etiam equos & canes venaticos aleret, qui principum virorum aliorumque venationibus usui essent. Neque ulla alia in re ita cum aliquo, quam beneficentia ac liberalitate certabat; neque rei cujusquam rationem minus habebat, quam pecuniæ, si in amico, qui ejus esset egens, insumeretur; ac lucrum sibi esset objectum existimabat, si qua amico commodandi occasio sese dedisset. Quo fiebat, ut non solum expetitus ac rogatus, dubiis, egenis, ac pene perditis aliorum, inopum in primis, rebus, cum posset, opitularetur, verum etiam ultro, nec postulatus, se illis inferret, ac rationem, qua faciles, expeditæ, opiparæque redderentur, offerret. Atque ex eo sæpe auditum est, cum diceret, nunquam se diem perdidisse, quo die, afflictis miseri cujuspiam rebus, consilio, opera, ac re ipsa, præsto esse potuisset. Cujus liberalem ac munificum animum Jo. Baptista pater admirans, cum caput illi, ut parentes, liberorum studiosi, faciunt, demulceret, iis, qui aderant, diceret, in eo, filii sui, capite, multos Reges inesse. In pauperes vero quatenus liberalitate progrederetur, satis est, unum ejus factum afferre, ex quo licet intelligere, non solum in illos liberalem eum, verum etiam profusum ac prodigum extitisse. Narravit mihi testis locupletissimus, qui ipse vidisset, non autem ex auditu argueret; cum Sacerdos quidam ex Cong. Oratorii Romani, a S. Philippo Nerio instituta, Ludovico nomine, subsi-

di-

dium a Marcello nummarium, ad præsentem inopis cujusdam calamitatem sublevandam, expeteret. Erat Ludovicus hic, quem dico, singulari in pauperes Christi amoris fama præclarus, ut id unum dies noctesque studeret, quomodo eos, quibus egestas imperaret, ab inopia auferret. Hic, inquam, cum, die quodam, insignis cujusdam pauperis necessitatibus, præsenti pecunia, esset occurrendum, ac non modo in suis nullis nummis, sed etiam in magno ære alieno inveniretur, a Marcello, cujus eximiam in se atque in pauperes liberalitatem fuerat expertus, scuta sexcenta mutua petiit, cum antea ejus postulati causam exposuisset. Cui Marcellus: Deus bone, inquit, quid tibi venit in mentem, a me mutuum petere? quasi ego soleam mutuitanti aliquid credere, ac non potius pecunias meas fœnori locare? Fœnori, ait Ludovicus, quoniam fieri aliter non potest, & quavis usura accipiam. At, scin', respondit Marcellus, quid sit pecunias fœnerari? eas est pauperi dono dare; nam qui dat pauperi, fœneratur. Eademque opera, multo plus quam ille poscebat, enumeravit. Longum esset, sigillatim omnia, quæ in hoc genere benigne ac liberaliter fecerit, enarrare, cum, ceteris in rebus, interdum parcus inveniretur. Neque minorem maximi regalisque animi significationem exhibuit in villis ædificandis. Etenim unam ad Ostia Tiberina mari proximam excitavit, amplitudine magnificentiaque cum veterum Romanorum villis conferendam, quam, egregiis signis ac picturis, summorum artificum manu elaboratis, ornavit. Cujus præceptis ibidem Petrus Cortoniensis prima fere picturæ rudimenta posuit: ille enim argumenta dabat, ille rationem ostendebat, qua graphice ea, quæ essent coloribus illustranda, describerentur. Quid multa? ejus nunc opera institutisque Petrus in summis pictoribus numeratur. Alteram etiam magnificentissimam fundavit villam, Urbi proximam, edito amœno ac salubri quodam loco, valli imminentem, quam vulgo, credo, quia magnam depressa in altitudinem est, infernum appellant; quam non potuit absolvere; sed Matthæus frater perficiendam absolvendamque nunc curat; ubi Petrus idem pictor, qui jam

ma-

maturitatem adeptus est suam, & Marcelli memoria, & Julii Card. fratris ejusdem gratia, quantum pingendi artificio valeat, totum expromit. Sed, præter agricolarum artem, vel potius voluptatem, quibus ille mirifice delectabatur, nec minores inde fructus percipiebat, præter mercaturæ rationem, cui eo tempore, ex more Florentinæ nobilitatis, studium suum, dabat. Urbanus octavus Depositarium Cameræ Apostolicæ & sanctioris ærarii Quæstorem eum fecit, idque sponte sua, & a nemine rogatus: præter, inquam, has artes, erat sciens Reipubl. multumque consilio atque prudentia in iis, quæ ad eam recte gerendam pertinent, præstitit. Quo fiebat, ut magno apud eundem Urbanum esset in amore & gratia, & arcanorum multorum conscius: neque alius fere quisquam erat, cui majorem rerum suarum fidem haberet, neque, cui libentius consilia fere sua omnia crederet. Quam egregiæ suæ fidei opinionem, adversus eum eosque qui tum imperabant, non alia re magis tuebatur, quam, nihil sibi suisque petendo, fideliter diligenterque mandata faciendo; neque unquam imperavit ipsemet sibi, ad colligendam hominum potentiorum gratiam, quidquam assentari, sed aperte ac modeste, quidquid esset in unaquaque re, quæ in deliberationem veniret, vitii vel incommodi, aperiebat; neque, si quempiam, cui alia mens esset, offenderet, quidquam pensi habebat; adeo erat diligens veritatis. Denique omnibus in rebus, alti, præstantis, ac liberalis animi signa præbebat: atque in negotiis gravissimis, nactus est occasionem, de Leopoldo Archiduce Austriæ bene merendi; apud quem, Pontificis jussu atque mandato, multa sæpe tractaverat. Itaque facile fuit Marcello, sua, in agendo, dexteritate atque prudentia, viri illius principis animum sibi ac studium adjungere. Sed momento pene temporis, ex optima valetudine, gravissimum incidit in morbum, unde cernendi audiendique omnem ferme vim & facultatem amisit. Hujus tam repentini morbi causam sustinuisse, quidam ajebant, illius ardens, in negociis, a Pontifice sibi commissis ac traditis, rite expediendis conficiendisque, studium ac solicitudinem. Nam, dum ille, nulla valetudinis suæ habi-

bita ratione, fere quotidie, hyeme summa, imbribus maximis, sermones cum eo ad multam noctem produceret, ac statim deinde e loco calido in aërem frigidissimum exiret, fit verisimile, ut lethalem illam pituitam contraheret, quæ a capite in aures defluens, earum aditus obstrueret, ne aliorum in ipsas dicta commearent; tum vias, ab oculis ad animum perforatas, occluderet. Sed, quæ animi illius magnitudo ac splendor in contemnenda pecunia, atque in rebus humanis omnibus pro nihilo habendis, eluxerat, eidem, in tam dubio difficilique morbo, æquo animo perferendo, prorsus enituit; ac ne minimum quidem unquam de fortis ac constantis viri gravitate, ac de sua in Deum fiducia decessit. Quamobrem, de medicorum sententia, coactus est, Neapolin se conferre, atque a calidis Puteolanis aquis auxilium expetere; quarum ope quamvis a principio, paululum visa sit vis morbi consistere, paulo post tamen eo impetu in totum corpus cursum cœpit arripere, ut cunctos, qui aderant, cogeret, illius salute spem omnem abjicere. Sed cum majore periculo in dies esset, a Priore Navo factus est certior, supremam ipsi vitæ horam instare; & simul admonitus, ut, si res posceret, æternæ suæ saluti prospiceret. Quo nuncio accepto, nullum perterriti, nullum commoti animi, signum dedit, sed dulcissimis amplexibus, & gratiarum actionibus, eum excepit, quod veri ac fidelis amici munere functus esset. Ac statim ad Franciscum Card. Barberinum, ad fratres, aliosque, literas dedit, plenas amoris, elegantiæ, officii. Habebat hoc etiam a natura, ut animi sui sensa, diserta, copiosa, & propriis aptisque verbis rem explicanti oratione, ut quivis alius, exprimeret. Quibus actis, fortiter ac viriliter animam Deo, a quo acceperat, reddidit, in complexu viri nobilissimi sibique amicissimi, Jo. Caroli Gavotti Savonensis. Qui officii amicitiæque eum causa, Roma egredientem, Neapolin usque fuerat prosecutus. Defunctus amplo magnificoque elatus est funere, prosequentibus amicis Neapolitanis, qui mœrore, quem vultu præ se ferebant, suam in illum benevolentiam significabant.

VII. STE-

VII. STEPHANUS TUCCIUS.

QUa ratione comparatum sit nescio, ut nemo fere, pluribus in studiis harum artium maximarum, perfectus & absolutus existat, sed bene cum illo agatur, si cum omnia conatus fuerit, sit in earum aliqua princeps. Multos inveni, eo ingenii acumine præditos, ut, cum se mente & cogitatione in aliquam scientiam conjecissent, quæcunque in intimis ejus penetralibus abdita atque constructa continerentur, mentis acie scrutarentur, ac cernerent; ubi vero se ad ea verbis explicanda conferrent, continuo se ab eloquentia deseri, faterentur, eaque, quæ acute invenissent, diserte eleganterque tractandi aliis laudem, sua confessione, concederent. In hoc fortasse numero reponendus est Socrates; qui, cum Philosophiam, e cælo deductam, in hominum cœtus transtulisset, literam ipse nullam, ut ajunt, scripsit, sed suos sermones, Platonis, omnium ejus ætatis eloquentissimi, scriptis, immortalitati mandandos reliquit. Virgilius, summus, omnium concessu, quibus recta mens constat, Poëta, si pascua, si rura, si bella, versibus canenda suscepisset, facile omnes superabat; si vero præstantissimum ingenium ad dicendum contulisset, indisertus ac plane inscius inveniebatur. M. Tullius Cicero, cui tanta eloquendi vis inerat, ut antea avibus cantus, fontibus aquæ, defuturæ viderentur, quam ipsi verborum flumen ac copia; cum poësin conaretur attingere, qui aliud assequebatur, nisi ut de se ludos inimicis daret? qui ejus identidem versus ad irridendum arripiebant. Sed istuc magis ab illis lingua, quam animo, dictum fuisse, percipio: nam versus illius sunt, ut mihi videntur, lepidissimi nitidissimique, pace D. Hieronymi dixerim, qui M. Tullium vim Græci sermonis, in vertendo, parum feliciter assecutum fuisse contendit, quos e Græco in Latinum convertit: me enim magna quadam voluptate, cum lego, afficiunt; tum, quia perspicui, tum quia dulces, meum sese in animum fundunt. Quod mihi non contingit in iis, qui hanc bene interpretandi laudem suam esse propriam, ajentes,

ita

ita perplexe, ita insuaviter, ita inamœne loquuntur, ut celeriter fastidio & satietate a se homines abalienent. Fitne verisimile, ut Græci sermonis proprietatem ignoraverit ille, qui navigarit in Græciam, qui a Græcis doctoribus declamare didicerit, qui, ut ab illis corrigi & doceri posset, commentabatur, Græce declamitans, qui ex longo usu & exercitatione ita Græco sermone uteretur, ut in ea lingua natus & educatus esse videretur? Sed D. Hieronymus a communi consuetudine usuque hominum se abripi sivit, qui nolunt eundem pluribus rebus extollere. Utinam, quæ isti parum feliciter ab illo ex Græcis Latina facta cavillantur, omnia existerent; profecto, ita illis essem contentus, ut meliora non quærerem. Sed ad illud caput revertamur, unde tota hæc fluxit oratio. Omnino queri posse videtur de natura sua genus humanum, quod industriæ hominum certos quosdam fines præscripserit, intra quos, in artium maximarum studiis persequendis, sese contineat, nec progredi longius queat. Vix enim Jovi concessum esse, veteres ajebant, ut in pluribus eorum ita præstet, ut sit omnium, qui in unoquoque sigillatim elaborarunt, facile princeps. Quid verbis opus est? At deterrenda hominum ingenia, ne in plura studia distrahantur, negant, fas esse cuiquam, pluribus in artibus excellentem evadere; sed debere unumquemque ad earum aliquam, ad quam a natura factus sit, sese conferre, in eaque omnes ætatis industriæque conatus collocare. Verum, si cuipiam nostra ætate contigit, ut, non unius tantum, sed plurimum doctrinarum laude, peræque floreret, haud scio, an alius proferri possit, qui felicius sit id assecutus, quam Stephanus Tuccius, Siculus, e Soc. Jesu. Hic, mirum est, quantam quamque perfectam disciplinarum pene omnium, ingenii docilitate, sit scientiam cognitione complexus. Primum, longe multumque præstitit sacrarum divinarumque rerum studio, quod Theologia appellatur a nostris; quo studio vera, nec obscura, quantum homini fas est, Dei notitia percipitur: tum, ingenii acumine, prout Siculus; tum disserendi subtilitate, cum esset, in capiendo adversario,

mire versutus; tum ea, quæ ipse didicisset, alios docendi facilitate, quia in rebus penitus a se perspectis ac cognitis versaretur. Sed in ea præcipue Theologiæ parte excelluit, quæ rationem hominibus ostendit, qua animum a peccatis, quorum conscientia constricti tenentur, expediant, ac saluti ipsorum in perpetuum consulant. Itaque magnum onus, a Superioribus sibi suis traditum, sustinebat, iis respondendi, qui ejusmodi de caussis consultum eum venissent. Tum princeps erat ex illis, qui in literis periculum eorum faciunt, qui aut Ecclesiasticis sacris initiandi, aut ad aliquod munus admovendi; sive illud animarum sive aliquam aliam curam ac solicitudinem haberet adjunctam: ab eoque puerulus, annos natus non amplius decem, cum ad Ecclesiasticos ordines mihi aditum, quem primam tonsuram vocant, aperiri poscerem, sum probatus, an literas scirem: quod eo memini magis, quoniam eodem pene temporis momento, quo in me periculum facturus erat, maximo viscerum dolore abreptus est, ut haberent necesse, qui aderant, in proximum ibi cubiculum eum inter manus deferre, ac pro se quisque sedulo facere, quo eam illi molestiam leniret. Erat in primis a philosophia instructus, tum ab ea, qua, mentis acie, rerum omnium vis & natura perspicitur, tum ab ea, quæ de moribus est. Concionator numerabatur in primis; sed versatus est in quodam genere, severo, gravi, & ad commovendos animos apto, atque ab ineptiis sententiarum, fucoque puerili, omnino abhorrenti. Eripiebat illi concursum populi F. Franciscus Panicarola, qui aliud orationis sectabatur genus, lætum, exhilaratum, amœnum, profluens, omnium sententiarum verborumque luminibus conspersum, verba aperte transferens, paria paribus referens, adversa contrariis, sæpissimeque similiter extrema definiens, quique tum temporis maxime placens, in suggestis, in concionibus dominabatur. Atque ego, etiam tum puer, in æde nominis Jesu, domui professæ, suæ Societatis, ubi tum conciones ad populum habebat, illum audivi, cum graviter vehementerque in eos interpretes rerum divinarum invehe-

ret,

ret, qui, picta atque omni florum varietate conspersa oratione, imperitæ multitudinis aures demulcere conabantur. Quid enim aliud esse, verbum Dei adulterare, nisi eodem pigmentis prope meretriciis delibuto, ad famam eloquentiæ aucupandam, ad inanes vulgi rumores colligendos, ad hominum sibi studia concilianda, denique ad sua commoda & utilitates, abuti? Neque illa acri ac vehementi incusatione aliquid proficiebat. Nam simul ac erat auditum, illum, quem non erat obscurum, ea oratione designari, verba esse facturum, maximi ad eum concursus fiebant. Adfui etiam, cum, sumta occasione ex Alexandri Cardinalis Farnesii morte, quæ omnibus improvisa acciderat, quod antea nulla de ejus ægrotatione fama exisset, tanto animi ardore, tanta vi vocis & orationis, cœpit de hominum vitæ brevitate, de rerum humanarum inconstantia, de fallaci hominum spe, de inanibus nostris contentionibus, de divini judicii severitate, ad quam nobis veniendum esset, e qua nulla nos vis posset eripere, non magnitudo divitiarum, non splendor generis, non amplitudo honorum, non Demosthenis, non Ciceronis eloquentia, sed tantum, recte factorum dictorumque conscientia, salvos ab ea esset præstitura; atque de aliis ejusmodi rebus; tanta, inquam, vi cœpit disserere, ut omnes, qui aderant, vehementer commoverentur, nec lacrimas tenerent. In aliis vero humanissimis liberalissimisque studiis, Latinæ videlicet eloquentiæ ac poësis, sic eminebat, ut difficile sit judicare, in utra earum majorem sit laudem assecutus. Multas scripsit orationes, multas habuit; in his duas, De Christo pro nobis crucis morte affecto, in Sacello Pontificio, ad Gregorium XIII, Pont. max. ni fallor; quarum illa, quæ est brevior, tantam habuit commendationem, ut sit omnibus magistra, qui in illo augustissimo orbis terræ theatro, apud Pontifices max. & amplissimum Cardinalium Senatum, sunt verba facturi. Ad poësin vero, difficile memoratu est, quantum a natura instrumenti habuerit. Nam poëticam locutionem, tanquam mollissimam ceram, quocumque vellet, torquebat, ac flectebat. Tria (quod quidem ad

notitiam meam pervenerit) ex sacris literis argumenta desumta, & elegantissimis versibus comprehensa, deduxit in actus, & populo ad spectandum proposuit. Primum, supremum illud judicium, in quo Filius hominis, cui omne judicium dedit Pater, ab omnibus, qui sunt, qui fuerunt, quique futuri sunt, rationem vitæ reposcet; tanto rerum apparatu, tanta actorum multitudine, ut omnes, quotquot tunc erant in Seminario Rom. in cujus ædium aula nobile illud drama dabatur, sive clerici sive contubernales, quos convictores appellant, actores adhiberentur, atque omnes principum virorum suppellectiles, ad eosdem exornandos, exhaurirentur, itaque Cives Rom. qui nullum, ante illud tempus, spectaculum tale conspexerant, amentium similes, se domibus suis proriperent, & illuc accurrerent, ut spectaculi illius specie, quam majorem esse, quam erat, mente conceperant, oculos pascere, & animum saturare liceret: atque ejusmodi erant hominum concursus, ut, ad turbam cohibendam summovendamque, nullæ Helvetiorum, nullæ aliorum militum, custodiæ sufficerent. Verum, quia in iis comparandis, quæ sunt ad scenam necessaria, &, actoribus exercendis, multum temporis necesse est ponere, quod totum studiis eripitur; dicitur Gregorius XIII Patribus Soc. Jesu, quorum erat studiosissimus (ut videre licet ex Gymnasio, quod, regali sumtu magnificentiaque, illis exstruxerat,) auctor fuisse, ut ejusmodi inutilibus laboribus ac solicitudinibus parcerent, quibus nihil ipsis, nisi comœdorum nomen parent, & pueris, quos in disciplinam accepissent, facultatem præberent, quæ a literarum studiis avocarentur, quibus maxime necesse esset eos operam dare. Deinde, alia duo dramata pulcerrima spectandi copiam fecit; Juditham, & Christi Nativitatem; quorum exempla sunt apud me domi. Sed, quamvis ea, quæ diximus, egregia, præclara ac summa, in ejus virtutibus numerarentur, alia etiam inerant, illis longe superiora; immo, sine quibus illa propiora sunt vitiis quam virtutibus: singularis videlicet probitas vitæ, ac sanctitas morum; quibus, summis etiam Pontificibus, erat

erat admirabilis ac metuendus. Quorum unus, cum ad Pontificatum max. esset evectus, ejus fortasse consiliis (nam intimum eum sibi habebat) adductus, statuisset, summum illum honoris gradum, ad veterum sanctissimorum Pontificum exemplum, & ad veram ecclesiasticæ disciplinæ normam administrare, ac, ne nummo quidem uno, cognatos, ex bonis Deo dicatis, locupletiores efficere; nullo ferme negocio id se consecuturum esse putavit, si mortis memoriam suo ex animo nunquam passus esset excidere. Itaque aridum demortui cujusdam hominis caput, suum in cubiculum deferendum curavit, in quo cum defixos oculos & intentam suam cogitationem haberet, ad nullam animi pravitatem, nec ad aliquem insanum erga suos amorem delaberetur. Atque integrum biennium in hac mente consilioque perseveravit. Quod cum minus iis probaretur, qui jam auri montes, regna, & imperia spe ac cogitatione devoraverant, atque P. Stephani consiliis de sua spe deiici arbitrarentur, dederunt operam, ut illum a Pontificis familiaritate abstraherent. Neque eorum artibus alius, atque ipsi optaverant, exitus contigit. Nam paulatim sensit Pater, omnes sibi ad Pontificem aditus interclusos, atque obstructos penitus esse: nec solum lubenti, sed hilari etiam passus est animo, eam sibi molestiam adimi, qua a suis studiis non minimum avocabatur; atque in Tusculani Residentiam, quam vocant, se abdidit, ibique ferme statuerat summo in ocio ac tranquillitate, quod reliquum erat vitæ, conficere; sed, cum die quodam Pontifex, qui in Tusculanum, animi gratia, secesserat, ad eum venisset, eumque humanissime salutasset, ille, ut Pontificem ad se venientem aspexit, processit illi obviam, atque ea libertate, quam spiritus illi dabat (nam ubi spiritus, ibi libertas) magna voce, ait: Bene ambulabas; quis te fascinavit? palam illi exprobrans, quod Rempubl. alio, atque statuerat ac primo capesserat, animo gereret. Ne multa, dignum factis ac moribus suis vitæ exitum habuit, hoc est sanctissimum, ac Dei oculis, cui nullum majus, morte Sanctorum, spectaculum est, gratissimum jucundissimumque, ac simul, ad sensum,

acerbissimum; nam in Collegio Rom. pene interclusione animæ, vitam finivit. Tumor enim quidam ex vitiosis humoribus, in posteriori colli ejusdem parte conflatus, cum in dies magis excresceret, nec ad eam vim humorum excipiendam, pellis colli sufficeret, adeo eam, quæ gutturi inhæret, ad se attraxit, ut fauces illi præcluderet, ac demum, sua malignitate, vitam adimeret. Defuncti cadaver pollinctores, acerrimo cutique hærenti præcinctum cilicio, invenerunt. Addunt ad ea, quæ diximus, quidam ex eadem Societate, quibus pulcre ille erat cognitus, incredibili eum lætitia fuisse perfusum, cum audivit, se fuisse receptum in Societatem; a qua plura ipsum repellere videbantur; primum, ætas adhuc mollis, nec satis illi matura, cum vix decimum septimum ejus annum attigisset; tum, humilitas generis, cum in obscuro, Monsort, Mamertinæ diœcesis oppidulo, ex infimæ sortis parentibus ortus esset; tum, aspectus paulo horridior, qui ab se homines abalienaret; tum, mores invenusti, quique rus merum olerent. Sed vicit hæc omnia, egregia adolescentis, ac pene pueri, ad virtutem indoles, ingeniique ad omnes res summas nati, qui in eo eminebat, splendor ac dignitas. Receptus in Societatem, totos sedecim annos, in tradendis eloquentiæ præceptis, & instituendis ad omnem humanitatem adolescentibus, contrivit. Quo etiam tempore, omnes per se Philosophorum fontes est persecutus; unde tantam doctrinæ & eruditionis vim hausit, tum in sacris tum in prophanis literis, ut omnium sui temporis eruditorum famam æquarit; adeo, ut P. Alphonsus Salmeron, in quo maximum Societati Jesu constituitur ornamentum ac decus, in rebus dubiis, ac difficilibus, per literas, sententiæ & opinionis ipsius vellet fieri particeps, eique, tanquam Apollinis oraculo, fidem haberet. Biennium Romæ Theologorum scholas frequens adivit, neque in excipiendis iis, quæ a magistris dictarentur, operam sumebat inanem; neque rivulos, ut plerique faciunt, consectabatur, sed rerum controversarum summis memoriæ mandatis, ad eos, qui doctissimis suis disputationibus diligentissime res illas

ex-

exagitassent, tanquam ad caput, unde universum flumen erumperet, se conferebat; tantumque ea exercitatione profecit, ut iis, ad quorum nutum omnes vitæ suæ rationes accommodatas habebat, habitus sit idoneus, qui Patavii, in urbe omnium disciplinarum magistra, Theologorum præcepta doceret, iisque, in illis tradendis, succederet, quorum admirabilis extitisset industria. Neque opinionem, quæ erat de ipso, fefellit. Nam, ita munus istud obivit, ut disputatio de Deo trino & uno, ab auditoribus suis excepta, ac literis consignata, typis, inscio ipso, mandaretur. Quod vero ad pœnas attinet, quas in se ultro suscipiebat, præter id quod diximus, insuper ea narrantur: eum, a certo quodam tempore, vestes, quas semel induisset, nunquam deposuisse, nisi cum vellet flagris se cædere; quod singulis noctibus ea acerbitate sævitiaque faciebat, ut flagellum sæpius a scapulis ad pedes, ac rursus a pedibus ad scapulas recurrens, nullum corporis locum, a verberibus vacuum & immunem, relinqueret; thoracem ex cilicio, nunquam, ne febri quidem urgente, abjecisse; nudis asseribus, vili involutum lodice, noctu somnum capere consuevisse; ad quem conciliandum, quia incœnatus cubitum ibat, sorbitionem ex insuavi olere decocto adhibebat; quam vini haustus sequebatur; præterea somno non plus tribuisse, quam quinas singulis noctibus horas; totidemque, experrectum, precibus, in medio cubiculo nixum genibus dedisse. Incredibili fertur fuisse patientia, in corporis doloribus perferendis; cujus patientiæ eximium, in ea massa toleranda, specimen edidit, quæ illi circa cervices, ad capitis humani magnitudinem excreverat; quæ ne mole sua caput deorsum attraheret, ligneis ac ferreis fulcris erat sustentanda; ac ne compressa tetros cieret dolores, nova semper somni capiendi ac quiescendi ratio & status excogitandus; &, quoniam tumore nimio fauces, quas comprehenderat, ita in arctum angustumque deduxerat, ut omnem cibo ac potioni in stomachum aditum intercluderet, ne ille vita deficeret, calidorum panum fumo & coctarum carnium nidore nutriendus.

VIII. GABRIEL ZINAMUS.

Regium Lepidi, tum agri amœnitate fertilitateque, tum viarum & ædificiorum numero ac magnificentia, tum hominum ingeniis, ad omnes artes pulcerrimas aptis, tum civium opibus, divitiis, ac generis nobilitate illustrium, copia, nobilissimas inter urbes Italiæ refertur, neque postremum inter eas locum ac numerum obtinet. Quid mirum est igitur, si fere semper aliquos ex sese, præstantes ingenio & eruditione, viros ediderit, qui suæ patriæ, atque adeo Italiæ universæ, essent ornamento atque splendori? Atque, ut de aliis ætatibus taceam, patrum memoria, in Juris civilis scientia Ruiuam habuit, (quamquam aliæ etiam Civitates eum sibi vendicent;) tanta ejus artis notitia præditum, ut totius terrarum orbis oraculum haberetur; tum Q. Marium & Marcellum Corrados fratres ea urbs tulit, in quibus omnis veteris eloquentiæ cultus ac nitor elucet, in quibus omnis Græcæ Latinæque eruditionis thesaurus, tanquam in arca, concluditur. Nostra autem ætate, plures ab ea prodierunt, qui Etrusco sermone elegantissime, tum soluta oratione tum versibus, scripserint. E quibus eos tantum enumerabo, quibuscum aliquis mihi amicitiæ usus necessitudoque intercessit; Gabrielem videlicet Bombasium; cujus etiam imaginem ingenii, in prima Pinacotheca, quod in me fuit, expressi; & Alphonsum Fontanellam Marchionem; & hunc, quem ego oratione mea, quasi coloribus, conor effingere, Gabrielem Zinamum. Hic igitur, honesto genere natus, nam Comitis dignitate tituloque erat ornatus; suum omne, ab ineunte ætate, studium contulit ad Philosophiam, atque ad has humanissimas ac liberalissimas artes. Sed præsertim poëticæ facultati, ad quam, a natura, magna adjumenta se habere sentiebat, operam dedit, in eaque sese continuit; multaque scripsit eleganter, atque egregium inprimis poëma de Christi Domini cruce, ab Heraclio, de Persarum manibus recuperata: in cujus rei argumento versabatur etiam Franciscus

fcus Bracciolinus Pistoriensis: quod cum ille jam paratus esset edere, sed diem ex die duceret, antevertit Bracciolinus, qui prior suum typis excusum emisit, ac magnam apud omnes laudem ac plausum reportavit. Neque ea res mediocriter hominem perculit; atque eum ego audivi in loco, ubi Academia Humoristarum habebatur, cum suum illud volumen gestaret in manibus, socordiæ se desidiæque accusaret, quod in orbis terræ theatro, dilatando protrahendoque, primum in scena locum, sibi alterum passus fuisset eripere; dicebatque, sibi esse in animo, id poëma, cujusmodi illud esset, typis mandare, & in vulgus emittere: sed id, quod cogitaverat, non perfecit; credo, quod vereretur, ne, ubi exempla conferrentur, verborum sententiarumque luminibus, suum, ab illius carmine, opus superari judicaretur. Sed utut sese res habeat, illud certum est, nunquam ex domesticis parietibus, ubi tanquam in tenebris latebat, emersisse, atque in lucem prodiisse. Dicitur, etiam tum juvenis, in Germania fuisse. Erat altero oculo captus, vel saltem eodem, minus commode utebatur; sed judicii acumine præstans, tum in notandis animadvertendisque vitiis prudentissimus. Verum, tanta in eo modestia aderat, ut ii, quorum scripta, in ipsius judicantis arbitrium venerant, non offenderentur, sed singulari beneficio se ab eo esse affectos existimarent, de eoque gratias agerent. Nihil in ejus moribus deprehendisses, quod ad reprehendendum arriperes; nullum ex ejus ore verbum exibat, nisi honestum ac grave. Neminem contemnebat; nemini se præponebat.

IX. JO. BAPTISTA SPADA.

Clarissima ac nobilissima Etruriæ urbs Luca, adeo intra suos fines, tanquam intra quædam vincula, libertatem habet inclusam, ut omnes eidem, ad egrediendum, vel aliis ad eam oppugnandam, atque de sua sede exturbandam, obsepti atque interclusi sint aditus. Atque adeo cives sui æquo jure omnes esse jubentur, ut hostium loco habeantur, qui æquitatem communis juris,

ris, aut præstantia dignitatis, aut divitiarum opumque magnitudine, transire contendant, atque hæc satis justa causa esse videatur, cur publicatis ipsorum bonis, e Republ. ejiciantur, aut capite, temeritatis audaciæque pœnas debitas gravesque persolvant. Quo fit, ut civibus illis ab omni, de Republ. perturbanda, contentione exclusis, summa pax ociumque contingat. Quod ocium, cum nihil aliud inveniant, in quo honeste consumant, totum a primis ætatis temporibus, aut in mercimoniis comportandis avehendisque collocant, quo civitas sua omnibus iis rebus affluat, quæ sunt ad vitæ usum necessaria, aut in liberalissimis artibus studiisque consumunt. Ac plures eorum, qui liberalibus se disciplinis dediderunt, imagines huc possim referre; sed, quo aliis etiam sit locus, ceteris prætermissis, iis tantum hujus Pinacothecæ paginas, quasi parietes, vestiam atque ornabo, quorum ingenii formam, magis quam aliorum, comprehensam animo ac perceptam intelligentia detineo. Atque inprimis se offert Jo. Baptista Spada I. C. In quo, erat ambiguum, utrum magis ipsius Juris scientia, cujus tum erat princeps, an fides & animi moderatio, laudaretur. Nam primum, tanta ac tam promta ejus erat, in agendo & in respondendo, celeritas, subtilitas, ac diligentia, ut, qui in suis cum causis posset habere, nullius alterius advocati industriam patrociniumque requireret. Ejus vero fides, simul ut versari in foro & causas agere cœpit, ita eluxit, ut etiam, qui inimico inter se animo essent, & aperte inimicitias exercerent, utrique, in maximis atque gravissimis de jure controversiis, eum sibi advocatum eligerent, neque, aliqua cujuspiam amicitia ac gratia, se posse ab eo decipi ac prodi, vererentur. Tanta ac tam constans, in animis omnium, ejus fidei ac probitatis opinio insederat. Itaque eodem tempore, Alexandro Cardinali Montalto, & Petro Cardinali Aldobrandino, operam dabat, inter quos, ob privatas quasdam discordias, non bene conveniebat, sed alter alteri adversabatur; ac rursus, Cardinalis ejusdem Aldobrandini, & Scipionis Cardinalis Burghesii, causas suscipiebat: ac postremo etiam vitæ suæ

fuæ tempore, ejus operâ pariter utebantur, Cardinalis Burghesius & Ludovicus Cardinalis Ludovisius, qui non conjunctissimi vivebant, sed perpetuo inter se dissentiebant. Etenim quivis eorum, maximam eidem rerum suarum fidem habebat. Fuit apud Clementem VIII, Paulum V, & Gregorium XV, Pont. max. magno in amore atque existimatione, ut etiam Paulus V habuerit in animo, Datarii illi partes demandare; sed, ne id perficeret quod cogitaverat, fuit impedimento surditas, qua ille laborabat; id illi vitium honorem illum, aliosque etiam majores, eripuit. Conatus est etiam, Thesaurarii generalis provinciam, quod munus est venale, eidem, deducta tertia, divendere; sed ille recusavit emere, quantumvis sub ea conditione emeret, si vellet, ut si intra quinquennium vita decederet, nihil de precio amitteret, sed integrum illud, cui vellet, testamento, legaret. At ille non putavit esse tanti, unico pene temporis momento amittere, quod tot annorum laboribus comparsisset. Nec minimam ejus animi moderatio laudem meruisse existimanda est, quod maluerit intra communem privatorum hominum conditionem se continere, quam eam, præstantia honorum ac dignitatis, excedere. Adfui olim ego, cum ille, tanta apud omnes homines existimatione ac nomine, tanquam si esset unus quivis e populo, in argentariam quandam veniret, atque ab argentario, non arrogantibus sed demissis verbis, rogaret, ut sibi pauxillulum illud nummorum conficeret, quod reliquum apud ipsum erat de ratiuncula Gherardi, fratris sui, qui postea Antonio Barberino, Cardinali S. Honuphrii, Urbani VIII, Pont. max. fratri, cognitionibus fuit; neque aliis cognomentis aut titulis fratrem afficeret, nisi iis, quibus infimæ etiam sortis homines affici solent. Ut satis, ex ea Repub. eum ortum esse, constaret, in qua vetitum, ac capitale propemodum est, se aliis superiorem efficere, atque, aliqua in re, communis libertatis fines, tanquam lineas, transire. Advocati primo Consistorialis, tum etiam deinde, advocati fiscalis, functus est munere. In quo munere, illud aulæ, atque adeo universæ civitati, consilii, doctrinæ, prudentiæ, sapientiæque suæ lu-

lumen ostendit, ut domus sua quotidie eorum frequentia redundaret, qui, suarumque rerum incerti, consilium expetitum accederent; neque erat aliquis paulo locupletior, qui, aut de hæreditate, aut de dote, aut de finibus, ambigeret, quin eum sibi advocatum adoptaret, nemo, qui vellet testamentum facere, filiæ dotem constituere, aut castrum aliquod aut fundum emere, quin ad eum referret, neque quidquam putaret agi perite aut callide posse, quod non ex ejus consilio & auctoritate gereretur. Quid mirum est igitur, si ejus janua atque vestibulum, ut diximus, id quod de Q. Mutii domo refert antiquitas, maxima quotidie frequentia civium, ac summorum hominum splendore, celebraretur? quid mirum etiam, si Paulus V tantum ejus meritis tribuendum esse censuerit, ut Joannem Baptistam Spadam, fratris ejus filium, in eodem, quo ille erat, Advocati Consistorialis loco ac numero collocandum constituendumque curaverit, ut, una cum patruo, eo uteretur ac frueretur, illo mortuo, solus eum locum obtineret. Verum, tantum Pauli V beneficium digno in loco collocatum fuisse, res ipsa ostendit. Nam illud hic Jo. Baptista junior ex sese virtutis specimen edidit, ut Urbanus VIII, ejus fama commotus, maximis eum honoribus exornaverit, summosque magistratus capere jusserit. Nam primo, arcanis Congregationis Consultæ, in qua de recta totius Reipubl. administratione agitur, negotiis præfecit; deinde, arduis temporibus quasi fluctibus, agitatæ, Urbis navis, multos annos Gubernatoris, non magis nomine quam imperio, clavum tenere voluit. Postremo, cum omnes Italiæ Principes, contra Sedem Apostolicam conjurassent, eidemque bellum atrox & acerbum habuissent indictum, & Urbanus VIII, ejusque cognati, qui maxime eo bello expeti dicebantur, necesse haberent aliquo, qui sibi esset ad manum, scribæ loco, quemque omnium consiliorum participem facerent; non alium ad id officium admiserunt, nisi Jo. Baptistam, apud quem, fide & industria cognita, tuto in loco omnia sua arcana se posse deponere, pro certo existimabant. Hunc etiam locum amicitiæ
nunc

nunc tenet apud Innocentium X; qui tantam prudentiam, in regenda Urbe ostensam, otiosam esse non sinit, sed ad totam Æmiliam administrandam, Præsidis nomine, adhibet. Sed ut ad Jo. Baptistam superiorem revertar, cum multos annos Juris civilis gloria floruisset, morbo consumtus est, ac magnificentissimo funere elatus, in Ædem Deiparæ Virginis, ad portam Flaminiam; atque Advocati omnes Consistoriales in funus prodierunt.

X. LÆLIUS FINIUS.

LÆlius Finius, Mirandulæ, quod est oppidum Italiæ, perpetuis ac validis, quibus septum est, munitionibus, clarum, sed prodigiosis Principum, qui ejus potiti sunt ingeniis longe clarissimum, nobili inter suos ortus est loco, patre natus I. C. ob præstantem Juris civilis scientiam, Alphonso II, Ferrariæ Duci, in primis caro; quem etiam habuit a consiliis, magnique operam ejus æstimavit, in pluribus gravissimisque negotiis. At Lælius filius suis parentem vestigiis prosecutus, at statim ab ineunte ætate totum se ad Juris civilis scientiam contulit, cœpitque esse in foro, non sine magna ingenii doctrinæque laude: sed a patruo, qui locupletem S. Antonii Prioratum in patria obtinebat, perductus est Romam, ut ibi, litigantium patrociniis suscipiendis, clarum suum nomen efficeret: verum Alexander Cardinalis Montaltus, in cujus tutela tum patruus tum ipse latebat, quique tum Congregationi Consultæ, quam vocant, præerat, ad quam pertinet, in omnes Ecclesiasticæ ditionis urbes ac loca, Prætores ac Judices, a quibus regantur, mittere, voluit ejus opera ad gerendam Rempubl. uti: ac primo Assisinatem, tum Narniensem, illi provinciam attribuit. In quibus administrandis, non modo nullum detrimentum existimationis fecit, sed magna abstinentiæ, innocentiæ, prudentiæque laude crevit, ut etiam utraque civitas, bene gestæ reipubl. gratia, omnibus eum, quibus posset, honoribus prosecuta sit, atque civem suum effecerit. Cumque Romam veniens, ad Clementem VIII, Pont. max.

max. & ad illius pedum osculum admissus fuisset, ortus est sermo de iis, qui sunt in potestatibus, quemadmodum eos se gerere oporteret; cumque dixisset Pont. Prætores decere tum oculos tum manus abstinentes habere; illi ea fiducia, quam ipsi optimæ mentis conscientia dabat, quod suspicaretur, id sibi dictum, audacter respondit: Pater sancte, si quod unquam facinus tale me tibi veniet in mentem, te ipsum frustraberis, ac facies mihi insignitam injuriam; eo enim sum genere ortus, atque ita me ab ineunte ætate comparavi, ita etiam vitam institui, ut aliena appetere, aut aliquid de publico aut privato surripere, vel aliquod committere, quod sit ingenuo homine indignum, absit a meis moribus longissime. Tum Pont. quasi, quod dixerat, corrigens: Noli existimare, id a me tua causa dictum; sed ideo mihi excidit, quia pleraque pars hominum, in hoc officii genere graviter turpiterque delinquit. At Lælius eatenus regendis civitatibus navavit operam prætor, quoad Card. Montaltus, Cong. Consultæ præfuit; ea vero potestate ad Petrum Cardinalem Aldobrandinum, Clementis VIII fratris filium, translata, ipse etiam animum transtulit ad Juris Civilis studia; in quibus ea exercitatione utebatur, ut Jurisconsultorum libros, quorum numerus fere in immensum excrevit, diligenter pervolutaret, ac præcipuas ex eis sententias excerperet, & in codicem referret, quem vulgus Jurisconsultorum, apto fortasse, sed minus Latino nomine, Repertorium vocat. Sed ille, non unum, sed plures codices ejusmodi sententiarum impleverat, unde, tanquam ex penu quodam, in causis, quod sibi esset opus, exprometret. Accesserat, quod patruus pinguem illum Prioratum, quem diximus, ipsi resignaverat. Itaque, jam dives, omissis omnibus aliis curis, totum se in studiis continebat. Erat ille quidem optimis atque sanctissimis moribus, qui Deum inprimis vereretur, sed suspiciosus, timidus, quique vere omnia in pejorem partem raperet; cumque, vitio depravatæ mentis, eo pervenisset, ut se omnium insidiis circumveniri, & ad necem expeti, suspicaretur, quo tutus esse posset, in domum hospitalem S. Antonii, in Exquiliis, quia ejus habitum

bitum gerebat, se recipiendum curavit. Receptus, nihilo securior est factus; nam, ut quisque domum illam ingrediebatur, ad ipsum interficiendum, eum mitti putabat. Atque adeo in ea opinione defixus hærebat, ut nullis amicorum persuasionibus, nullis Fratrum illorum, quibuscum vivebat, admonitionibus, ab ea dimoveri ac dejici posset. Itaque, in ea animi ægritudine, a qua in dies acrius vehementiusque premebatur, excessit.

XI. JACOBUS CRESCENTIUS.

Quantum domestica patrum familias disciplina, sive severa sive mollis, filiis, quos generaverint, momenti afferat, ad vitam recte vel secus instituendam exigendamque; eorum, in utramque partem, qui domi suæ bene vel male educati sunt, declarat eventus. Tria præsertim esse arbitror, quibus, ab ineunte ætate, puerorum mores imbuti, ad nequitiam trahantur, quamvis magna in eis indoles ac materies ad omnes bonas artes existat. Primum, nimius in eis vestiendis ornandisque sumtus atque luxuries: nam videre licet, infimæ sortis hominum filios, vix e sinu matrum egressos, immo vix a lacte depulsos, pretiosis vestibus, serico auroque contextis, vel ipsos incedere, vel e manibus utriusque sustinentium pendere, vel crines longius fluentes, & in morem mulierum comtos, purpureis ex ligulis conspicuo elegantique nodo devinctos habere; ut, qui parentes illorum ignoret, non eos opificis cujuspiam aut lanii, aut cetarii, sed viri principis esse filios, existimet. *Quis eorum*, ut sapienter Quintilianus ait, *non adultus concupiscet, cum in purpuris repat?* Deinde, puerorum moribus pestem & exitium affert parentum socordia ac negligentia formandi, custodiendique in ætate prima pudoris. Vidi ego non paucos ea in liberos indulgentia, (si ea indulgentia, ac non potius summa iniquitas ac stultitia appellanda est,) cum multa, a filiis improbe facta ac scurriliter dicta, suis ipsi oculis atque auribus acciperent, non modo improbitatem illam scurrilitatemque objurgationibus verberibusque non coërcerent, ve-

verum etiam, si diis placet, osculo risuque exciperent. Postremo, eorum puerorum pudor, modestia, probitas in perpetuum modum perierit, quorum mores, parentum, quibus cum vivunt, luxuria perdiderit. Nonne in perditis ac desperatis rebus habendi sunt ii, qui sua vitia possint majorum suorum exemplo & auctoritate defendere? At non erat talis, Virgilii Crescentii, viri patricii, Jacobi patris, domi disciplina. Quam in domum nunquam vitiis illis, de quibus commemoravimus, aditus patuit. Nam, cum propter generis nobilitatem, summasque divitias, liceret ei, filiis sumptuosa vestimenta præbere, non alia illis tradidit, nisi usitata atque vulgaria, quibus etiam ipse, quamvis flos delibatus esset populi, utebatur. Malebat enim, eos ingenio bono, quam lepido ornatu instructos incedere; pudorem, quam aurum ac sericum gerere; pulcros mores, quam insignem corporis faciem habere. Itaque licebat aspicere, quatuor, viri clarissimi filios, una cum alio, qui honoris gratia eadem in domo educabatur, laneis tibialibus, femoralibus, thoracibus, sagis ac palliis, quibus serici nihil esset admistum, amictos incedere; quibus præceptor, vir gravis ac fidelis, accedebat comes assiduus, qui, tum foris tum domi, una cum parente, ad majorum instituta ac sanctissimam disciplinam eos erudiret, neque aliquid audire vel spectare curaret, quod purissimum illorum morum nitorem contaminaret. Denique, si domestica parentum sanctissimorum exemplo animis, ad meliora propensis, acriores vehementioresque ad virtutem stimulos addunt; quid poterat inveniri Virgilio patre honestius? quid sanctius? quid enim unquam ab illo audiebant, quo non pudentiores aut meliores efficerentur? quid illum agere videbant, quod cum imitati essent, id quod maxime in parentum gloriam redundat, non similes patri invenirentur? quid mirum, si ab ineunte ætate ad extremum usque spiritum, nunquam læsæ, sed conservatæ sanctissimæ innocentiæ opinionis laudem sint assecuti? Fit, tum ex vitiis, tum ex virtutibus, consuetudo, postea natura. Quod si in sanctorum virorum amicitiis tantum nobis præsidii est ad vitam moresque componendos; quid mirum,

tot

tot tantisque virtutibus ornatos extitisse eos, qui in Patrum Soc. Jesu institutis, in S. Patris Philippi Nerii disciplina, sive potius complexu, fuerint educati? Magna Virgilii & Constantiæ, ipsorum parentibus, cum viro illo sanctissimo consuetudo usüsque intercessit; Constantia etiam, usque ad extremum vitæ diem, a confessionibus eum habuit; ejusque liberi, non alio eundem nisi parentis cujusdam loco ac numero, coluerunt; atque ipsi, & Jacobus in primis, de quo loquimur, non secus dilecti sunt ab illo, ac filii. Hic Jacobus, eruditus est humanioribus in literis, in scholis Patrum Soc. Jesu: ac mecum una integrum annum P. Horatium Tursellinum & Franciscum Bencium, qui tum optimi dicendi magistri habebantur, audivit; qui multa, tum soluta oratione tum versibus, scribendo, ita probabatur, ut in principibus discipulis numerarentur. Exacto anno, dissimilitudo studiorum, ad quæ uterque nostrum animum appulit, nos ab invicem distraxit atque sejunxit. Ille enim se Jurisconsulto, ego me Philosopho tradidi: Petrus Paulus vero, cui, omnium fratrum concessu, Reipubl. capessendæ laus, omnique ambitionis labor fuerat relictus, multo magis studium illud est amplexus, sine quo Respubl. recte administrari non potest; nimirum Juris civilis scientiam. Neque sibi defuit, sed continuo ad Rempubl. accessit, honorum curriculum iniit. In quo progressus est longius, quam esset utile sibi reique suæ domesticæ. Nam Paulus V, qui hominis mores & ingenium nosset, quoque parente ortus esset, ac vellet eum ornare ex suis virtutibus, mandavit eidem, ut Auditorii Cameræ munus, quod tum venale erat, sibi coëmeret; in quo tanti sumtus faciendi erant, ut totam pene rem familiarem exhaurirent, vel saltem eam in illa lacunam efficerent, quæ nunquam postea potuit expleri. At ille, ejus honoris, quo præter Pontificium nullus est major, celeriter adipiscendi cupiditate impulsus, Pontificis imperio esse parendum duxit. Itaque eam provinciam mercatus est, ab eaque factus est ipsi gradus ad Cardinalatum. Ad quam dignitatem etiam perductus est. At Jacobus, qui jam pridem insigne quoddam Sacerdotium, quod Abbatiam

Pp vo-

vocant, Nursiæ obtinuerat, Ecclesiasticis sacris initiatus, ac Sacerdos effectus, sacrarum literarum studiis, omnibusque pietatis operibus, totum se tradidit. Sic vita erat; singulos dies, sacrosanctum Missæ Sacrificium facere; festis diebus, superpelliceo indutus, una cum aliis Oratorii Romani Patribus, in choro, vespertinas horas canere; frequenter celebriores sanctorum Martyrum memorias invisere; beatissimi Patris Philippi exemplo, cujus similitudinem, quantum poterat, in se transferre conabatur; cujus etiam ope, die quodam, ex tortuosis cœmeterii Priscilliani anfractibus, quibus ita se implicaverat, ut de salute desperare cogeretur, fit ereptus. Neque iste, tantum in se beneficium, Philippi intercessioni acceptum non retulit: nam continuo, argenteam magni ponderis tabellam faciendam, ac sancti viri sepulcro appendendam curavit; cum antea, suis sumtibus, loculum, quo sancti viri corpus tegitur, cypressinis ex tabulis confectum, holoserico villoso purpureo, multo auro distincto, intus ornandum sternendumque mandasset. De fructibus, quos ex pingui illo Sacerdotio capiebat, minimum sibi sumebat, ac totum ferme pauperum, ejus loci, usibus assignabat. Quod utinam nunc fiat ab unoquoque, cui sacerdotium illiusmodi locuples commissum est. Sed Jacobus, cum maxime dat operam, ut bonorum operum fructibus animum augeat exornetque, ex stranguria, qua cœperat laborare, decessit; dignus, qui vel nunquam moreretur, vel saltem, quum ea lege ortus esset, multo minore cum cruciatu doloreque evolaret ad superos. Illud miror, quod, cum ingenio valeret, otio abundaret, a literis non abhorreret, animum ad scribendum non appulerit, quo, insigni aliquo opere, sui memoriam, apud posteros, quam maxime longam efficeret.

XII. LÆLIUS UBALDINUS.

NUlla res, ut diligenter omnia perquiramus, ad conjungendas conglutinandasque amicitias, majorem vim habet, quam duorum perpetua tum ad res honestas consensio, tum ad res vitiosas offensio atque fa-

fastidium. Quod ideo additum est a nobis, ut aleatorum, compotatorum, ac libidinosorum furumque societatem atque consensum, amicitiæ nomine aspicere videremur: hos enim non virtus, quæ solum ac fundamentum est veræ amicitiæ, eo inter se nexu constrinxit, sed insanus ac turpis voluptatum ardor ac cædis. Ex contrario, nihil ad dissuendas amicitias atque odia constituenda plus valet, quam contrariæ hominum sententiæ, & dissimilitudines studiorum ac voluntatum. Nam, cujus magis amicitias fugimus, quam ejus, qui odiosus sit, qui nostris semper studiis adversetur? contra, quid Pyladem & Orestem, nobile par amicitiæ, ita arcto inter se amoris nexu constrinxit, ut corporibus duo, quemadmodum inquit Ovidius, mentibus autem unum essent, nisi quia, eadem semper sentiendo, perpetuam inter se pacem, amorem, amœnitatemque exercuissent? quodnam vinculum ita Theseum Pirithoo habuit adjunctum, ut nunquam dirimeretur, sed eodem, ut est in fabulis, copulati, ad inferos sese demitterent, nisi quia ita omnibus in rebus inter se convenirent, ut nullum unquam oriretur dissidium? quid superiorem Africanum & Lælium veræ exemplum amicitiæ constituit, nisi perpetua ipsorum, in eo, quod esset honestum, expetendo prosequendoque consensio? Sed nullus erit finis, si omnes, ex omni antiquitatis memoria, colligere, sit in animo, quorum amicitiæ nullam unquam calamitatem senserint ex eo, quod alter ab altero discreparet. Sed ex iis, quos ipsi nos vidimus, par amicorum unum se offert, in quibus, ad conjungendam amicitiam, princeps fuit virtutis amor, ac bonarum artium studia, quibus uterque flagrabat; unde tanta extitit animorum conjunctio, ut non duæ voluntates simul coisse, sed ex duabus una effecta esse videretur. Quod par amicorum ex duobus constat, in quos omnia, tum naturæ tum generis tum ingenii ornamenta convenerunt; videlicet ex Ascanio Card. Columna, & Lælio Ubaldino. Atque de Cardinali Ascanio satis superioribus libris dictum est a nobis. De Lælio ea proferemus, quamvis non ita multa, quæ ab Hugone Ubaldino, fratris illius filio, in referendis suorum laudibus, nimis patre

parco, vix potuimus exprimere. Hic genere ortus nobilissimo, cum, statim a pueritia, magistris, ad ea perdiscenda, quibus prima illa ætas imbui solet, traditus, celeriter cœpit ingenii lumine clarius enitere, quam ex ejus æqualibus multi; in quibus erat Octavius Bandinus, qui postea a Clemente VIII factus est Cardinalis. Erat Lælii & Octavii parentibus vetus amicitiæ consuetudo cum M. Antonio Mureto, cui tum temporis, omnium fere concessu, eloquentiæ, omnisque eruditionis, primæ deferebantur. Ad hunc parens uterque filium suum adduxit, ut vir ille doctissimus sapientissimusque, percontando interrogandoque, periculum faceret, quidnam illi in Græcis, quid in Latinis literis, quibus ad eam diem operam dederant, profecissent. Quorum ille quidem cum tentasset industriam, laudavit adolescentium indolem, sed fuit parentibus auctor, ut mitterent eos in Galliam; primum Parisios, ut ibi ab illis humaniorum literarum magistris, accuratius scientiusque, in elegantissimis humanitatis disciplinis erudirentur perficerenturque; deinde ad Jacobum Cujacium, qui tum eorum, qui Jus civile docebant, antesignanus existimabatur. Quod factum est ab illis diligentissime. Neque adolescentes itineris ac peregrinationis suæ pœnituit. Legi ego Mureti ejusdem epistolam ad Cujacium, more suo scriptam elegantissime; in qua eos illi adolescentes etiam atque etiam commendabat, qui ad ipsum disciplinæ causa venirent; ajebatque, suo in primis hortatu, quo a bonis artibus instructiores ad Jus civile perdiscendum accederent, Parisios se contulisse, ubi, Græcæ Latinæque linguæ doctoribus, se recoquendos traderent; hoc enim verbo utebatur: tanquam si ex aliorum magistrorum ludis, unde illi proficiscebantur, senium quasi quoddam contraxissent, quod Parisiensium præceptorum sapientiæ tanquam igne esset recoquendum, suoque eos artificio, tanquam medicamentis, situ illo senioque depulso, in florentem quandam viriditatem adducerentur; sicut Medea dicitur Peliam, suis venenis execoctam, fecisse ex sene adolescentulam. Quod non ita magna ratione a Mureto, pace tanti viri dixerim, mihi factum videtur, ut studiosos adolescen-

tes,

tes, tantos labores capere, tantum iter suscipere, tantos sumtus facere, in eloquentia comparanda, juberet, cum ea illis domi, hoc est, Romæ, magistrorum copia suppeteret, quarum similes in Gallia, atque adeo tota in Europa, non invenirentur; Petrus Joannes Perpinianus, Jo. Petrus Maffejus, Fulvius Cardulus, Horatius Tursellinus, Hieronymus Brunellus. At hi omnes, in Collegio Rom. Soc. Jesu, utriusque eloquentiæ præcepta, magno auditorum concursu utilitateque, tradebant. Quod si locus fortasse displicebat, & antiquissima ac celeberrima Gymnasia recentibus, Patrum Soc. Jesu scholis anteponebat; apud quos honestius & utilius eos poterat detinere, quam apud se, qui, jam tum eloquentiæ & eruditionis fama clarissimus, elegantissimas literas in Gymnasio Romano docebat? Sed fortasse in suæ nationis homines amore, quo plerique plus æquo incenduntur, eatenus progrediebatur, ut vellet Lutetiam Parisiorum, sicut olim Athenas, omnium bonarum artium esse mercatum, quo ii confugerent, qui liberalibus disciplinis exornare animum cuperent. At Lælius, cum jam ea didicisset, quæ Mureto placuerant, Philosophiæ ac sacrarum literarum studio incensus, profectus est Salamanticam, ut in celeberrimo illo Gymnasio studiis obsequeretur suis. Qua in civitate cum Ascanio Columna, qui ibidem eadem de causa erat, ea amicitiæ fundamenta jecit, quæ usque ad exitum vitæ firmissima duravit. Captus est uterque amœnissimo alterius ingenio, ac morum suavitate, eatenus, ut, ne ad breve quidem tempus, inter se distracti ac sejuncti esse possent. Sed vehementius impotentiusque, ut ita dicam, Ascanius ferebatur in Lælium, adeo ut ejus consuetudine usuque expleri saturarique non posset: verum cum Lælius Philosophiæ ac Theologiæ capita ac fontes, ab aliis sibi monstratos, nosset, ut inde tantum posset haurire, quantum vellet, Christianæ perfectionis cupidus, in laudatissimam D. Francisci familiam nomen dedit; eam videlicet, quæ arctius vitæ consectatur genus. Neque novo istoc & inexplicabili nexu, quo se Deo, religionis voto, obstrinxerat, aliqua ex parte remissum est vinculum illud amicitiæ, quo se Ascanius eidem obligaverat; immo multo

factum est arctius atque obstrictius: nam, ne minimum quidem temporis spacium, sine illo esse; & tanquam ex illius ore spiritum duceret, ejus lateri semper hærere; adeo ut, si ille cœnobium commutaret, illuc Ascanius se conferret. Quæ individua animorum conjunctio multo manifestius apparuit Romæ; quam in Urbem F. Franciscus (id enim nomen, ut mos est Fratrum religiosorum, superiore mutaverat,) una cum eodem Ascanio, a Sixto V in Cardinalium Collegium cooptato, migraverat. Nam, si, verbi causa, ille in cœnobium B. V. quod est in Capitolio, habitatum commeaverat, illuc sibi Ascanius abeundum esse censebat, ut illi proximus esset, quemadmodum animo, ita & corpore; si itidem ille, superiorum jussu, in alterum D. Petri in monte aureo cœnobium immigraverat, nullam sibi Ascanius moram esse interponendam censebat, quin illuc, ut dicitur, remigio veloque contenderet: neque Franciscus illi in amore non respondebat, sed unice unum ex omnibus diligere; quo ille vellet, descendere; de illius studio studia sibi sua omnia esse. Ardebat incredibili quadam eloquentiæ cupiditate Ascanius, usque eo, ut, si quempiam audiret, paulo diligentius huic studio operam dare, ad se advocaret, nosse vellet, hortaretur, obsecraret etiam, ut in id studium, in quo erat, incumberet; nihil enim esse dignius, in quo omnis nostra opera consumeretur, quam hoc, in quo Romani nominis gloria longe multumque ceteris nationibus præstitisset. Idem mecum egisse illum memini, cum puer a Jo. Francisco Carrettonio, ob hanc causam illi amicissimo, ad eum essem perductus, quia non obscuri ac tenues in me eloquentiæ igniculi elucere viderentur. Quid enim, ajebat, est turpius, quam nos, homines Romanos, qui orbem terrarum armis subegimus, qui dicendi gloriam Græciæ, a qua, una hac in re, adhuc vincebamur, eripuimus, pati, tantum tamque locuples patrimonium exteras nationes invadere, & undique bonis, nobis ereptis, circumfluere? Florebat eo tempore in concionibus vir quidam probus ac doctus, insigni sacerdotio præditus, sed sensuum oculorum, ab ipso natalis sui die, penitus expers. Qui quidem, multis in rebus

bus claudicabat, præsertim in gestu, quem nulla venustas commendabat; tum erat in instruendo dissipatus, ne nullus esset rerum ordo, nulla distinctio; sed vox magna, canora, verborum splendor, ac perfacile currens oratio, quæ sensus ac dolores haberet, quæque, quos vellet, animorum motus in auditoribus excitaret: tum magnum ad se hominum concursum alliciebat, ut vix eum caperet D. Laurentii in Lucina Ædes, quantumvis maxima; ubi diebus festis a prandio concionabatur. Præterea, ea vi & acrimonia, vitiorum sordes insectabatur, ut concione perorata, complures, ejus oratione permoti, ad sacerdotum pedes sese projicerent, ac peccata multis cum lacrimis ultro confiterentur. Hunc Ascanius studiose a principio audiebat; sed, vel quia in aliud dicendi genus, longe ab eo diversum, ferebatur, lætum, amœnum, omni florum varietate conspersum, sententiis magis quam verbis abundans, vel quia acrius, quam vellet, se ab eo verberari sentiebat; eo relicto, totum Francisco, tanquam suis auribus magis accommodato, se tradidit. Nullæ in ejus oratione inerant verborum faces, quæ ad audientium animos inflammandos erumperent, nulli fere reprehensionum aculei, qui ad eosdem fodiendos immitterentur; sed omnia erant summo lepore ac suavitate condita, verba aperte translata, paria paribus relata, adversa contrariis, sæpissimeque similiter extrema definita atque conclusa; denique nihil ille non ad voluptatem aurium deferebat. Neque id ego affirmare audeo, quod aliquis ejus sermo se in aures meas immiserit; nunquam enim eum mihi contigit audire: sed ideo ad id cogitandum adducor, quod, puer, longam ejus concionem, ad Card. Ascanium habitam, descripsi; ab eo mihi traditam, a quo privatim domi ad omnem humanitatem erudiebar; in qua omnes illæ sententiarum concinnitates, omnes verborum flosculi, omnia illa orationis lumina, de quibus diximus, continebantur. Sed hoc tam excellens ingenium, cui, quantum ego puer judicare potui, non tam propositum erat perturbare animos quam placere, nec tam inflammare quam delectare, haud diu in suggestis & in concionibus, ut ipse optaverat, jactare se potuit. Etenim, dum

Ascanii Cardinalis studiis nimis est obsequens, Sublaci est mortuus, cum nondum tertium & trigesimum ætatis suæ annum implesset. Quod si longius vitæ spatium nactus esset, næ ille ad summam Panicarolæ eloquentiam pervenisset, quam imitando conabatur exprimere.

XIII. IO. BAPTISTA MANSUS.

SI qui sunt, qui alios docere conentur id, quod ipsi didicerint, hi egregie præter ceteros, de juventute, atque de universo hominum genere, mereri mihi videntur: præsertim, si id faciunt, nulla re commoti alia, nulloque præmio adducti, nisi utilitate communi. Etenim, mea sententia, optime omnium intelligunt, quid virtus ipsa velit; cujus ea vis est atque natura, ut ab iis, quorum pectora impleverit, in alios se transfundat, cum eisque communicet. Atque antiquissimis temporibus complures doctissimi clarissimique viri extiterunt, qui domos suas, quasi ludos, universæ Græciæ aperuerunt; ubi, qui vellent, liberalibus illis disciplinis erudirentur. In quibus ipsi principes essent. Sed, quia magis nostrorum temporum ac domesticæ virtutis exemplis gaudemus, quam veteribus & externis, libentius in his temporibus, in quibus nos sumus, nostra versabitur oratio, iisque definietur viris, quos ipsi novimus. Atque in præsentia duo se nobis offerunt, Jo. Baptista Strozza Florentinus, & Jo. Baptista Mansus Neapolitanus, quorum uterque tum generis, quo fulgebat, splendore clarissimus, tum artium pulcerrimarum studiis, quibus excellebat; fama notissimus, summam laudem positam esse putabat in eo, ut honestis adolescentibus ac studiosis se ducem præberet, ut venirent eo, quo sine duce ipse pervenisset. At Strozza non solum eos, qui in ejus disciplinam convenissent, opera ac labore juvabat, verum etiam, si viri boni essent, eosque ad summos honores pervenire posse existimaret, maximis sumtibus; in sui gloriam, alebat. Sed de hoc satis dictum est in superioribus libris, ubi ejus imaginem morum vitæque descripsimus. Jo. vero Baptista Mansus, Villæ Marchio, de quo referre instituimus, cum omnium elegantis-

tissimarum artium, quarum princeps haberetur, gloria floreret, literatorum omnium, qui in suam tutelam confugissent, patrocinium suscipiebat, omnibusque præerat, qui ad honestam aliquam disciplinam, ac nobili viro dignam, animum adjunxissent. In quo Strozzam longo intervallo vincebat: illius enim institutio iis tantum disciplinis continebatur, quæ animum adolescentis quadam quasi humanitate expoliunt atque ornant; ut sunt, poëtarum & historicorum cognitio, philosophorum inventa, omnisque elegantia doctrinæ: at Mansi, in juventute erudienda excolendaque, labor & industria multo progressa est longius. Etenim non solum iis excultos disciplinis efficiebat, quas diximus, eos, qui se ipsi commiserant, verum etiam aliis prope centum artibus instructos ornatosque reddebat; equos frenis regere, sibi dicto audientes facere, in gyrum compellere, in cursus cogere, tum ad ludendum arma suspicere; ut, ludicra illa armorum tractatione edocti, discerent, quemadmodum iis uti deberent, cum ea ad pugnandum essent sumturi; tum, saltare, citharizare, ad chordarum sonum psallere, atque ea omnia facere, quæ sine reprehensione a viri nobilis persona abesse non possunt. Et ideo præcipuus fuit auctor, Neapoli, collegii Nobilium instituendi, ubi adolescentes nobiles, iis studiis operam darent, quibus eos æquum erat impertiri. Præterea, in eadem urbe, otiosorum Academiæ una cum aliquot aliis initium dedit. Usus est familiarissime Jo. Baptista Marino, & Torquato Tasso, cujus etiam vitam scripsit. Fuit magna apud Proreges Neapoli, aliosque ejus regni proceres, æstimatione, ab iisque eximie carus habebatur. Sed commendabat hanc ejus in omnibus iis artibus, quas diximus, summam excellentemque notitiam, eandemque cum aliis communicandi ardorem ac studium, ea, quam (utinam falso) querimur, raro cum optimarum rerum scientia conjunctam inveniri; nimirum vitæ ac morum probitas, neque ea usitata atque vulgaris, sed quæ vix in virum, omni sanctitatis laude perfectum absolutumque, conveniat. Non enim solum communi quadam voluntate virtutis atque officii, ab iis se abstinebat maxime vitiis, a quibus nos Christi lex avocat, sed alia

quadam nova ac singulari ratione, exquisitius ac religiosius vitæ genus prosequebatur. Non modo vetitis & impermissis voluptatibus nihil concedebat, verum etiam multa naturæ, ipsique necessitati, denegabat. Sed cum in omnibus Christianis virtutibus efflorebat, tum maxime in ea insignis inveniebatur, quam nostri humilitatem appellant, hoc est, in animi demissione atque modestia. Quamobrem invitus suas laudes audire, multa sibi detrahere, atque aliis omnia tribuere, palam sua sibi vitia objici, ut mos est in sodalitiis B. Virginis, in quibus ille numerabatur, hilariter ferre; jussus ore terram lambere, aut sodalium pedes exosculari, non recusare; neque imperantis auctoritatem defugere; neque minus dicto audiens esse, si imperaretur caliendrum e capite, quo calvitiem occultabat, sibi eripere, & in terram abjicere; nam statim imperata faciebat; neque dubitabat, magno intuentium cum risu, caput pilis nudum ostendere. Unum in eo, quod vitium posset existimari, deprehendebatur, quod nimis ad rem attentus videretur; sed qua de causa ita rei faciendæ studere, ostendit in morte. Etenim hæredem omnium bonorum suorum, Seminarium nobilium reliquit: ut non tam illum rei suæ augendæ servisse, quam optimorum adolescentium utilitati consuluisse pateret; ne videlicet, rerum ad vitæ usum necessariarum inopia, a liberalium artium studiis avocarentur.

XIV. ALEXANDER GLORIERIUS.

SUmma sæpenumero hominum ingenia, quæ maximam & ingentem de se exspectationem commovent, in eum amplitudinis locum minime veniunt, ad quem sua merita vocant. Quod duabus de causis posse contingere arbitror; vel communi vitio hominum, quibus omnis exsuperantia virtutis suspecta sive potius odiosa est; vel fortunæ, si ita fas est loqui, iniquitate, quæ non potest pati, bona illa virtutum præmia fieri quorum, cui ipsa velit, largiendorum penes se arbitrium potestatemque debere esse defendit; quamobrem pergit turbare, atque perficere, ne quid illis succedat sub manus,

nus, immo ut aspera ac fœda eisdem cuncta procedant, quos concepta de illis rerum maximarum spes vocat in cælum; atque etiam adjuvatur ab iis, quibus aliena virtus est formidolosa, ut diximus. Verum, ex iis, qui nostrâ memoria ad Rempubl. capessendam accesserunt, nemo fortasse, a vitæ privatæ otiosæque quasi portu, majori spe ac virtutis opinione, tanquam secundis flatibus, impulsus, ad honores vela dedit, quam Alexander Glorierius, Cæsaris Glorierii, multis summis Pontificibus earum epistolarum a secretis, quæ Brevia vocant, filius. Etenim locuplete in familia, & honesto genere natus, quippe qui Joannem Glorierium arcta cognatione attingebat, cui, Gallorum Regis Secretario, & Gallicarum copiarum Quæstori, Franciscus Asulanus, divinum illud Guilielmi Budæi opus de asse, recentibus atque elegantibus a se typis impressum dicat, tum singulari ingenio, a natura, quam fautricem in tribuendis animi virtutibus habuit, instructus, optimis atque sanctissimis moribus præditus, formæ dignitate atque præstantia nemini suæ ætatis inferior, præterea Carolo Cardinali Borromæo, Pii IV Pontif. max. sororis filio, qui tum rerum potiebatur, eximie carus, cujus etiam nomini inscripta typis mandavit trecenta Paradoxa, Theoremata, ac positiones Juris civilis, quas declarandi causa, quantum in eo studio profecisset, publice tuendas Romæ susceperat, tribus diebus continuis, adversus quoscunque, qui eas oppugnare conatus esset; quod, haud scio, an cuiquam alteri in gymnasio Rom. contigerit præter ipsum. Hic igitur adolescens, tot præsidiis ingenii fortunæque munitus, tot liberalibus disciplinis a parente, qui ipse quoque literas amabat, instructus, omnium in se oculos atque ora converterat. Atque initium magistratuum gerendorum fecit ab eorum loco ac numero, quos, a supplicibus libellis referendis, Referendarios vocant. Hic enim primus ad Rempubl. adeuntibus aditus patet. In quo munere ea diligentia, integritate, doctrinaque versatus est, ut plures ad eum causæ cognoscendæ judicandæque deferrentur; in quibus adeo se æquum, integrum justumque præbebat, ut ii etiam, adversus quos sententiam dixerat, æquo animo,

mo, agentesque gratias, ab ipso discederent. At parens, qui gnatum haberet, tali ingenio præditum, quique de eo audiret omnes una ore bona omnia dicere, hac fama impulsus, cum afflueret opibus ac divitiis, comparavit illi unum inter Clericos Cameræ locum, unde facilis est atque expeditus ad majores honores ascensus, & quo ii, penes quos, honores tribuere, jus est atque potestas, majoris spe lucri, ad amplissimam illi dignitatem mandandum impellerentur. Quo igitur amplior atque expeditior filio aditus ad honores pateret, aliud Secretarii Apostolici munus obtinuit. Jam grallatoriis, ut inquit ille, passibus ad summam amplitudinem properabat; nec tam illa dignus videbatur, quia haberet multum quod perderet, quam quod vera ad illam via, hoc est, virtutibus, grassaretur. Cum fortuna sævire ac miscere omnia cœpit. Erat in eo tenax justi rectique propositum; vigebant etiam studia æqui bonique; contra quæ si quis vir princeps niteretur, excludebat ejus cupiditates, neque quemquam patiebatur plus jure ac legibus posse, memor dicti Sapientis, qui: *Noli*, inquit, *quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.* At mihi quidem duobus diversis atque contrariis inter se studiis, flagrasse atque exarsisse videtur. Nam, cui honores sunt cordi, justitiæ a se amorem, si ita res exigat, ejiciat oportet, hominibus potentibus, gratiosis, cupidis, ultro se offerat, operam navet, cupiditatibus illorum inserviat. Ne multa; cum, die quodam, Clericorum Cameræ Apostolicæ senatus de rebus gravibus coisset, atque adesset una Philippus Guastavillanus S. R. E. Cardinalis & Camerarius, Gregorii XIII sororis filius, actum est in eo conventu de quibusdam fructibus, quos Camerarius sibi asserebat, sed re vera ad Collegium Clericorum pertinebant; cumque ceteri quorum ea res erat, tacerent, solus Alexander suam ac suorum collegarum defensionem, acri ac vehementi oratione suscepit. Qua re Cardinalis vehementer offensus, qui in neminem unquam inciderat, qui sibi contradiceret; ad eum conversus: Tanta ne, inquit, vi pro tuis collegis, adversum me causam dicis? at ita factum

non

non oportuit. Hoc loco libet interponere, neque id tamen sejunctum a re posita est; quam sit necesse iis, qui in Republ. versantur, quo honores, pecuniam, & gratiam consequantur, eorum obedire tempori, ac voluntati, qui auctoritate ac potentia plurimum pollent; ac nonnihil interdum de jure suo remittere; his enim rebus sæpissime, infimo loco nati, sine ingenio, sine doctrina, magnis etiam vitæ morumque sordibus inquinati, ad summam amplitudinem pervenerunt: contra, sine illis, nobili genere orti, in parentum castissimis domibus bene & pudice educti, atque artibus honestissimis eruditi, curriculum honorum cum essent ingressi, non modo ad calces pervenire non potuerunt, sed partim, vix e carceribus egressi, prohibentur progredi longius, partim in medio spatio franguntur & corruunt. Sed revertamur eo, unde discessimus. Cœtu igitur illo, quem diximus, dimisso, ille qui se læsum putaverat, iracundia supra quam dici potest elatus, avunculum adiit, rem secus, quam gesta fuerat, narrat, Pontificem, ceteroqui sanctissimum, in Alexandrum, & in totam ejus domum, incendit, inflammat, incitat. Quo facto, palam elato, cuncti, tum, ut a Guastavillano gratiam inirent, tum ut Alexandri ejusdemque domus florentem fortunam everterent, ad eum opprimendum consenserunt. Ac primum Pontifex Cæsarem, Glorierii patrem, Brevium conficiendorum munere ac loco, quantum potest, ejecit, causatus, nescio quid, de re admodum gravi, ab eo esse conscriptum, quod non ipse jussisset; cumque ille, purgandi criminis causa, chirographum, ipsius manu subscriptum, exhibuisset, in quo illud, quod inficiabatur, præcepisset, Pontifex, acceptum, sua manu, ante ipsum conscidit, ac plures distraxit in partes; credo (neque enim existimare aliud licet de tam suavi Pontifice, & in manifesto scelere deprehensos reos etiam misericorde) quod inimicorum calumniis, & iracundia, de mente consilioque deductus, arbitraretur, literas illas adulterinas esse & ab ipso corruptas. Tum Alexandro Cameræ clericatum ademit, atque alteri concessit; deinde Secretariatus Apostolici munus (quo illi ejus recuperandi spes omnis adimeretur) ere-

ereptum Collegio Secretariorum addixit, vetuitque publicis literis, ab eo unquam distrahi ac divelli: præterea, bona eorum omnia, quæ inveniri poterant, hastæ subjicienda, eorumque precia ad ærarium referenda curavit. Quid multis moror? beatus erat, qui aliquid excogitasset, quo illi fama, vita, ac fortunis everterentur; deque eorum capitibus quotidie comitia fiebant, in domo cujusdam Andreæ Martini, Card. Camerarii scribæ. Atque actum de illis omnino fuisset, nisi Hyppolytus Estensis, & Ferdinandus Medices, Cardinales eo tempore potentissimi, eorum patrocinium suscepissent. Nam unus magnam illorum pecuniam, domi suæ celatam, faucibus illorum eripuit, qui eam jam spe & opinione devoraverant; alter cavit, ne iniquo aliquo judicio, eorum sanguis exsorberetur; & clam eos Florentiam misit; ubi tam diu commorati sunt, quam diu rerum potiti ii, qui ipsis negocium periculumque facessierant. Incitabat etiam viros illos principes ad afflictam eorum fortunam sublevandam, Alexandri fratris uxoris misericordia, quam nulla tunc temporis in Italia, atque ausim dicere, toto orbe terrarum, pulcritudine corporis, oris venustate ac gratia, vicit; quæque tum omnium oculos ad spectaculum sui conversos habebat. Gregorio igitur intra paucos menses, quum hæc gesta erant, e vivis erepto: ac Felice Peretto Cardinali a Montealto, Sixti V nomine, in ejus locum subrogato, Romam redierunt, petieruntque supplicibus ab eo libellis, ut causam ipsorum susciperet, eamque æquioribus judicibus, qui nullius neque auctoritate neque gratia neque potentia moverentur, cognoscendam traderet. Qui æquitate postulati permotus, totius cognitionem causæ, Auditoribus Rotæ Romanæ permisit. At illi continuo non varie, sed cunctis sententiis, judicarunt, iniquo judicio fuisse illos oppressos, ac propterea in veterem fortunæ ac dignitatis locum restituendos esse. Quæ sententia perpetuis consignata literis extat. Quod omnibus exemplo debet esse, qui Rempub. tenent; ne videlicet quidquam in potestate committant, quod postea alter, qui illis successerit, auferat, atque irritum jubeat esse. Sixtus igitur, de sententia judicum, restituit illis omnia, quæ loco

mo-

moveri non potuerant, quæque ærarium non absorbuerat; Clericatum vero Cameræ, quia legitimus Clericorum numerus constabat, neque eum augeri fas erat, non continuo reddidit, sed in eorum consessu tantisper supra illorum numerum expectare eum voluit, dum eorum aliquis vel morte surreptus, vel ad ampliorem ordinem evectus, locum unum vacuum, in quem ille succederet, faceret. Neque fuit illi diu expectandum. Nam celeriter eorum unus, ut sunt omnes res humanæ inconstantes ac variæ, morbo naturæ debitum solvens, numerum ac locum, quem ille impleret, liberum inanemque reliquit. In veterem igitur dignitatis locum restituto, mandaverat illi Pont. ne se Card. Guastavillano, a quo tam insigni fuerat injuria laceratus, iratum ostenderet, sed eum sæpius, honoris gratia, inviserat, sectaretur, coleret, denique officiis omnibus prosequeretur. Cumque Pontifici, dicto audiens esset, venit in mentem Cardinali, eorum oblito quæ fecerat, petere ab eo, quidnam esset actum, quamobrem tantam in se malorum molem attraxisset. Qui rem illi omnem ordine, ita ut erat gesta, narravit. Tum Cardinalis: Profecto, inquit, tanta indignus calamitate fuisti; non modo enim a crimine, verum etiam, quantum audio, a conscientiæ suspicione absuisti. At nihil propius est factum, quam ut Alexander, quodam animi dolore incensus, hac in eum oratione inveheret: Nonne tibi patet, me in odium & in crimen injustum fuisse vocatum, cum omnes in me crudelitatis tuæ aculeos erexisti? Sed bilem continuit, ne in aliquam Pontificis offensionem incurreret. Ea igitur, quam diximus, calamitate perfunctus, rursus ad ingenium rediit, ac novis se implicuit ærumnis. Erat Cardinalatus honoris avidissimus: quem cum non posset adipisci, palam querebatur, illum indignis deferri, se autem malle, salva existimatione sua, quovis vili redimiculo caput cinctum gerere, quam, aliqua adspersum infamia, regio illud diademate redimitum habere. Quod, illis delatum, qui ejusmodi querimonia designabantur, magnam ipsi apud nos offensionem attulit. Sed ea res causam in primis suam jugulavit. Præfecturam annonæ administrabat, quæ ne Urbi Romæ de-

es-

esset, Farnesiis Principibus est conatus obsistere, ne frumentum, quod in suis agris exarassent, externis mercatoribus venderent, qui illud extra ditionis ecclesiasticæ fines asportarent. Quod principes illi cum apud Clementem VIII quererentur, qui jam affinitatem cum illis meditabatur, ac sibi injuriam fieri dicerent, quoniam id ipsis, ex summorum Pont. privilegiis, licitum esset, Clemens Alexandrum, ad se vocatum, graviter verbis accepit, admonuitque, ut conatu desisteret, nisi vim suam vellet experiri. Quibus ille auditis, animum despondit, eaque ægritudine, non ita multis post, mensibus an diebus? repentina morte decessit. Erat omnino vir probus, sed nimium iis deditus, quos eximios habebat; hos locupletabat, horum studiis obsequebatur, iis in se imperium esse volebat, idque ab omnibus animadverti sciri que, summa ope cupiebat.

XV. D. PETRUS NICOLAI.

ANtiquissimus clarissimusque Canonicorum regularium Ordo, jam inde ab Apostolicis temporibus, ut ejus historiæ tradunt, tanquam a capite, ductus, & usque ad hæc tempora permanens, omnibus plane seculis, magnum, in omnium virtutum genere, præstantissimorum hominum numerum, Ecclesiæ Catholicæ genuit; quorum alii in concionibus ad populum, Christianæ eloquentiæ fama, clari ac magni sunt habiti, alii in publicis Italiæ Gymnasiis, ob insignem humanarum divinarumque rerum scientiam, multitudine discipulorum floruerunt, alii etiam politissimis & elegantissimis illis studiis, quæ ab humanitate sibi nomen asciverunt, prædìti, celebre atque illustre suum nomen reddiderunt. Verum, ex iis omnibus, qui in earum virtutum, de quibus diximus, laute versati sunt, haud scio, an quisquam, singularis ingenii dotibus, D. Petro, ejusdem familiæ Canonico, antecesserit. Ita, quæ disperse in singulis ornamenta miramur, in eum omnia confluxerant. Hic S. Romani, tenuis, agri Lucensis, pagi adeo obscuro ortus est genere, ut ne cognomen quidem haberet, quo ab aliis, qui ejusdem essent nominis, distingueretur; ita-

itaque fuit illi necesse, a parente, cui Nicolao nomen erat, mutuum illud accipere: atque Petrum Nicolai, hoc est, Nicolai filium, appellari se voluit. Verùm, natura, quæ in tribuendis ingeniis, non generis claritatem, non opes, non divitias, non potentiam cujusquam sequitur, sed ea in materiam ad excipiendum idoneam; tanquam in agrum novatum iteratumque, disseminat, eam illi ingenii vim, amœnitatem docilitatemque largita est, ut in illo excolendo, si eam, ut par erat, industriam adhibuisset, nihil illo fuisset in virtutibus excellentius. Educatus est, in domo Seminarii Lucensis, ibique a magistris, omnibus illis literis eruditus, quibus puerilis ætas informari ad humanitatem solet. Neque solum Latine scribendi elegantiam, incredibili celeritate accepit, ut orationes componeret, ac versus, quibus legitimus numerus constaret, effunderet; verum etiam Musicen didicit, qua, versibus Etruscis, quos summa etiam felicitate condebat, modos faceret, quos ad chordarum sonum numerumque cantaret una cum condiscipulis illis, qui erant canendi arte eruditi; ac visus est sæpenumero ex tempore cantiunculam aliquam edere, eidemque, una atque eadem opera, modos lepidissimos addere. Annos circiter septendecim natus, sanctissimas antiquissimi honestissimique Canonicorum Regularium Lateranensium leges & instituta amplexus est, eorumque tyro habitum induit; tyrocinii tempore expleto, in Philosophiæ primum, tum in Theologiæ curriculum prodiit; quod tanta cum laude confecit, ut vix illud expleverit, quum aliis dux fuit, qui in idem studium ingrederentur; multosque annos in publicis Gymnasiis, magno cum plausu, earundem facultatum doctoris & magistri functus est munere; adeo ut Patavini, in quarum urbe domicilium est literarum, ad se illum attraxerint, ut ibi iis docendo instituendoque præesset, quibus ad intima sacræ Theologiæ arcana perveniendi penetrandique studium foret. Et in iis, qui ad ejus se ductum aggregaverunt, quorum magna erat multitudo, numeratus est etiam D. Andreas Fossa Genuensis, qui postea omnibus tum doctrinæ tum naturæ dotibus instructissimus, summum in verbi Dei concionatoribus ac divi-

narum rerum interpretibus locum obtinuit, atque omnibus amplissimæ suæ familiæ muneribus egregie functus, nunc Genuensi Canonicorum sui Ordinis cœnobio, Abbatis nomine, præest. Sed ut ad Petrum Nicolai, a quo paululum digressa fuerat, revertatur oratio, inter Seraphicos allectus est, quorum Academia Patavii, ingeniorum claritate ac numero, in primis Italiæ enitebat: in qua etiam placita quædam, seu positiones, quas Dialectici & Rhetores vocant, ex cantico *Te Deum laudamus* excerptas, quas etiam typis impressas edidit, eo hominum concursu & approbatione tuendas suscepit, ut nihil tum temporis esset, quod magis omnium linguis atque sermonibus celebraretur. Quid multa? propter ejus singulare ingenium atque doctrinam, sermo erat omni populo. Huic versatile ingenium, quemadmodum de Porcio Catone tradit Livius, ita ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcumque ageret. Summorum Theologorum Philosophorumque, ut D. Thomæ & Scoti, Aristotelis & Pendasii, inter se contrarias discrepantesque sententias, pari ingenii acumine ac subtilitate, cum voluntas ejus ferret, tuebatur. Nihil est in aliqua disciplina adeo abstrusum atque reconditum, adeo angustis & concisis disputationibus illigatum implicatumque, quod, si in illud se mente & cogitatione conjecisset, apertum explicatumque ipsi non fieret, quodque auditoribus suis, ut ita dicam, mansum confectumque, ut nutrices infantibus pueris, quasi in os non insereret, adeo ut nemo esset ingenio, ita tardo, ita obtuso, qui non illud sibi traditum intelligentia acciperet. Abdicavit se munere docendi, invidi cujusdam insidiis expetitus, atque studium & operam suam contulit ad conciones de divinis rebus ad populum habendas. Cujus consilii eventus adeo illi ex sententia successit, ut in omnibus præcipuis Italiæ civitatibus, apud quas verba fecit, summi semper oratoris locum numerumque obtinuerit, ac Lucæ in Æde S. Michaëlis, omnium ejus Urbis celeberrima ac religiosissima, concionibus quotidie habendis, ita unius Quadragesimæ curriculum confecit, ita omnis elegantia doctrinæ, verborum splendore & copia, ita voce, gestu, omnisque actionis lepo-

re

re ac suavitate, populum illum tenuit, ut neminem unquam, eo loco dicentem, magis sit admiratus; ac senes, qui omnium meminissent, qui ad eam diem ibi verba fecissent, dixerint, a se neminem esse auditum, cujus eloquentia literis esset instructior, ac vocis motusque suavitate conditior. Denique ingenii felicitate illud assequebatur, ut, quamcunque in partem se daret, evaderet omnium facile princeps. Plures edidit orationes, tum Latina tum vernacula lingua conscriptas, variis a se temporibus habitas. Elegias, epigrammata, odas, atque alia Etrusca poëmatia, fundebat ex tempore: ac, si calamum ad scribendum sumebat, verba ac sententiæ, non sine cultu ac nitore, vix vocatæ, sub acumen styli subibant. Erat Græcis literis doctus, Hebraicarum autem usque eo peritus, ut non dubitaverit, in Æde S. Frigidiani, sui Ordinis, insignem quendam Legis Mosaicæ doctorem atque magistrum in certamen contentionemque vocare; quem argutissimis suis disputationibus, tanquam laqueis, irretitum ita cepit, ut certaminis superior, omnium confessione, discesserit: ad quod certamen concursus dicitur e tota urbe factus esse. Ob quas laudes eam sibi virtutis opinionem famamque confecerat, ut, quamvis, ut diximus, tenui obscuroque erat ortus in pago, vulgo *magnus rusticanus* appellaretur. Neque procul a Republ. ætatem egit, sed partem ejus non minimam cepit. Quippe qui S. Frigidiani ejusque cœnobii Præfecturæ præpositus fuit; qui magistratus habetur in primis eorum, qui ab eo Ordine mandantur; &, qui illum adeptus est, Episcopi in morem tondetur, Pontificio pallio atque annulo utitur, &, honoris gratia, magnus Prior nuncupatur. In quo munere administrando, inventus est nequaquam ita felix. Namque iis se difficultatibus implicavit, unde expediri vix posset; iis conflictatus est ærumnis, quibus pene oppressus esset. Verum, emersit aliquando, atque ad munus docendi, quo se abdicaverat, rediit. Itaque missus est Ravennam, ut ibidem alios sui Ordinis, iis artibus erudiret, quibus ipse longe multumque præstaret. Quas partes dum strenue agit, in comitiis suæ congregationis, ab iis, penes quos est eligendi potestas, Abbas, titulo tenus, eligitur;

tur; qui honor non ita multis defertur: quorum ordo, quamvis nomine magis quam imperio, locum inter Abbates obtineat, tamen honorificus inter suos habetur, ac multarum rerum immunitatem habet, qua perfruuntur ii, quos Doctores sive Magistros beneficiarios vocant. Ea tempestate Bonifacius Cardinalis Cajetanus provinciam Æmiliam, Legati imperio, obtinebat; cujus imperii sedes, ut ceterorum Legatorum, erat Ravennæ. Qui Petri ingenio ac moribus, prout ipse amabat literas, eatenus delectatus est, ut eum sibi domesticum & familiarem adoptaverit, ut secum domum, quo properabat, adduceret, ejusque opera iis in rebus uteretur, quæ Theologi partes efflagitarent. Egressus Ravenna, ac Romam petens, voluit facere iter per Etruriam, contra amicorum omnium sententiam; qui, quasi præsagiret illis animus, id ei incommodum eventurum iter, omnes uno ore erant auctores, ut Etruriam fugeret, & suos videndi salutandique cogitationem saluti suæ postponeret. Sed vicit amor suorum ac patriæ, & in pagum S. Romani se contulit. Nec vero aliter atque prædicta fuerat, res illi evenit: nam vix e patriæ finibus foras pedem extulit, cum in itinere diem obiit supremum; neque abfuit suspicio, eundem fuisse veneno sublatum, in albis aliquot ex saccaro orbiculis accepto, ab eisque tradito, quos non solum nulla privatim læserat injuria, sed insuper multis magnisque beneficiis affecerat in magistratu quem gesserat, & quorum causa eam in se malorum vim, qua pene fuerat oppressus, attraxerat. Itaque, vix major annis quinquaginta, arbor illa, dum maxime ad omnium virtutum laudes efflorescere, & maximi ex ea fructus expectarentur, iniquorum hominum scelere, si vera est fama, recisa, exaruit.

XVI. ANTONIUS BUCCAPADULIUS.

SI Romanis hominibus, in sua civitate, ubi sita est arx veræ germanæque religionis, ubi Latini ritus majestas, tanquam in suo regno, sedem ac domicilium habet, laudi daretur, quod Latine, pure, dilucide, eleganterque loquerentur ac scriberent, si munera illa, quæ elo-

eloquentis cujuspiam hominis requirunt industriam, iis deferrentur, qui eloquentia cæteris antestarent; quis dubitat, quin multi semper existerent, qui cum veteribus scriptoribus conferri dicendi gloria possent? Verum, cum videamus, nihil fere iis esse contemtius, qui totos se in hoc studiorum genere collocarunt, ut etiam, contumeliæ causa, pædagogi nomine afficiantur; cum in eorum honores ac præmia ii cernantur invadere, qui nondum, ne suspicione quidem, assequi potuerunt, quænam sit ratio puri, dilucidi, Latinique sermonis; immo qui vix primoribus labris gustarunt Latinæ Grammatices studia, & extremis, ut dicitur, digitis attigerunt, cumque, ut ea, quæ scriberent, & casibus, & temporibus, & genere, & numero conservent, multis egeant pædagogis: quid mirum, si Romanorum hominum, quod ad eloquentiæ laudem attinet, spes infringatur, & languescat industria? *Honos*, inquit ille, *alit artes, omnesque incendimur ad studia gloria; jacentque ea semper, quæ apud quosque improbantur.* Quod si nostra ætate unus aut alter homo Romanus, Latine scribendi laude perspicuus, eo est in loco conspectus, qui huic præsertim arti studioque debetur, hic non tam sui artificii meritis, quasi viribus, ad eum pervenit, quam potentioris cujuspiam auctoritate & gratia, quæ ad honores, etiam eos, qui industriæ debentur, consequendos plurimum valet, tanquam machinatione aliqua, est ad eundem attractus. Sylvium Antonianum in Urbe natum Clemens VIII, magis recte scribendi laude & celeritate, qua superior erat cæteris, quam longo cum ipso amicitiæ & consuetudinis usu, ad Latinas literas scribendas adhibuit: similiter Gregorius XIII, hanc eandem provinciam Antonio Buccapadulio demandavit, amicitia, quæ cum ipso intercedebat, impulsus. Atque hic Antonius, ab origine ultima, stirpis Romanæ, nobili inter suos ortus est loco, (etenim Buccapaduliorum familia non in postremis Urbis Romæ numeratur) patre usus est diligente in ipso erudiendo, eoque magis, quod ille summam in puero ingenii docilitatem, & in percipiendis iis, quæ tradebantur, celeritatem, agnoscebat: cujus ingenii magnitudinis erant in-

dicio quidam eloquentiæ quasi igniculi, qui in eo, etiam tum puero, elucebant. Ut enim, quemadmodum probe inquit Cicero, hominis decus, ingenium, sic ingenii ipsius lumen est eloquentia: ad quam cum se a natura ferri sentiret, simul ac doctrinis illis, quibus puerilis ætas impertiri solet, eruditus, excessit ex ephebis, cum sibi eloquentiam, quasi sponsam despondisset, noluit eam indotatam habere, sed ad magistros Philosophiæ ac Theologiæ se contulit, ut eam, ab iis, sponsæ, quam sibi delegerat, dotem arcesseret. A quibus, satis habuit, earum scientiarum fontes & capita noscere; ut inde postea hauriret tantum, quantum esset necesse ad suam eloquentiam ornandam instruendamque. Quæ eloquentia, cum a parvis initiis orta, maturitatem suam adepta esset, non eam ille domesticis parietibus inclusam aluit, sed foras eduxit, ac sæpe multis audientibus, quanta ea esset, aperuit. Sed cito intervenit Gregorius XIII, qui illum, ab omnibus aliis exercitationibus abductum, ad conficiendas Pontificias epistolas, quibus Brevium est nomen, adduxit; quarum concinnator, Secretarii domestici nomine, insignitur. Ad quas scribendas, tantam primum eloquentiam attulit, quantam nemo alius ante ipsum, qui in eodem munere versatus sit; tum magnum sacrarum literarum usum, quarum verba atque sententias, ita scite in suis epistolis illigabat, ita apte iis locis, quibus opus erat, includebat, ut eæ ad illam rem natæ viderentur; tum, singularem prudentiam, qua nullum in illis verbum collocabat, nullum dictum ex ipsius dictantis ore exibat, quod jure reprehendi posset; postremo, illud orationis genus adhibebat, quod Pontificiam majestatem, eorumque, ad quos literæ dabantur, conditionem ac dignitatem deceret. Nec fuit illi magnopere desiderandum in eo munere, ut insignis aliqua ingenii prudentiæque sibi suæ declarandæ occasio atque materia objiceretur. Nam Gregorio Pontifice, qui tredecim annis Ecclesiæ navis in puppi sedens, ejusque gubernacula retinens, e multis eam scopulis auctoritate sapientiaque eripuit, multæ ac graves sese dederunt: ut, cum magnus militiæ Hierosolymitanæ Magister, pluribus maximis criminibus

ac-

accusatus, Romam fuit evocandus, ut causam diceret: qua de re, multa ad Reges, ad Respubl. ad Dynastas, brevia scribenda ac mittenda fuerunt: quæ ego, Marcelli Vestrii opera, ex Sedis Apostolicæ tabulariis accepta, ita legi, ut neminem unquam de rebus, ad summam Reipubl. spectantibus, scribentem, magis sim admiratus. Qui magnus Magister, me puerulo, utpote non amplius quinque annos nato, Romam venit, regali prorsus apparatu, ab Hippolyto Card. Estensi hospitio exceptus; apud quem etiam, sive ægritudine, sive alia vi morbi oppressus, vivendi finem fecit, atque delatus est in Ædem D. Ludovici, nationis Gallicanæ, ea funeris pompa magnificentiaque, qua nulla postea Romæ major neque amplior est visa: nam, quantum ineuntis illius ætatis retinere memoria valuit, quantumque meminisse possum, præter omnes Laicorum Sodalitates, præter omnes religiosorum Ordinum e mendicato victitantium familias, præter Sacerdotes, superpelliciis indutos, quorum incredibilis erat numerus, longus atratis in equis sedentium ordo conspiciebatur, quorum partim tubis dissonis atque discordibus, ac luctum maxime præferentibus, canebant, alii longissima ex serico vexilla trahebant; hos subsequebantur, non minus multi pedites atrati, qui tympana, fractum ac discordem sonum edentia, pulsabant; plerique vexilla item alia ex serico post se trahentes, lugubrem oculis afferebant aspectum: & quoniam eo die lutulentæ erant ac corruptæ itineribus viæ, erat mihi ægre, ut puero, tantam vim sericæ vestis infici, lutoque corrumpi: accedebant deinde, si recte memini, omnes illi Hierosolymitani equites, qui Magistrum suum ac ducem, honoris officiique gratia, Romam comitati fuerant, quorum non parvus erat numerus, longis syrmatibus, quacunque incedebant, humum, insectam cœno, verrebant: funalium vero, quæ defuncti lectum, auro tectum, hac illac complectabantur, ea vis erat, ut viæ, quibus funeris pompæ iter erat, non collucere sed ardere viderentur. Sed quid frustra tempus in his rebus referendis conterimus, quæ nihil ad rem, de qua agimus, pertinent? Redeo ad Antonium, cui, Gregorio extincto, Sixtus V, qui illi

in Pontificatu successerat, scribendarum epistolarum munus, quod tanta eloquentiæ fidelitatisque cum laude obeundo administraverat, abrogavit, ac Thomæ Gualterutio, qui omnium Brevium conscribendorum provinciam acquisierat, mandavit; homini elato, ac pertinaciter suo juri sententiæque addicto, cujus eorum, quæ diceret (nam sæpius eum in Sodalitiis verba facientem audivi,) quamvis admodum attenderem, quæque scriberet, nunquam potui quidquam intelligere; ita confusa erat oratio, ita perturbata, nihil ut esset primum, nihil secundum. Sed hic non diu lactare se potuit; etenim, non ita multo post gravi in crimine, quo Pontificis summi majestas lædebatur, deprehensus, pœnas legibus dedit, ac tum munere, tum pecuniis, quibus illud comparaverat, quæ erant magnæ, eversus petivit; & in ejus locum subrogatus est Jo. Baptista Canobius. Sed Sixto morte sublato, rursus Antonius a Gregorio XIV est revocatus in cursum, ac tenuit locum, unde fuerat depulsus, fere tamdiu quam vixit. Fuit etiam Basilicæ Apostolorum principis Canonicus; eique muneri assiduitate ac diligentia, quoties per occupationes publicas licebat, non defuit: præterea moribus integerrimis atque mitissimis.

XVII. JOANNES BARCLAJUS.

URbs Roma, domicilium quondam Imperii, eloquentiæ atque omnium bonarum artium sedes, ac totius miraculum orbis, cum, frequentibus barbararum nationum in Italiam incursionibus, non semel, sed sæpe diruta atque vastata, non solum, præstantissimam pulcerrimamque, qua miraculo erat omnibus, faciem, majestatem imperii, liberam sui aliorumque regendorum potestatem, amisisset, verum etiam (o rerum humanarum inconstantiam!) elegantium disciplinarum studia, eloquentiæque laudem abjecisset, qua primum una Romani, omnium gentium victores, a victa Græcia, superabantur; deinde, summorum illius oratorum, Periclis, Æschinis, Demosthenis, dicendi gloriam, M. Antonii, Lucii Crassi, Q. Hortensii, Marci Ci-

Ciceronis virtute, si non superarunt, certe adæquarunt, Latinum quoque sermonem, in quo formando expoliendoque tot doctissimorum virorum ætates videmus fuisse contritas, oblivioni mandavit, atque alia lingua, ex multarum colluvione linguarum conflata, loqui cœpit. Qui sermo Latinus, quasi fato suo functus, in ipsis Urbis ruinis, ut ita dicam, sepultus per multa secula jacuit: sed conati sunt primum, tanquam ab inferis mortuum, excitare, Dantes Aldigherius, Joannes Boccatius, Franciscus Petrarcha; nec infelici successu. Sed ii postea, mutato consilio, maluerunt eam linguam, in qua nati erant, quamque una cum lacte nutricis suxerant, vocibus augere, figuris dicendi ornare, & ad perfectionem absolutionemque perducere, quam in ea lingua, ex veterum scriptorum libris, quos bellorum calamitas reliquos fecisset, tanquam ab Orco revocanda, operam perdere; in qua colenda, & naturali illius puritate nitoreque persequendo, bene cum illo agatur, qui cuipiam ex veteribus scriptoribus proximus, sed longo intervallo tamen proximus, accesserit. Deinde venit illis in mentem, quod Horatius, de se ipso ac de iis, qui Græcos versiculos facerent, inquit, non minus eos insanire, qui magnas Græcorum mallent implere catervas, quam qui in silvam ligna ferant; his nunc similes eos esse ex nostris, qui, cum ad scribendum se conferunt, malunt Latinorum scriptorum, quorum magnus est numerus, quam suorum cumulum augere. Itaque illi, ingenio judicioque, quo præstabant, tum soluta oratione, tum versibus, vernaculum ipsorum sermonem, ejus principes copiæ atque inventores, eo perduxerunt, quo nemo adhuc potuit pervenire, ac ne fortasse quidem perveniet, quamvis egregii complures tum poëtæ tum oratores extiterint. Latuerunt deinde, post hos Latinæ literæ non paucos annos; sed rursus Nicolao V Pont. a nobilissimis ingeniis excitatæ revixerunt. His alii successerunt, usque ad nostram ætatem; neque unquam Latio Latinus scriptor egregius aliquis defuit; sed tam pauci ex nostris huic studio operam suam dederunt, sive quia magni laboris res sit, sive quia nullus illi honor habeatur; ut in illud, tanquam in possessionem nudam ac va-

etiam, exteræ nationes invaserint; ac fere omnes, qui dediti literis sunt, de ea re, quam tractant, copiose eleganterque perscribant; neque quicquam illis deesse video præter unum, quod non est eorum, urbanitate quadam quasi colorata, oratio. Duos tamen excipio oratores externos, Petrum Joannem Perpinianum Hispanum, & M. Antonium Muretum Gallum; quorum in orationibus recinit quiddam & resonat adeo urbanum, ut in Romana civitate nati, non autem in eam asciti, videantur. In iis, qui extra Urbem Romam, atque adeo extra Italiam, Latinis literis studium suum dederunt, Joan. Barclajus numeratur; cujus ego legi Argenidem, & partem etiam Euphormionis degustavi tum, cum nondum lata lex erat, ne bibliopolæ cuipiam liceret eum vendere, aut cuiquam domi habere ac legere. De cujus operis stylo, operæ pretium est agnoscere, quid scribat auctor anonymus; qui quanquam nomen suum & patriam non indicet, tamen peregrinum eum esse apparet. Ita enim ait: *Latinitas quoque ipsa Romanas aures peregrinitate radit, & veteris puritatis sapere imbutum palatum offendit.* Vere an secus id sit Barclajo ab illo, qui se ejus amicissimum profitetur, objectum, non est meum statuere, sed eorum judicio relinquo, qui diutius ac diligentius sint in ejus scriptis, quam ego, versati. Verum ille patre natus est Guillelmo Jurisconsulto, Scoto, ex vetere ac nobili in Scotia Barclajorum familia, sed non ita multis ante annis, sive fortunæ, sive hominum vitio, ex florentissimis rebus ad summas rei familiaris angustias prope redacta. At Guillelmus, cum videret, non posse se honeste in patria vivere, aliam urbem, aliam civitatem persequi statuit; atque in Galliam venit, ut ibi liberali aliquo artificio ætatem suam tueretur. Erat tum annos natus triginta, ac vix tantum literarum attigerat, quantum prima illa puerili institutione potuerat. Nam totam adolescentiam, ac primos florentis ætatis annos, in aula Regis Scotiæ, inanibus aulicorum officiis ediscendis persequendisque, contriverat. Avarici igitur Biturigum, in celebri illo Gymnasio, cum vellet facultatem aliquam addiscere, quæ sui cultori fructuosa esset; ad jurisprudentiam animum ad-

adjecit, atque Jacobo Cujacio, cui tum primæ in Gallia ejus facultatis, quam profitebatur, deferebantur, operam summo studio ac diligentia dedit. Nec sui eum laboris industriæque pœnituit: etenim, Cujacio ipso judice, tantos in Jure civili progressus fecerat, ut ab eodem Juris civilis publice quovis in Gymnasio interpretandi potestatem acceperit. Ex discipulo igitur magister effectus, P. Edmundi Hayi, Societatis Jesu, illius avunculi, opera, qui tum plurimum auctoritate & gratia valebat, impetravit, ut in Mussipontana Academia, quam Dux Lotharingiæ, tanquam mercatum bonarum artium, aperuerat, eam disciplinam aliis traderet, quam a Cujacio, summo doctore, acceperat; hoc est, ut Jus civile doceret. Ibidem est illi res, uxor, liberi inventi; Joannes nimirum Barclajus, qui nunc nobis est propositus: hunc enim solum sua ex uxore accepit; qui, simul ac ætas disciplinæ patiens fuit, a parentibus, Patribus Soc. Jesu erudiendus est traditus. Qui Patres, cum in puero summam ingenii docilitatem, qua celeriter acciperet quæ tradebantur, aspicerent, eumque longius æqualibus omnibus præcurrere animadverterent, illi, utpote quos fama est optimorum ingeniorum aucupium facere, (quod nec piorum, & intelligentum quisquam vitio ipsis vertit,) summam dederunt operam, ut in suo eum numero haberent: atque adeo concinnaverant aream, adeo quasi cibum offuderant, ut nihil propius fit factum, quam ut eum caperent. Et sane cepissent, nisi parentes, qui rem fuerant odorati, quibus ille erat unice unicus, obstitissent, atque aucupum consilia disturbassent; discedentes denique una cum filio jam grandiore; commodum, cum Rex Scotiæ Jacobus, Regni Angliæ, quod hæreditario ad ipsum jure pervenerat, possessionem esset adeptus. Itaque in Angliam se contulerunt: magna enim in spe erant, novi Regis adventu, Catholicam Religionem omnibus illic malis atque periculis, quibus exagitata fuerat, fuisse perfunctam, simulque apud Regem illum, & ipsum non ineruditum, locum bonis artibus fore. Neque, ad bonas artes quod attinet, Guillelmus est opinione sua deceptus. Est enim honorifice a Rege exceptus, & ad Consiliarii dignita-

tem

tem magnis ſtipendiis vocatus : ſed ad religionis incolumitatem quod attinet, ad ſpem inanem ſe fuiſſe devolutum ſenſit. Quam poſtquam in dies magis magiſque extenuari atque evaneſcere videt, quia erat avitæ religionis retinentiſſimus, maluit, quæ a Rege offerebantur, repudiare, quam vel in minimam ſuſpicionem religionis deſertæ venire : ac ſtatuit, inde, quantum poteſt, ſeſe ſurripere. Annum tum agebat Joannes decimum ſeptimum, cum de Regis inauguratione elegantiſſimum carmen edidit, maximo verborum ſententiarumque ſplendore illuminatum : quod lectum Rex adeo probavit, ut ſumma ope a parente contenderit, filium ſecum ne abduceret, ſed apud ſe eum eſſe pateretur ; quem conſtituerat opibus & honoribus locupletare atque augere. At pater, metuens, ne filius, ut ſunt adoleſcentum animi molles, & ætate fluxi, dolis caperetur, & a veræ religionis cultu abduceretur ; reduxit eum in Galliam, ut ibidem tantiſper cum ipſo maneret, quoad catholica fides altiores in ejus animo radices ageret, quam ut ulla vi labefactari convelliique poſſet, ut eum poſtea optimis doctrinis adverſus improborum impetus vallatum munitumque, ad Regem remitteret, qui collapſæ familiæ decus inſtauraret, ac majorum ſuorum loco reſtitueret. Sed Pariſiis, dum ſecundus aliquis fortunæ flatus oſtenderetur, quò vela daret, expectans, ab Andibus, optimis conditionibus evocatur, ut in ipſorum Gymnaſio primariam Juris civilis cathedram obtineret. Ubi cùm jam quinquennium docuiſſet, eſt mortuus. At Joannes filius, noluit præſtantiſſimum ingenium, mitioribus Muſis aptum, ad Juriſprudentiæ ſtudia conferre ; quæ cum ſpinoſiora, atque ab omni fere delectatione magis vacua, quam cogitaverat, eſſe comperiſſet, convertit ſe ad ſatyram, Petronii Arbitri exemplo, ſcribendam ; ubi & principum omnium aulas, quas partim ipſe vidiſſet, ut Gallicam, Anglicam, Belgicam, Lotharingicam, partim ab aliis commemorari audiviſſet, ut Romanam, Hiſpanam, Cæſarianam, earumque vitioſos aulicorum mores, eleganti ſane ſtylo, perſtrinxit : tum, magna ſpe imbutus, profectus eſt in Angliam ad Regem, quò cum parens,

ſed

ſed natu grandiorem, deſtinaverat. A quo exceptus eſt humaniſſime, brevique in intimam ipſius familiaritatem perductus; quod jam pridem eam, quam in adoleſcentulo ingenii virtutiſque aſpexerat indolem, adamaſſet; atque ab epiſtolis, & conſiliorum omnium participem, habuit. Utrum autem, apud Regem, incorruptam catholicam religionem ſemper conſervaverit, vel ſaltem, ſi non animo, ſpecie tenus hæreticorum ſe erroribus obliniecit, incertum eſt mihi: illud autem certum, catholicorum omnium in Anglia fuiſſe opinionem, Regem illum in eo libro, cui titulus eſt, *Funiculus triplex*, *& cuniculus triplex*, componendo, uſum fuiſſe Barclajo adjutore atque magiſtro: nam Rex, quamvis literas adamaret, vix leviter illis tinctus exiſtimabatur; aliquam tamen de ſe literati viri opinionem faciebat, quod eruditorum ingeniis delectaretur, iiſque faveret. Ibi Barclajus, ex uxore, quam habebat, maſculam prolem ſuſcepit. Sed aliquanto poſt, ſive eum deſertæ veræ religionis, ſi tamen eam deſeruit, pœnitentia ſubierit, ſive Card. Bellarminus, qui Regis libro reſpondit, quemque illius dicta firmiſſimis, validiſſimiſque rationibus convellere ac labefactare videbat, de falſa quam imbiberat opinione dejecerit, rectum ad ingenium rediit, & clam ex Anglia, una cum uxore & filio, ſe fuga ſurripuit, ac Romam venit, ubi cum pro eo, quod ex Euphormione, quem ediderat, celebratum ejus nomen eſſet, eſt ab omnibus humaniter exceptus, & a Paulo V, qui tum Romanam Eccleſiam Pontifex adminiſtrabat, bonis omnibus, quibus ſponte ſe exuerat, amiſſis, in victu, veſtitu, ac ceteris omnibus ad vitam neceſſariis, magnifice ac liberaliter habitus. In cujus etiam gratiam, atque ut oſtenderet, vere & ex animo, non autem per ſimulationem aliquam pietatis errores, quos falſa opinione imbutus ac ſua privatus imbiberat, ejeciſſe; librum adverſum ſectarios docte eruditeque conſcripſit, & in lucem edidit. Eadem ingenii fœcunditate peperit egregium illud opus, Argenida nomine, quod & argumenti novitate & verborum ſplendore, ac rerum varietate, tantum commendationis habuit, ut mulierum etiam, quæ illud miris in cœlum laudi-

dibus efferri audiebant, ad cognoscendum, quid illud afferret, studia commoverit; adeo ut quidam quo animum illis expleret, in Italicum sermonem illud converterit. Per idem tempus contigit, ut M. Antonius de Dominis, Archiepiscopus Spalatensis, relicta Catholicorum militia, in Angliam ad hæreticorum castra confugeret, sive stomacho & iracundia vehementius adversus quosdam elatus, (hanc enim causam sui dementissimi consilii & facti afferebat; tanquam si aliqua causa justa cuiquam esse possit, contra fidem arma capiendi;) sive vitio depravatæ mentis, sive, ut omnium tum erat opinio, ambitionis avaritiæque studio, quod sibi persuasisset, se primas apud Regem illum partes in administranda Republ. habiturum. At Barclajus, qui & regionis illius mores & Regis consuetudinem nosset, egregio scripto, quod ego, ob ejus elegantiam atque prudentiam, mea manu descripsi, edicit, quemnam illa ejus profectio & fuga exitum esset habitura. Neque secus evenit, atque prædixerat: nam, cum Archiepiscopus sua se opinione ac spe deceptum intelligeret; coactus est Romam venire, ibique palinodiam canere, libello edito, in quo errores suos, qui fuerant pene innumerabiles, detestabatur. Id quod egomet vidi: namque in foribus Sacelli Pontificii, sua manu, Cardinalibus distribuit, quum Sacro absoluto discederent; adeo perfricta fronte, ut si in Palæstinam ad loca illa religiosissima, Christi vestigiis impressa, perlustranda, non autem in Angliam ad bellum Catholicis inferendum, profectus fuisset. Ex eo tamen libello licet intelligere, quantum vir ille, ingenio, eruditione, & eloquentia, qua præstabat, proficere potuisset, si iis armis salutariter, ad tuendam, non autem ad oppugnandam orthodoxam fidem, uti voluisset. Sed non diu factum est, postquam ille Catholicæ Ecclesiæ restitutus fuit, cum signa aliquot dedit, quæ essent indicio, non illum veritatis amore, sed temporis gratia, hæresin abjurasse. Etenim multa dixit & scripsit, quæ improbum ejus animum, ab illis integumentis dissimulationis evolutum, ostenderent. Deinde manifesto deprehensum est, eundem, convasatis rebus omnibus, fugam ornare, ut rursus se in hostium castra

reci-

reciperet. Quamobrem comprehensus, fidei quæsitorum jussu, conjectus est in carcerem, ut ibi de eo legibus fieret judicium. Sed, antequam damnatus traderetur iis judicibus, quibus ad supplicium a Quæsitoribus fidei publice, ut relapsi, tradi solent, ex ægritudine, quum ea, quæ cogitasset, fœda sibi atque aspera evenirent, conjectus est in morbum, quo celeriter occidit. Defuncti corpus depositum est, testibus præsentibus, apud Ædem sanctorum duodecim Apostolorum, ut ibi esset, quoad definitum aliter foret. Summa denique hæc fuit, ut anno cIɔ Iɔ C XXV, qui erat annus jubilei, feriis sancto Spiritui sacris atque solemnibus, quo die insignes quidam sacrilegi, ac desertores religionis, hæresios damnati, in Ædem B. Mariæ Virginis supra Minervam, dedecoris ignominiæque causa, adducebantur, ut populo Romano spectaculo essent; eodem, inquam, die, illius cadaver, in eadem arca, in qua conditum fuerat, deportaretur, atque a lectore, qui fuerat excitatus, pronunciatus magna voce capitibus hæresum, quibus prius ille se obliniverat, ac deinde rursus inquinaverat, continuo deferretur in forum, cui Campo Floræ nomen est, ibique igne cremaretur. Sed ut ad Barclajum, a quo paululum aberravit, revertatur oratio, Romæ novam ex uxore sua masculam prolem accepit, ac cive uno Urbem nostram auxit. Quem cum sacro Baptismatis fonte abluendum curaret, Maphæum Barberinum Card. patrinum, seu ut olim loquebantur, patronum ac sponsorem adhibuit, quicum, similitudine studiorum ac voluntatum, magnus illi amicitiæ usus consuetudoque intercedebat; qui deinde, a Deo proximum, in terris, dignitatis locum evectus, Urbani VIII nomine, non modicæ illi utilitati & commodo fuit: nam & divitias & opes ac gratiam contulit, filiumque ejus majorem natu, & pingui sacerdotio locupletavit, & honorarii intimi cubicularii titulo cohonestavit. Ædes, dum vixit, habuit mercede conductas, Vaticano proximas, quibus erat hortus adjunctus, quem lectissimis floribus conseverat; iis, inquam, floribus potissimum, qui non ex seminibus, vel radicibus, sed ex varii generis bulbis oriuntur; quæ florum genera, annis abhinc triginta, a noti-

titia hominum aberant, nec fuerant Romæ conspecta, sed in summis Alpibus sine aliquo honore cultuque jacebant, præter hyacinthos & narcissos, e quibus grati suavesque odores afflantur, ceteri vero, specie tantum ac colore, nulla fere odoris suavitate, commendantur. Ex Alpibus igitur in Urbem allati, ob novitatem, tantum illis ab hominum cupiditate, precium statim accessit, ut bulbi eorum quidam, singuli, centenis & eo amplius nummis venierint: sed deinde, cum, humi positi, eam magnam ex se sobolem procreassent, jam ut nihil illis fœcundius inveniatur, illorum pretia, quæ ita in altum ascenderant, sic conciderunt, ut nullorum fere florum plantarumque sit vilior annona. Itaque horum florum Barclajus studiosissimus cum esset, eorumque bulbos ingenti pretio coëmisset, accidit, ut nocte quadam ad unum omnes fuerint eruti atque subrepti, ab operis, ut ipsius opinio ferebat, quas pridie ejus diei, ad eos conserendos, ipse conduxerat. Neque longius a similitudine veri abibat: illi enim probe noverant, quo unumquemque illorum loco sevissent, & signa ac notas locorum, memoriæ mandaverant, quibus cognitis, sibi ipsi foderent, & id quod vellent, parvulo labore, nullo errore invenirent. Illud quidem admirabilitatem maximam facit, quod, cum fures illi se per maceriem in hortum demitterent, non fuerint animadversi a duobus molossis, quos ibi in præsidio collocatos habebat: jam ut fiat mihi credibile, id quod sæpius audieram, nec ullo modo fieri posse existimabam, fures nocturnos, cum clam domum cujuspiam, furandi causa, se inserunt, canibus, si qui sunt ibi, veneficiis atque cantionibus, vocem, ne latratum edere possint, eripere. Denique, vir optimus, dignus qui diutius viveret, vel potius qui numquam moreretur, lethali morbo correptus, munus illud implevit, quod necesse est omnibus exequi; videlicet mortem obivit, atque honesto funere delatus est in templum S. Honuphrii, in colle Janiculi, quo sæpe, dum viveret, aëris amœnitatem salubritatemque secutus, se conferebat. At hæres sepulcrum illi, in Æde religiosissima S. Laurentii, via Tiburtina, ad dexteram ostii cœmeterii, e marmore faciendum curaverat, eique imaginem

ginem parentis, usque ad pectus, item e marmore scite factam, apposuerat. Quod sepulcrum, omni ex parte, par atque simile erat alteri ad lævam ejusdem ostii, quod Card. Franciscus Barberinus, Bernardo Gulielmo, magistro suo, excitaverat cum illius imagine usque ad pectus item e marmore. Quod uxor Barclaji, mulier tumido, ut ajebant, animo atque elato, cum vidisset, statim viri sui imaginem ex sepulcro illo, quod totum demoliri non posset, detrahi jussit ac domum suam afferri; quod acciperet indigne, eum, cui ipsa nupta fuisset, generis splendore clarum, sed ingenii & eruditionis fama clariorem, cum homine obscuro, ac nullius fere ingenii, &, ut ipsa dicebat, pædagogo, componi.

XVIII. PAULUS ÆMILIUS SANCTORIUS.

Recte sane atque prudenter Isocrates, doctor singularis, cujus domus habita est quædam quasi officina totius Græciæ, eorum, qui se in disciplinam ipsi tradebant, inspiciebat diligenter ingenia, eaque ad id, ad quod erant apta, compellebat, neque sinebat, in eo operam perdere, in quo plane abhorrerent, & essent absurdi. Quod cum fecissent, conformabat perficiebatque in unoquoque, quod illius natura pateretur. Quamobrem Demosthenem, quem unum, divinitate quadam ingenii præditum, præ ceteris ad dicendum a natura factum videbat, ad causas agendas, atque ad populum concionibus tenendum, impulit, instruxit, armavit. Itidem, cum Ephorum & Theopompum, quorum primum, quod verborum licentia, tanquam equulus, qui liberius evagetur, exultaret, frenis coërcebat, alterum vero, quod verecundaretur ac cunctaretur, calcaribus adhibitis, celerioribus ingenii moribus uti cogebat, quia eos melius historiam scribere, quam orare causas posse, intelligebat, præceptis ad illud scriptionis genus quam maxime necessariis erudivit, in eisque in primis exercuit. Qua igitur tempestate Gymnasium Romanum Soc. Jesu, & magistrorum, Perpiniani videlicet, Maffeji, Tursellini, aliorumque nobilitate, ac discipulorum summi ingenii laude præstantium copia, florebat, tres adolescen-

scentes, una ferme omnes ætate, in omnium literarum genere, ac præsertim in his humanissimis liberalissimisque studiis, ceteris clarius exsplendescebant, Bernardinus Stephonius, Julius Cæsar Stella, & Paulus Æmilius Sanctorius. At non omnes omnibus in rebus, in pari laude, versabantur, sed in sua quisque arte erat alteri præstantior. Ac Stephonius vincebat ceteros carminum cujusque generis conficiendorum celeritate, ut non esset alter, qui plures versus, *stans pede in uno*, ut de Lucilio Horatius inquit, effunderet: Julius Cæsar Stella, ad heroicum carmen a natura factus, considerata accurate diligenterque scribendi tarditate, promptam Stephonii in faciendis versibus celeritatem superabat; at Paulus Æmilius, ad scribendam historiam se a natura ferri compellique sentiebat. Itaque summi illi, de quibus diximus, magistri id conformabant in illis, quod natura ipsorum pateretur; ac Stephonii in componendis varii generis poëmatis, exercebant industriam, & in primis dabant operam, ut recideret sibi ille multa, quæ, sicut in vitibus, sese nimium profudissent, vel ut nitidius quædam currere elaboraret, quæ lutulentius effluerent. Stellam vero, qui limatius scribendi genus consectabatur, a cohortatione sua non deserebant, eidemque auctores erant, ut argumentum aliquod heroici carminis sibi deligeret, in quo magnificum illud atque sublime locutionis poëticæ genus, quo præstabat, exprömeret, ac tota mente Virgilium atque omni animo intueretur. Quod ille arripuit, & Columbi navigationem ac res gestas grandibus ac splendore sententiarum illustribus explicare versibus cœpit: ac nondum vigesimum ætatis suæ expleverat annum, cum duos ejus operis libros edidit, tanta eruditorum omnium approbatione plausuque, ut tum fuerit judicatum, non esse credibile, nisi iis qui suis ipsi oculis subjecissent, tantam vim facultatis, artisque præstantiam, in id ætatis hominem cadere posse; neque dubium cuiquam fuerit, si in suis studiis manere; neque, ut postea fecit, ad inanes aulæ ambitiones animum traducere voluisset, quin propius quam ceteri, qui in eodem curriculo versarentur, ad Virgilii gloriam accessurus fuisset. Postremo Paulus Æmilius Sanctorius, &

& magistrorum cohortationibus persuasus, & naturæ vi, a qua multa ad eam rem habuerat adjumenta, compulsus, omnem fere suam operam ac studium ad scribendam historiam contulit, magna ingenii, eloquentiæ, elegantiæ, prudentiæque cum fama; quæ opinio adeo omnium fere animos, toto terrarum orbe, invaserat, ut vulgo Historicus appellaretur. Verum, ab ineunte ætate usque ad exitum vitæ, nihil propemodum aliud egit, nisi ut sui ævi res gestas docta atque eleganti narratione complecteretur; quo tempore, etiamsi quindenos, ut de quodam scriptore historiarum dicitur, dies in singula periodo perficienda ac rotundanda trivisset, facile illi fuisset, ab orbe terrarum condito usque ad sua tempora historiam contexere. Nihil tamen apparuit, præter operis totius fragmenta quædam, in quibus vel locus, vel regio, vel pugna, vel similis res aliqua graphice descripta continebatur. In quibus, quantum ego intelligere possum, maxime Cornelium Tacitum mihi videtur imitatus. Nam, quemadmodum ille, pressus verbis, creber est rerum frequentia. Atque eo magis ab eo perfectum aliquod opus expectabatur, plenumque prudentiæ, quod non ille, scribendi causa, se in aliquam solitudinem, vel in religiosorum hominum castra abdidisset, sed in aulæ luce versatus, non minimam Reipubl. partem accepisset, quod & Referendarii munere functus esset, & plures provincias administrasset; quibus ex rebus & prudentia & rerum usus, scribendi historiam necessarius, acquiritur. Atque ejus operis, in quo ipse vehementer elaborare dicebatur, fama compulsus Paulus V, Pont. max. bonæ existimationis in primis cupidus, opere magno petiisse ab eodem perhibetur, quidnam de ipso ac de rebus a se Pontifice gestis scripsisset; cui: Nihil, Pater sancte, respondit, nisi quod cum veritate consentiat; nam, quis nescit, primam esse historiæ legem, ne quid falsi dicere audeat; deinde, ne quid veri non audeat? Sed magnam illi faciunt heredes sui injuriam, si cum illud idem opus exædificaverit, parietum umbris occulunt, nec typis editum lucem aspicere sinunt. Erat homo vehemens, acer, imperiosus, adeo ut alumni Collegii Græcorum, qui sub Cardinalis S. Severinæ, ejus pa-

patrui, tutela patrocinioque latebant, sint, volenti ingredi, ædium suarum fores coacti occludere, eo quod, patrui fiducia fretus, turbare ac permiscere omnia vellet, ipsi vero imperia ejus pati nequirent. Erat, in odorandis deprehendendisque aliorum hominum vitiis, acutus, in eisque reprehendendis, cum aliquo maledicto facetus. Fuit, quoad vixit, Fabricio Card. Verospo intimus, vita ac moribus illi consimilis. Postremo, pluribus in Repub. muneribus functus, ac Urbini Archiepiscopus factus, in eo honoris gradu vita decessit. Sanctarum Virginum vitas elegantissimo stylo scriptas, atque uno volumine comprehensas, reliquit: sanctorum etiam Apostolorum Petri & Pauli res gestas, alio volumine, pari, cum superiore, elegantia, cultu atque nitore, complexus est. Quæ volumina, typis edita, satis indicant, quantum vir ille, egregius in primis, in hoc genere scriptionis, ut de eo erat fama, præstiterit.

XIX. ALEXANDER STUFA.

PArens ac domina rerum omnium, natura, cum ad ceteras bonas artes, tum ad eas maxime, quæ ingenii facultate ac viribus constant, unumquemque creat atque ornat; adeo ut, si quispiam, ea invita ac repugnante, aliquid aggredi ac moliri conetur, operam ludat, &, quamvis toto vitæ suæ tempore in eo persequendo elaboraverit, ejus, quod in ipso virium, laboris, operæque consumserit, se postea pœniteat. Hinc te Horatius jubet, *ut nihil invita facias dicasque Minerva*. Atque ex veteribus eloquentiæ magistris inventi sunt aliqui, qui, cum mercede docerent, eos, quos minus ad eam rem aptos comperissent, non patiebantur apud se operam perdere, sed ad id, quod facere possent, dimittebant. Verum cum in omnibus rebus, ut diximus, natura dominetur ac polleat, tum in primis facetiæ illius sunt propriæ; non solum illæ, quæ peracuto brevique aliquo dicto constant, verum etiam eæ, quæ æquabiliter in omni sermone fusæ ridentur. Natura enim format ac fingit narratores facetos. Quamobrem, qui nulla ad eam rem adjumenta ab ea habeant, si se ad jocandum

con-

conferant, nihil in eis, nisi eorum insulsitas, rideatur. Atque in utroque facetiarum genere, tum in eo, quod in perpetuitate sermonis, tum in eo, quod in celeritate ac dicto est, elegans atque erudita Florentinorum natio præter ceteros, ut mihi videtur, excellit: de quorum hominum facetiis, aliquot etiam inscripti sunt libri. Florentinus erat Alexander Stufa, de quo referre instituimus; in quo egregia multa ac laude digna numerabantur. Genus, (erat enim summo inter suos loco natus,) divitiæ, ingenium ad omnes liberales artes factum, Juris civilis, Philosophiæ rerumque divinarum scientia, multæ præterea elegantes in eo literæ, tum Latinæ tum Etruscæ; in utraque enim lingua scribebat, cum erat opus, soluta oratione ac versibus; quam scite eleganterque, affirmare non ausim, cum nunquam in ejus scripta inciderim: verum, multo magis in illo laudabatur acerrimum in notandis animadvertendisque eorum operum vitiis, quæ, sive typis impressa sive manu exarata, in vulgus exissent; simulque excellens ejusdem in lacessendo, vel in respondendo cum esset provocatus, acumen & prompta celeritas. Sed in utroque longius interdum progrediebatur, quam ratio præscriberet. Etenim, in aliorum scriptis examinandis notandisque, sæpenumero non tam Aristarchi partes gerere, quam alterius laudi gloriæque invidentis speciem præferre videbatur. Deinde in jaciendo mittendoque ridiculo nullam se legem tenere existimabat, quæ jubet, ut habeamus hominum rationem & temporum. Et ea quæ occurrant, cum salsissime dici possint, teneamus: at ille interdum ab æstu ingenii se longius abstrahi sinebat, neque hominum caritas erat illi propria laude antiquior; si tamen, esse quamvis ridiculum, est in magna laude ponendum. Hoc uno excepto, quod in eo reprehenderes, non facile reperisses. Erat enim optimis atque integerrimis moribus. Dum esset Florentiæ, perpetuas cum Andrea Salvadore, poëta, mea quidem sententia, lepidissimo venustissimoque, simultates gessit. Itaque ejus versus acuto dente mordebat lacerabatque. Montis Politiani Episcopatum, sibi a Roberto Card. Ubaldino resignatum, obtinuit, & egregie ac fideliter

administravit. Sed, cum ætatis ad exitum decurrentis flexus, & Episcopalis dignitatis ratio, omnem ab ipso jocorum facetiarumque rationem excluderet, ac summam morum vitæque gravitatem exposceret, fiebat, longa consuetudine usuque impulsus, ut, quotiescunque occurreret aliquod salsum & argutum, quod posset dicere, facilius, ut inquit Ennius, flammam ore in ardente opprimeret, quam illud teneret. Verum, vir hic, quemadmodum natura usus fuerat amica ac liberali, in tribuendis animi virtutibus, ita eandem expertus est parum amicam ac liberalem, quod ad corporis valetudinem attinet. Nam corpus male ab ea constitutum habuit, ægrum, infirmum, & acerbissimis podagræ doloribus fere semper obnoxium, adeo ut pedibus ingredi vix posset, sed aliorum auxilio, inter quorum manus deferretur, egeret. Quo factum est, ut celerius, quam ætas illius, nondum morti matura, postularet, vitæ munus impleret.

XX. FRANCISCUS HERRERA.

Nobilis urbs Liguriæ Savona, & situs amœnitate & maris opportunitate & aëris salubritate, tum civium opibus, nobilitate, divitiisque, toto terrarum orbe notissima, tanquam ager fertilis, plures semper ex se, præstanti virtute viros, eduxit. Mitto Pontifices max. Xistum IV, & Julium II, de cujus magnitudine animi, rebus gestis, prudentia, deque ejus in Italiam ac Sedem Apostolicam, cujus imperium mire auxit, amore, nulla unquam ætas conticescet. Mitto S. R. E. Cardinales, vitæ amplitudine ac dignitate clarissimos, in his Raphaelem Riarium, qui princeps omnium, iis Romam ædibus exornavit, quæ urbis instar habere videntur, quibusque, & molis magnitudine & operis præstantia, neque ampliores nec pulcriores ullæ visuntur; in quo ea Romanæ aulæ dignitas ac decus extitisse narratur, quod nemo deinceps exæquare potuerit. Mitto, inquam, hos omnes; non enim, ut sæpius testati sumus, consilium est, singulos, quos quævis virtutis cujuspiam laus in cælum extulit, referre. Sed eos tantum, quos ingenge-

genii vel literarum fama, dignos, qui omnis posteritatis memoriæ tradantur, effecit. Cujus generis tam multos edidit, qui non solum patriæ, ut Liguriæ, verum etiam Italiæ, atque adeo universæ Reipubl. Christianæ, ornamento fuerunt, ut non videam, cui illa urbi debeat cedere. Diximus antea de Gabriele Chiabreta, qui princeps ex omnibus Pindarici carminis, Italis pene omnium ignoti, amœnitatem, flores, ac veneres, in Etruscam linguam feliciter transtulit. Diximus de Jo. Stephano de Syris, Episcopo Sagonæ in Regno Corsicæ, cui mors immatura amplissimos honores & ingenii augendi declarandique facultatem eripuit. At nunc Franciscus Herrera, in eadem urbe natus, objicitur; patre Joanne Herrera, natione Hispano, & matre Paola Ferrera Savonensi, nobili muliere. Hic annos natus non amplius novem, profectus est Romam cum patre; qui multos ibi annos, una cum Octavio Casta Albisiganensi, argentariam nobilem fecit. Qui duo adeo simul conjuncte vixerunt, ut omnia inter ipsos viderentur esse communia; neque unquam, in re aliqua, unius nomen sine alterius nomine usurpabatur; ac tum de argentaria quam simul faciebant, tum de domo in qua habitabant, tum de rheda qua vehebantur, Herreræ & Costæ argentaria, domus, ac rheda diceretur; & ad hanc similitudinem cetera. Atque adeo hæc duo nomina erant inter se conjuncta, ut unum ab altero distrahi separarique non posset, &, sive joci causa, sive consuetudine eos simul appellandi, cum quispiam alterutram ex illorum uxoribus aspiceret, Herreræ & Costæ uxorem videre se diceret. At Franciscus, simul ac Romam pervenit, nihil parentibus fuit antiquius, quam ut ad Patres Societatis Jesu in disciplinam mitteretur; ad quorum Gymnasia, tanquam olim ad urbem Athenarum, adolescentuli a parentibus propinquisque mittuntur. Ubi Francisci ingenium simul aspectum & probatum est; atque eam ob rem data opera a magistris, ut in suam eum Societatem attraherent. Sed non fuit illis magnopere laborandum: nam adolescentem, tum bonitate naturæ ad honestam religiosamque vitam propensum, tum discendi cupiditate ad literarum studia & ad spem summæ

eruditionis exardescentem, facile illis fuit, suam in sententiam perducere. Magna igitur omnium cum approbatione receptus est in Societatem; ubi docilitate celeritateque ingenii, æqualium suorum industriæ præcucurrit; adeo ut celeriter ex discipulis ascenderit, ac magistrorum numerum auxerit; neque solum humaniores literas auditoribus suis tradiderit, verum etiam philosophicis eos disciplinis erudierit. Sed utinam hominis ingenio par data esset firmitas corporis valetudoque, multo ille quidem illustrior fuisset ac notior; quod magna homines ingenia, ex operibus editis, unde de illorum facultate liceat existimare, metiuntur, non autem ex vulgi sermonibus. Nam cum decem & octo annos in ea Societate, summa cum laude, versatus esset, ejusque opera magno sociis usui decorique fuisset, ea vi, aquæ intercutis morbo, invasus oppressusque est, ut medici desperarent, posse illi obsisti. Sed cum propinqui, ejusque in primis fratres, ferre non possent, tantum ingenii lumen immatura morte extingui, erant illi auctores, ut se a Societate illa segregaret, ubi, in tanto vitæ periculo, non satis cum cura curari posse videretur. Quod cum ille vehementer recusaret, nec Socii à suo eum complexu distrahi divellique paterentur, ad Pauli V, Pont. max. præsidium confugerunt, ab eoque, Breve seu literas impetrarunt, quibus potestas illi fieret, ut morbo ingravescente, domum ad suos, ejus depellendi gratia, superioribus etiam invitis, rediret. Neque tamen propterea quidquam de illorum in ipsum amore diminutum est; quin eum semper, quamquam Societatis legibus solutum ac liberum, non aliter quam in suorum loco ac numero habuerunt: neque vicissim eos ille minus quam antea dilexit ac coluit, neque magis segregatos a se habuit; quod & perpetuus amicitiæ usus, quem cum illis retinuit, satis ostendit, & præter alia munera, quibus eos large donavit, stragula illa vestis Damascena, purpureo croceoque ex serico, declarat, qua Romæ, interiores Ædis, nomini Jesu sacræ, parietes exornantur. Cum igitur se recepisset ad suos, majorem nactus est facultatem, morbum illum discutiendi. Ac primum Savonæ, quo, medicorum jussu, se contulerat, ut sub

co-

eodem cælo, quo ortus fuerat, felicius curatio procederet; Savonæ, inquam, subventum est illi, chalcanthi spiritu, solito largius exhibito, utpote jam desperato ac pene deposito. Verum, illius medicamenti, quamvis præcipitis, ea vis fuit, ut morbum, magna ex parte, depelleret: etenim ea vis urinæ egesta est, quam matulæ triginta & octo vix caperent; atque venter, qui præter modum intumuerat, desedit; statimque ex pleno inanis, ex tumido flaccidus factus est, adeo ut pedibus consistere non posset. Sed postquam omnis emissus est humor, reliqua curationis est prosequutus, quo ex toto convalesceret; hoc est, itinera exercitationesque suscepit, in quibus, ad id morbi genus depellendum, magnus est usus. Itaque, de medicorum sententia, omnes Italiæ oras, quas mare superum atque inferum alluit, omnes urbes, peragravit. Sed postquam, crebra gestatione exercitationeque concussus, in veterem valetudinis statum rediisse visus est, ad Urbem venit; & inde Albanum migravit. Id ille oppidum elegit, ubi, prope ab suis, atque ab omnibus curis remotus, ab ambitione præsertim, quæ acrius etiam, quam aliæ omnes animi solicitudines, cor exedit, ætatem ageret; ac, ne ipsi negotium deesset, vineam, optimo vitium genere consitam, sibi paravit, quæ vinum præstantissimum suppeditabat; atque ædes, non ita magnas, sed quæ homini religioso convenirent, ædificandas curavit. Erat sibi conscius, morbum illum, ad quem magnam haberet propensionem, non in totum sibi fuisse sublatum, sed ejus intus quasi semina quædam subesse, unde, nisi maxima cautio adhiberetur, repullularet. Itaque optima victus ratione, animi præsertim hilaritate, cum, modo Albani, modo Romæ esset, dabat operam sedulo, ne iterum eundem ad scopulum sanitatem, tanquam navim, offenderet. Aberat, Albano ab agro, passibus non amplius mille, villa, in quam, prolatis rebus, se recipiebat Maphæus Cardinalis Barberinus; nihilo minus, quam Franciscus Herrera, cupidus tranquillitatis & otii: at summæ illi voluptati, quam ex suo rure capiebat, nihil aliud deesse videbatur, nisi vir aliquis honestus ac doctus, quicum suavissimis, de studiis literarum, sermonibus

otium illud honeste consumeret. Sed insperato illi accidit, ut in Franciscum Herreram incurreret; cujus ingenium simul ac aspexit, ita adamavit, adeoque hominis eruditione doctrinaque delectatus est, ut, quoad ibi rusticatus sit, vix posset ab eo divelli. Atque hæc fuit causa Herreræ, conjungendæ cum Cardinali Barberino amicitiæ. Qui Cardinalis, cum non ita multo post ad summi Pontificatus fastigium, Urbani VIII nomine, esset evectus, & ipse, amicitiæ, quæ cum illo sibi intercedebat, jure, magnam ad spem honorum divitiarumque vocaretur; non fuit tanti hæc spes, ut propter illam otium, in quod, tanquam in portum, se conjecerat, desereret, coque vela daret, unde tam opportunus flatus ostenderetur. Sed tandem, assiduis cognatorum precibus, summa vi postulantium, ut familiæ dignitati & fratris honori consuleret, qui nuper, in numerum Referendariorum allectus, ad Rempubl. capessendam accesserat, passus est se exorari impellique, ut Pont. summum adiret, eique adeptum totius Christianæ Reipubl. imperium gratularetur. Quem simul ac Pontifex aspexit, continuo suavissime est in eum effusus; &, postquam satis, humanissimis verbis prosecutus eum esset, jussit, se sibi sistere, semel in hebdomada, hoc est, die Jovis; quo ille die, paululum a negotiis publicis feriatus, dabat se hilaritati, & amicorum colloquiis. Neque minimum ex ejus consuetudine fructum Pontifex cepit. Nam sæpe, in negotiis de summa Reipubl. maximis atque gravissimis, cum esset adhibitus, magni ejus opera æstimata est; præsertim si causa vel in historia, vel in Theologia, vel in Jure Pontificio, verteretur. Etenim universam rerum omnium scientiam complexus erat. Hunc locum tenuit amicitiæ apud Urbanum annos plures; sed tandem, Jo. Ciampoli ab Urbe discessu, Brevium scribendorum partes accepit. Quod munus quam egregie diligenterque tutatus sit, declarant eædem epistolæ, Urbani nomine, ad varios viros principes scriptæ; in quibus gravitas, prudentia, atque orationis cultus ac nitor, elucet. Erat enim, præter eas artes in quibus excellebat, eloquentiæ studiosus. Quamquam, de ratione Latine scribendi, aliqua esset illi contentio cum P. Hieronymo Bru-

Brunello, dum essent una in Collegio Romano; etenim cum, die quodam, injecta esset hac de re mentio, Brunellus, qui nullum alium probabat scribendi genus præter Tullianum, multis rationibus defendebat, non esse a Ciceronis imitatione discedendum; contra Franciscus alios Ciceroni anteponeret; memini dici, illum non parum Brunello fuisse adversatum. Verum, quantum ille industriæ diligentiæque ad procuranda Pontificis negotia adhibebat, tantundem etiam, in valetudinis suæ cura, negligens atque indiligens inveniebatur. Quæ fuit causa, ut, paucorum dierum morbo consumtus, interiret, non eo, quicum olim, ut diximus, conflictatus fuerat, sed alio, ex aëre nocturno, qui Romæ gravis solet esse, contracto. Etenim, cum ad multam noctem cum Pontifice fuisset, ut ad cubiculum suum se reciperet, necesse habebat, homo natus annos sex & quinquaginta, infirmaque valetudine, multorum passuum viam ingredi sub dio. Fuit moribus sanctissimis, & fama, in vita sua, secundissima. Honestissimorum hominum amicitias appetebat, iis se dabat, eorum studiis obsequebatur, eorum commodis & honori serviebat; semper hilaris, comis, jucundus. Quamobrem, mortuus, iis qui eum noverant, incredibile sui desiderium reliquit; ac nominis sui memoriam quam maxime longam apud posteros effecisset, si longius vitæ spatium nactus esset; multa enim, quæ egregie inchoaverat ac dolaverat, limare ac perficere potuisset. Itaque, quantum mors illi de vita surripuit, tantum detraxit e gloria.

XXI. ANTONIUS CORINUS.

URbs Apua, in Liguribus, nunc ex ponte, qui ibi visitur, Remolo consecrato, ut antiquissima eorum hominum fama, quasi per manus tradita, loquitur, Pontremolum appellata, quasi Pons Remoli, montis Apennini radicibus adjacet, propter flumen Macram, murenis, troctis, ut nunc vocant, aliisque exquisiti saporis piscibus plenum; quod etiam flumen, ejus urbis mœnia alluens, Etruscos a Liguribus dividit, supraque ipsum, cum pontem habet injectum, quem apellari Re-

Remolum diximus; atque a mari mediterraneo recta via distat millia passuum non amplius decem. Ager, a quo undequaque ambitur, fertilis est, amœnus, arboribus omnis generis fructuum consitus, forma, varietate, sapore, præstantium; ferax est olei suavissimi vinique generosissimi; multæ in eo aquæ perennes ac saluberrimæ; aër, gravibus vaporibus nullis infectus, purus atque innoxius attrahitur; corpora hominum valida atque robusta, & ad laborem ferendum parata, maxima, bellandi cupiditate studioque ducuntur. Olim finitimis populis, aliisque infensi Apuenses, sunt a C. Flaminio Cos. ut ex historiis apparet, bello coërciti atque perdomiti, tum præsertim, cum in agrum Pisanum ac Bononiensem ita irruerent, ut coli non posset. Multæ, in eo oppido, familiæ, opibus, divitiis ac generis nobilitate, insignes continentur; complures in eo cives visuntur, literarum gloria florentes, complures rei militaris periti, neque minus civitatis regendæ; quorum hominum fœcunda semper genitrix extitit: atque hoc tempore, quo hæc de illo referimus, septuaginta & eo amplius Juris utriusque doctores ac magistri, tum non parum multi, medendi arte conspicui, aliique etiam, Theologicæ facultatis laude in eo præditi numerantur. Olim totius Liguriæ principatum obtinuit, atque ante ipsam Urbem Romam conditum viguit, ac multa cum ea Republ. bella aspera ac difficilia gessit. Nunc vero illi, inter reliquas Lunæ totius urbes, primæ deferuntur, ac multis oppidis, vicisque circiter septuaginta, amplitudine, ac bellicosissimorum in eis hominum multitudine & copia, conspicuis imperat. In marmore, validæ robustæque turri, in medio fere urbis, sitæ, insculptus hic versus legitur:

Appua sum, quondam Marco celebrata Catone.

Sed in iis, quos, ab ea urbe profectos, hac nostra ætate, eximiæ doctrinæ laus in cælum extulit, merito numeratur in primis Antonius Corinus, Blasii filius; illius, inquam, Blasii, qui cuivis ex omnibus sui ævi principibus Jurisconsultis, in consulendo respondendoque, par, ne dicam superior, fuit. Hic dum Pisis operam studiis daret, & Academiæ illius Rector ceteris discipulis auctoritate præesset, qui honor apud illos magnus & hone-

nestus habetur, fama exivit, adventare cum exercitu Petrum Strozzam, qui a Cosmo Florentiæ Duce defecerat, ut oppidum illud, omnibus tum rebus imparatum, aggrederetur. At ille convocatis condiscipulis arma distribuit, ác partem illorum in muris disposuit, partem alteram pro urbis porta stare jussit, qùa Petrus in urbem irrupturus metuebatur, ita ut aciei cujusdam speciem referrent. Id ut cognovit Petrus, existimans, majores intus copias contineri, & oppidum egregie esse munitum, non est ausus accedere, eodemque, unde venerat, sese recepit. Interea Dux Cosmus nactus est tempus ad copias comparandas, & ad oppidum muniendum. Fuit Antonius figura corporis venusta, ore eleganti, in quo mira benignitas, cum majestate quadam, quasi fœdere ac societate conjuncta, se daret; moribus paulo gravibus ac severis, ita tamen, ut in illa gravitate amœnitas ac festivitas, cum vellet, copularetur, quæ ad se omnes alliceret attraheretque. Ingenium habuit excelsum, & eloquentiam admirabilem, sive loqueretur sive scriberet, a naturá sibi tributam; quam postea arte limavit atque perfecit. Ejus sermo miram habebat gravitatem amœnitatemque, ut illi videretur non posse obsisti. Egregie Etruscam & Latinam linguam novit, quam, etiam tum puer, a magistris prima illa puerili institutione accepit. Postquam vero ex ephebis excessit, philosopho se tradidit, ut ab eo in utraque Philosophiæ parte erudiretur, tum in ea, quæ est de vita & moribus, tum etiam in illa altera, quæ in naturæ subtilitate obscuritateque versatur. Atque ab his studiis profectus, ad eam, quam ab ineunte ætate adamaverat, Juris prudentiam se contulit; neque antea ad illam est ausus accedere, quam esset omnibus iis artibus, quas diximus, instructus: quibus etiam addiderat historiarum omnium notitiam, & regendæ Reipubl. scientiam; contra id, quod plerique faciunt, qui vix primis Grammatices elementis imbuti, nudi ad eam veniunt atque inermes, nulla cognitione rerum, nulla scientia ornati. Verum quantum Jurisconsulto futuro hic ornatus instructusque lumen accersat, propter omnium bonarum artium, denique virtutum ipsarum societatem cognationemque, declaravit even-

eventus. Nam vix intro in ejus facultatis vestibulum pedem posuit, cum omnia sese illi intima & arcana aperuerunt; neque solum visus est dignus, qui celeriter in doctorum ejus artis numerum veniret, verum etiam Juris civilis publice interpretandi facultate, ut est moris, adepta, electus, ut in Gymnasio Pisano, Juris ejusdem Institutiones, neque ita multo post, Pandectas etiam, ex ordine, discipulis interpretaretur. Ubi, cum die quodam per urbem, animi gratia, obambularet, meritricem, pro foribus domus suæ, subtegmen nentem aspexit, atque impetravit a se, ut a gravitate illa discederet, quæ ipsum aliquam in invidiam apud omnes adduxerat, quibus molestum erat, in tanta eum gravitate ac severitate versari, adeo ut vulgo magna faba appellaretur; impetravit, inquam, ut levitati gravitas, hilaritati severitas, cederet; atque: Nihil est tam deforme, ait, quam, mulierem meritricem, lateri hærentem colum habere. Cui illa, nullo sumto ad cogitandum spacio: Nihil est, ait, inhonestius, quam doctorem atque magistrum, a discipulis avulsum, incedere. Sed a docendi munere traductus est Senas ad judicandi provinciam, atque inde in numerum Auditorum Rotæ, primum Pisanæ, tum Florentinæ, adlectus; quem locum tam multos annos tenuit, ut ceteris ordine & antiquitate præiret, hoc est, decanus existeret. Quod existimatum est non sine magno Pisani Gymnasii incommodo detrimentoque contingere; cum, eo doctore careret, qui, ingenii doctrinæque fama, multitudinem ad se discipulorum attraheret. Itaque longo intervallo, revocatus est, ad docendi munus, unde recesserat; ac Jus civile, ex ordine, matutinis est horis interpretatus, tanta eruditionis industriæque cum laude, tanto auditorum cum profectu, ut, paucis interjectis annis, traductus sit ad primariam docendi Juris cathedram; quem locum millena, & eo amplius quotannis scuta, stipendii nomine, consequebantur; &, cum nobili apud suos loco ortus esset, voluit honoraria S. Stephani militia condecorari; in eamque, a Ferdinando, magno Etruriæ Duce, ac perpetuo ejusdem militiæ magistro, adscriptus est, sibique in iis, quæ ad eam militiam pertinerent, a con-

consiliis electus; apud quem etiam sæpius verba fecit, ea sententiarum gravitate, ea verborum elegantia atque splendore, ut nulla ejus orationis pars sine plausu exciperetur. Habebat a natura, tum in motu, tum in gestu, tum in incessu, tum in voce, insitam quandam gravitatem; quæ cum vulgo notaretur, non poterat hominum sermones effugere; ac, si quis magnifice se inferret, aut tarditatibus uteretur in gressu, paulo putidioribus & odiosis, aut verba funderet sapientia, hic Corinum agere dicebatur. Florebat, ut cum maxime, in Gymnasio Pisano, Antonius, tum summæ eruditionis fama, tum vitæ splendore ac dignitate, quam præsertim tuebatur ex millenorum quotannis scutorum stipendio, aliorumque ducenorum, quæ ex honoraria Consiliarii advocatique S. Stephani militum mercede capiebat, cum Petrus Cavallus, item Apuensis, excessit e medio. Erat vir hic, doctrina, fide, probitate, industria, atque prudentia, non unus e multis, sed inter omnes propemodum singularis, adeo, ut nullum alium in toga ministrum, magni Etruriæ Duces, illi similem viderint. Huic tanto viro qui subrogaretur, nemo inventus est aptior equite Antonio Corino; nullaque interposita mora, evocatus est Florentiam, ut auditoris Consultæ, & Judicis Mercaturæ, delatam sibi provinciam acciperet; quod apud Florentinos amplissimus magistratus existimatur. Neque ita multo post factus est Auditor fiscalis, summo cum imperio ac potestate. Præstabat pietate ac religione; flagrabat cupiditate studioque discendi; adhibebat in causis cognoscendis ac negociis agendis diligentiam, in expediendis conficiendisque celeritatem. Illa autem austera severitas, quam homini natura tribuerat, in cultu tantum hærebat, nec ad animum permanabat; nam comitatem, hilaritatem, amœnitatemque cum amicis exercebat. Integris fuit moribus. Sed uxore, quam habuit, amissa, quasi nullam sine muliere esse vitam existimaret, alteram duxit; facta ejus rei potestate a summo Pont. quod ii, qui in ea militia numerantur quam ipse profitebatur, primis nuptiis defuncti, alteris se implicare prohibeantur. Obiit, florentissimis suis rebus, Florentiæ, magno totius civi-

vitatis luctu atque dolore, eorum etiam, quos adversarios & obtrectatores laudum suarum habuerat; idque ob singularem hominis excellentemque virtutem; qui, quamvis senex esset mortuus, tamen, quia erat valido robustoque corporis habitu, videbatur, aliquanto longius ætatem potuisse protrahere. Multa ingenii sui monumenta reliquit, tum quæ ad humaniores literas, tum quæ ad Juris civilis, quod in primis profitebatur, studia pertineant; digna, quæ, typis impressa, immortalitati mandentur. Itaque plures reliquit ingenii sui fœtus, quam ex uxoribus, quas duxerat, liberos. Quamvis post unam uxorem, ut diximus, alterius maritus fuerit.

XXII. TIBERIUS CERASA.

INcidi non parum sæpe in eos, qui se mirari dicerent, cur multi, quum ingenio doctrinaque omnibus fere sui ævi hominibus doctis præstitissent, nulla ingenii doctrinæque suæ monumenta posteris prodenda curassent, unde immortalem sui nominis famam efficerent. Atque, ut advocatis & patronis, de quibus referre est in animo, nostra definiatur oratio, in illis veteribus oratoribus duas fuisse causas M. Tullius in libro de claris oratoribus tradit. Primum, quia nonnulli eorum animum ad scribendum non appulerunt; inertia, ne domesticus labor ad forensem accederet; nam pleræque orationes scribebantur, habitæ jam, non ut haberentur. Deinde, quia quidam melius putabant se posse dicere quam scribere; quod peringeniosis hominibus, nec satis doctis, ut idem inquit Cicero, plerumque contingit. Verum, hæ rationes, in veteribus patronis valere possunt; qui non ex scripto, sed voce, causas agebant, neque id, quod suasissent, literis mandare cogebantur, nisi styli exercendi gratia, qui est optimus dicendi magister & effector; ut hac exercitatione ex improviso, si necessitas cogeret, possent eodem modo dicere quo scriberent. At quid dicemus de nostris, a quibus non, ut olim, causæ perorantur, sed causarum defensiones summo studio elaboratæ atque profectæ, scriptisque traditæ, judicum oculis subjiciuntur, quibus etiam defensionibus

cau-

causas certissimas obtinuerunt? nonne, cum eas cubiculorum suorum tenebris occulunt, pessime tum de sua ipsorum existimatione & fama, tum de posteritate ipsa merentur? nam si illorum responsa, doctrinæ prudentiæque plenissima, in lucem edita, omnium manibus tererentur, haberent ii, qui similium causarum nexibus implicantur, rationem, qua se illis vinculis explicarent. At fortasse ea, inquient, nostrorum est fama meritorum, quam nobis, consentiens omnium hominum laus ac sermo confecit, ut nulla unquam interventura sit temporis, omnia in oblivionem, diuturnitate, adducentis, injuria, qua in hominum animis memoria virtutis nostræ exolescat; immò clariorem eam visum iri existimamus, si nulla extiterint nostri monumenta ingenii, quæ in æstimantium arbitrium veniant: putabunt enim, multo in nobis plura & majora extitisse, quam quantum fama vulgaverit. Nec errant, mea quidem sententia. Nam quamvis, quoad superstites sint ejus seculi homines, adde etiam hæredes, in quo ipsi floruerunt, nihil fere de ipsorum memoria depereat; attamen si nulla subsint scriptorum quasi fomenta, quæ, tanquam oleum, memoriæ eorundem splendori, quasi nutrimenta, suppeditent, paulatim, tanquam flamma ab humore destituta, extinguetur. Quam multos omnibus fere seculis Philosophos, Iurisconsultos, Medicos, Mathematicos, extitisse putamus, qui ingenio valuerunt & studio, quorum tamen nomina sepulta jacent in tenebris, quoniam nulla operum, a se editorum, luce sublevata enitescunt! Neque est quod dicant, M. Antonium, Lucium Crassum, aliosque non parum multos, de quorum memoria commemoravit M. Tullius in Bruto, e quibus nulla unquam exciderunt opella, etiam nunc, omnium admiratione & laudibus, esse in cœlo. Eorum enim fortunà incidit in illud præclarum divini in dicendo hominis ingenium, quod illorum laudem, partim jam mortuam, ab inferis excitavit, partim jam prope senescentem, quantum potuit, ab oblivione hominum, atque a silentio, vindicavit. Quod si eo auxilio caruissent, eorum nomen eadem, quæ ceteros, vetustas oblivione obruisset, ac ne natos quidem eos esse sciremus. At sunt alii, qui

 ope-

operum suorum edendorum solicitudinem curamque in hæredes transmittunt. Hi veró quanto in errore versentur, ostendunt pomariorum, cetariorum cauponumque tabernæ, pulcerrimis elegantissimisque doctorum hominum scriptis monumentisque refertæ, ab illorum hæredibus, ad involvenda & amicienda legumina, pisces, farcimina, atque obsonia, divenditis. Volunt illi quidem uti ac frui bonis, a testatoribus sibi relictis, at vivam atque immortalem illorum memoriam apud posteros reddere non plus laborant, quam ea quæ nihil ad ipsos pertineant; & præ paucis illis nummulis, quos ex libris, quibus, ob eorum elegantiam, nullum par pretium statui potest, coëgerunt, immortalem testatorum suorum gloriam præ nihilo ducunt. Quamobrem ii, quibus præclarum a natura ingenium est tributum, si propterea literarum studiis se dediderunt, ut ipsorum memoriam quam maxime longam efficiant, dare operam debent, ut vivi gloriola sua fruantur, neque in iis, quæ ingeniolis suis pepererunt, in lucem prodendis, labori, operæ, ac sumtui parcant. Nam, quidquid in illis edendis insumitur, totum hæredum ingratorum avaritiæ adimitur. Verum, in iis, qui, cum ingenio & eruditione clari ac nobiles essent, nullam sui memoriam reliquerunt, invenitur Tiberius Cerasa; qui magnum Romæ de jure respondendi munus sustinuit, iisdem temporibus, quibus Bernardinus Biscia; sed paulo illi ætate inferior. De hoc etiam tum puer, accepi (nisi falsa ad me perlata sunt) patre eum medico natum fuisse, sed noluisse eam artem persequi, in qua parens excelluisset, verum, morbis medendi laude & gloria aliis relicta, ad Juris civilis studia se contulisse. Ex quorum fontibus cum tantum hausisset, quantum esset, ad ejus interpretandi docendique facultatem adipiscendam, satis, Romæ primum causas amicorum tractare atque agere cœpit; deinde omnibus, qui suo uti consilio vellent, se ad consulendum dare. Neque ita multum elapsum est temporis, cum ille præcipuam in advocatis laudem est consecutus, adeo ut nulla esset paulo difficilior causa, quæ ad illum non deferretur. Erat enim, cum peracutus ad excogitandum, quid in jure aut in æquo verum esset aut non

non esset, tum erat ad ea, quæ invenisset, legum atque interpretum auctoritatibus firmanda mirabiliter prudens. Quo fiebat, ut, cum munera ad eum multa & pecuniæ a litigatoribus convenirent, ad summas divitias perveniret; eo quod litigantium stultitia ac pertinacia, qua lites persequi malunt, quam æquis conditionibus controversias minuere atque dirimere, certissimus sit quæstus advocatorum atque patronorum; quorum illi opes augent, suas imminuunt, se ad mendicitatem adigunt, illos ad ingentes nummos plerumque perducunt. Sed Tiberius, tanta isthac juris prudentia, qua aliis optime consulebat, non id solum assecutus est, ut locuples fieret, verum etiam, ut honoribus amplificaretur; videlicet, ut in Advocatorum Consistorialium Collegium cooptaretur. Quem ordinem ita plures annos tenuit, ut eum maxime illustraverit exornaveritque. Erat præterea ingenio natura mitissimo, ac moribus lenissimis humanissimisque, musices apprime peritus; nam & citharizare, & cantare ad chordarum sonum didicerat, & una cum aliis fidicinibus impressos illustrium modulatorum modos, ante oculos sibi subjectos, fidium voce cantuque scienter exprimere, ac suavissimos concentus efficere. Quam facultatem æstate tantum, prolatis rebus requiem sibi quærens, exercebat, cum vero res rediissent, ipse quoque ad causas, quas susceperat, tuendas redibat, & canendi usum exercitationemque iis, qui per eam victitabant, relinquebat. Magno amoris benevolentiæque nexu Clementem VIII, Pontificem max. in æstimandis hominum ingeniis, acerrimi judicii virum, sibi devinxerat, ex eo tempore, quo ille Auditoris Rotæ munus obibat. Sæpe enim illum voce causas docentem audierat, sæpe causarum defensiones, docte accurateque ab eodem perscriptas, legerat, atque de ejus consilio sententiam pronunciaverat. Itaque Pontifex factus, tantæ hominis virtutis non oblitus, ex aliorum eum numero eximere, & in edito dignitatum loco collocare statuerat. Quamobrem, Bartholomæo Cæsio, generali Thesaurario, in Cardinalium ordinem adscripto, perfecit, ut honorem illum mercaretur, ex quo certissimus ad Cardinalatum est aditus. Quocirca vim

illam pecuniæ, quam, multorum annorum cursu, ex defensionum laboribus coëgerat, unico pene temporis momento, totam in ea comparanda provincia prodegit. Sed spes certa honorum, leviorem illi, immo suavem, eam jacturam faciebat; nec pecuniam illam se perdere, sed fœnerari existimabat. Omnino verissima est vox illa atque sententia, neque potest aliter esse, cum divinitus emissa prodierit, in optandis eligendisque rebus, præsertim in honoribus petendis, nos plerumque in maxima rerum earum ignoratione versari, quæ nobis in primis expediunt. Multi enim sæpenumero sibi quædam exoptant, in eisque fortunas suas esse positas putant, quæ postea, cum adepti sunt, se ipsi esse frustratos, ac pessime suis rebus consuluisse inveniunt. Existimaverat Tiberius, eo magistratu, quem tanto emerat, se, forensium causarum labore levatum, propemodum valetudinem suam in tuto collocasse, tum ea, qua præditus erat, Juris civilis scientia, sapientissima & æquissima judicia se esse facturum, postremo honorem purpuræ, in cujus spem, tantam pecuniam prodegerat, sibi non defuturum, ex quo vel procederet honoribus longius, vel saltem eodem quam diutissime frueretur. At hæc omnia cogitata ceciderunt illi teterrime. Nam vix magistratum illum adiit, cum cœpit cum adversa valetudine confligari, ac præsertim renum morbo laborare; qui ubi affecti sunt, diu male nos habent. Neque aliud illi erat negotium majus, quam ut fere quotidie medicorum consilium advocaret, tum ut eos inter se de causis, quæ præsertim morbum illum efficerent, disceptantes audiret, tum multo magis ut ab eis remedia, quibus morbo illi, ne longius serperet, posset occurri, perciperet. Deinde experientia compertum est in eo id, quod est verissimum; non semper eundem, qui sit aptus ad studia literarum, esse etiam ad publica negocia gerenda idoneum; aliam enim esse rationem magistratuum gerendorum, ac literarum studiis operam dandi; etenim multi, qui in hac umbratili doctrinarum exercitatione, ingenii acumine ac percipiendi celeritate, longe multumque ceteris antecedunt, iidem postea ad Rempubl. capessendam traducti, & tanquam in pulverem, ut dicitur, & solem educti,

in

in eadem Republ. regenda aliis, non tam doctis quam ipsi, sed civili prudentia præstantioribus, longo intervallo inferiores inveniuntur. Nam muneri, quod susceperat, non satisfecit, sed multa, quæ reprehenderes, admisit, non quidem studio ac voluntate nocendi; sed quod prudentia ac rerum usu careret, aliquid interdum mali faciebat homo minime malus. Denique honorem illum, ad quem tam incitato cursu ferebatur, non valuit attingere, sed in medio spacio, mortis impetu eversus, corruit. Ejus mortis caussam attulisse dicitur Clementis Pont. acris quædam ac vehemens objurgatio, propterea quod vel decrevisset aliquid injuria, vel quod quapiam in re, illius voluntati non ad nutum præsto fuisset. Quæ cum ita sint, relinquitur, sententiam illam, de qua paulo ante commemoravimus, verissimam ac sapientissimam esse; videlicet, exploratum esse nemini, si id, ad quod cupidius fertur, sit ipsi futurum ex usu, an non. Mortuus Romæ, sepultus est in Æde Deiparæ Virginis ad portam Flaminiam, in sepulcro majorum suorum conditus.

XXIII. ANGELUS CÆSIUS.

NEscio, qua ratione comparatum sit, ut, quo quisque copiosius opibus ac divitiis abundat, eo etiam vehementius a literarum studiis abhorreat; tanquam si pollui nobilitatem existimet artium pulcerrimarum cognitione atque notitia, aut quod divitias sibi minus honestas fore arbitretur, si eas cum doctrinarum societate habeant adjunctas; atque eas a se, ut ipsorum dignitati indecoras, abjiciunt, & ad eos remittunt, qui aut fumosis majorum imaginibus careant, aut rei familiaris inopia laborent. Itaque, dediti ventri atque somno, indocti incultique, vitam sicuti pecudes exigunt; quasi eos pudeat, in hominum numero haberi; cum nulla re alia ita a brutis homines distent, ut rationis & ingenii exercitatione usuque. Audivi ego non parum multos ex iis, qui beati putantur, cum invitati atque ab iis rogati, quibus eorum existimatio ac dignitas cara erat, ut pulcerrimis animum disciplinis excolerent ac

perpolirent, respondebant, Dei ac majorum suorum virtute satis, ac plus quam satis, sibi esse divitiarum. Quasi vellent dicere, nihil iis esse opus literis, qui divitiis, a majoribus suis sibi relictis, redundarent atque diffluerent. At Angelus Cæsius, Federici filius, Dux Aquæ Spartæ, Romanus, non est passus, generis nobilitatem, opes, divitias, quidquam sibi suffragari ad inertiam atque socordiam; sed ea voluit esse materiam laboris, industriæ atque solertiæ; ac magno animo totum se literis dedit. Verum, singularis ejus industria, intra angustum ætatis spacium inclusa, non potuit largius sese diffundere, eosque fructus efferre, quorum spem maximam dederat. Nam etiam tum juvenis e vita decedens, parentem, non ita multo ante defunctum, suis vestigiis est prosecutus ad sepulcrum. Mathematicas præ aliis disciplinas coluit, in eisque, qua erat ingenii subtilitate atque acumine, progressus maximos fecit, ut videre licet ex libris, quos edidit; & in Geometricis ac Mechanicis pleraque a nemine excogitata invenit. Præstantissimus etiam ingenium contulit ad rerum philosophicarum scientiam, in quibus summus evasit. Ex quo excellenti studio, omnia egregia illa opera emanarunt, quæ cum summa singularis ejusdem ingenii admiratione leguntur. Primum, volumen illud ingens, quod Naturæ theatrum inscribitur, unde Apiarium etiam suum depromsit. Tum liber de Cælo, in quo, ex sanctorum Patrum sententia probare contendit, Cælum esse fluidum, non autem solidum, ut universa Philosophorum schola defendit. Deinde prodigiosorum omnium physica expositio, pluribus libris comprehensa; tum cælestis natura, non minus multis libris exposita; tabulæ etiam Philosophicæ, in quibus omnium vis & natura plantarum, Mexicanarum quoque, luculenta oratione narratur. His additur Metallophytum, Urbano VIII & Card. Barberino dicatum; Physica, Mathesis, & universale rationis speculum, ubi scientiarum ars omnium copiose tractatur. Neque his tantum, quantumvis latissimis doctrinarum finibus, se illa vis ingenii continuit, sed, tanquam flumen extra ripas diffluens, in alias etiam disciplinas & ad eam Philosophiam, quæ est de vita & moribus, exiit, atque

Mo-

Moralia, Paradoxa, Monita, & his similia quamplura, in vulgus emisit. Ad sui aliorumque exercitationem, publicam domi suæ Academiam instituit, quam Lynceorum nomine appellavit; in qua & ipse, quoad vixit, principatum obtinuit. Auctor erat Academicis suis, ut aliquid scriberent; cujus auctoritas eo majus apud eos pondus habebat, quod suum ad illam exemplum accedebat, qui nullum scribendi finem faciebat. Ac, ne ad ea, quæ docte eruditeque composuissent, in lucem edenda, sumtuum faciendorum metu deterrerentur, pecuniam ipse de suo largiebatur. Cujus honestissimæ gloriosissimæque liberalitatis exemplum si viri principes imitarentur, non tam multis egregiis ac doctis operibus egeremus, quæ nunc, auctorum inopia, in aliquem pauperculæ domus angulum rejecta, pulvere obruta situque corrupta, in magnum bonarum artium detrimentum, eruditorum manibus eripiuntur: præterea eum illi liberalitatis suæ fructum ferrent, quo nullus, neque major neque præstantior, expectari potest ab iis, qui nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem & honestatem, existimant; videlicet, ut nomen ipsorum clarum & æternum apud posteros esset. Quid multis opus est? Eo Angeli Cæsii, in operibus eruditorum typis mandandis, liberalis ac regius progressus est animus, ut nulli neque sumtui neque labori pepercerit, quo Nardi Antonii Zechi novæ Hispaniæ rerum medicarum liber, qui antea latitabat, in hominum conspectum exiret. Nam & sumtus ad id necessarios præbuit, ac doctissimis suis Lynceorumque suorum commentariis illustravit atque auxit. Laudata est viri hujus principis eruditio, ac mentis acies, qua rerum omnium vim & naturam inspexit, a Jo. Baptista Porta, in præfatione libri, quem de distillatione conscripsit. Uxorem habuit mulierem nobilissimam, sed nullum ex ea, neque virilem neque fœmineum sexum reliquit. Itaque coactus est frater alter, illi ætate proximus, stirpis propagandæ causa, uxorem ducere, quamvis, perpetuo se cœlibem fore, Deo vovisset; cui uxori ipse superstes fuit.

XXIV. POMPEJUS DE ANGELIS.

Nullum ferme tempus fuit, quo tempore, ex Seminario Rom. quod Patres Soc. Jesu moderantur, non aliqui prodierint, qui ingenii doctrinæque, qua præstiterit, commendatione æternam sibi, iisque quorum opera instructi exornatique sunt literis, laudem gloriamque pepererint. Nam, quemadmodum usu venire videmus in ædificiis, quum firmissimis ea fundamentis constituta, validis parietibus munita, pulcerrimis laquearibus fastigio contecta, rebus denique omnibus probe instructa, expolita atque perfecta sunt, ut non omnem in se laudem retineant, sed magna ex parte refundant in fabros, quorum operis sunt exædificata: ita etiam hominum ingenia, cum iis magistris, quorum industria studioque elaborata, literis erudita, bonis moribus instituta, atque ad absolutionem perfectionemque perducta, inveniuntur, eas communicare laudes debent, quibus feruntur in cælum. Cur enim non magnam ex iis sibi partem vendicare æquum sit eos, quorum labore perfectum est, ut eæ in illos laudes convenirent? Quod secus accidit in vituperationibus, in quas incurrunt ii, qui, quod a magistro didicerunt, sua socordia perdunt, totumque, quod ab illo in ipsorum ingeniis exædificatum est, cum fundamento perire permittunt. Nam vituperationes illæ totæ ipsorum sunt, nec aliquam ex eis partem culpa magistri decerpit. Quis enim, si ædibus illis vitium sit additum, in quas nequam homo & indiligens immigravit, si videlicet parietes admissis imbribus perpluant, si tigna putrescant, si tegulæ decidant, fabri eam esse culpam dicat, & non illius, cujus indiligentia, earum jam nequior factus sit ædium usus? ille sua ignavia eam in illas calamitatem invexit; ille, suo adventu, fabrorum operam perdidit. Neque eo magis magister in crimen vocandus est, si discipulus, postquam excessit ipsi ætas ex magisterio illius, & suum in ingenium, tanquam in domum, immigravit, perdat, exturbet, affligat, quidquid ille excitavit, extruxit, ornavit; sed discipulus culpam commeruit; in illum omnes omni-

omnium vituperationes confluunt; ille totum earum in se impetum excipit, ac ne guttam quidem in alium rejicit. Sed nihil ejusmodi ex se dedit Pompejus Angelius, Seminarii Romani Clericus; sed id, quod suo in ingenio, ad omnes bonas artes accipiendas apto, tanquam ædes aliquas, Soc. Jesu magistri excitaverant, curavit probe; non quidquam admisit, quo illud in usu deterius evaderet, non aditum ad illud imbribus aperuit, hoc est, nullas in illud animi perturbationes, rationi contrarias, admisit, nullis adversis tempestatibus concuti ac labefactari permisit, videlicet a voluptatibus ingruentibus, quæ præsertim animum a studiis avocant, passus est e memoria dejici ac deturbari, quod a magistro didicerat; immo studio atque exercitatione dedit operam, ut id, quod in se erat, augeret ac perficeret, & ut in usu melius & in speciem pulcrius existeret. Neque ea species oculos fugit sapientissimi oculatissimique Pont. Clementius VIII, qui, ejus probitatis doctrinæque fama commotus, Silvestro Aldobrandino, Card. S. Cæsarii, doctorem accivit, a quo eodem ille & vitæ honestæ acceperat præcepta, & bene scribendi. In quo pulcre ille respondit expectationi, quam de ipso conceperat. Etenim, in adolescentis ingenio, illud virtutum quasi ædificium extruendum curavit, quod iis, quibus recta mens est, probari non ignorabat; nimirum, ut moribus primum illum probis excoleret; quod est quasi solum ac fundamentum virtutum omnium; tum ut pulcerrimis ac dignis homine nobili disciplinis excoleret atque perficeret. Eumque literas docuit humaniores, philosophiam, omnemque eruditionem. Neque aliunde hujus ædificationis exemplum sibi expetendum fuit, quam a se ipso. Et usque adeo, in illo erudiendo, Clementi VIII operam probavit suam, ut Basilicæ Deiparæ Virginis majoris Canonicum, in alterius demortui locum, subrogandum eum curaverit. Non potuit illi provincia magis ex animi sui sententia mandari, quam illa. Erat enim vir pius, & B. Virginis, quam sibi ab ineunte ætate patronam adoptaverat, studiosus in primis. Atque ut, omissis ceteris occupationibus, omne suum tempus, studium, omnem suam operam ac di-

ligentiam, ad ejus Ecclesiæ ac Virginis obsequium cultumque conferret, perfecit primum Clementis Pont. mors: quo e vita sublato, Cardinalis, liberius vivendi potestatem adeptus, studium illud discendi primum remiserat, tum plane abjecerat; atque in omnium rerum abundantia statuerat beate, ut ipse putabat, vitam exigere: postremo Cardinalis ejusdem interitus, cui pinguedo corporis ingens vitam ademerat. Itaque omnibus aliis curis solutus, frequens in Ecclesia nocturnis diurnisque horis aderat, una cum aliis collegis concinens. Quod autem ab ejus muneris functione supererat otii, non dabat illud quieti ac cessationi; id quod facere suo jure poterat, cum defessus a laboribus chori redibat; sed in literarum studiis collocabat, & in primis ad scribendum aliquid conferebat. Ejus otii fructus sunt duo illa volumina, quæ edidit; unum Latino sermone compositum, cui hunc titulum præfixit, *Basilicæ S. Mariæ majoris de Urbe, descriptio sive delineatio*, alterum vernacula lingua confectum, *De eleemosyna, aliisque operibus, quibus muniti tuto in supremum Dei judicium venire possimus*; quod egregiam hominis pietatem & in pauperes studium ostendit. Erat studiosissimus florum, atque ad eam rem hortum, ædibus suis adjunctum, habebat, ubi plurimi ac lectissimi flores omni tempore anni conspiciebantur; in quem ille, honestam sibi aliquam animi remissionem quærens, interdum descendebat, eumque sua fere manu colebat, serebat, irrigabat, ac steriles herbas eligens, repurgabat. Hanc ille exercitationem, a domesticis ecclesiæque suæ officiis, quæ ipsum detinuerant, dimissus, curationi corporis sui adhibebat, ne inertia situque torpesceret. Atqui hoc florum studium, non multos abhinc annos, est invectum in Urbem, ac multorum animos cepit. Itaque & plura illorum nomina, quæ nunquam ante id tempus aures nostræ acceperant, sunt audita, ac variæ illorum formæ conspectæ, quarum pulcritudo, cum recens nostros perveniret ad oculos, eos mirabiliter tenuit. Verum adeo hac etiam in re eatenus progressa est quorundam cupiditas & ambitio, ut singulas florum quorundam cæpulas, unde illi prodeunt, centenis nummis aureis venire viderimus.

Et-

Etenim, hac etiam in re, ficut in aliis, in quibus oculorum voluptas quæritur, evenire compertum eft, ut, qui modus eft cupiditatis, idem fit æftimationis. Sed paulatim procedente tempore, ut in Barclajo diximus, contigit, ut, quemadmodum mos eft cæpularum omnium, cum terræ gremio comprehenfæ propagarentur, ac multiplices ex fe fœtus effunderent, vilis earum fieret annona, quæque antea ab iis, quibus emtis illis opus fuerat, uno nummo minus aureis centum auferri non poterant, obolo uno addicerentur. Ita rerum funt vicisfitudines. In hoc igitur ftudio aliifque, de quibus diximus, cum Pompejus, fumma cum laude, confenuiffet, illud eft iter ingreffus, quod neceffario fufcipiendum eft omnibus.

XXV. NICOLAUS MARIA MADAFFARUS.

CLariffima ac nobiliffima Conftantinopolis urbe, Orientis totius, Imperii domicilio ac fede, a Muhamete, Turcarum rege, crudeliter capta, interfectoque Conftantino, ejusdem Imperatore, qui fimulata mente, ut poftea eventus docuit, tanquam veris rationibus victus, in Concilio Florentino, jam fibi omnia cum Rom. Pontifice & Catholica fide convenire, palam profeffus fuerat; capta, inquam, Conftantinopoli, quidquid erat ibi literatorum hominum, Romam confluxit, omnesque a Nicolao V fummo Pont. funt humaniter liberaliterque tractati; & una cum aliis, quos invenerant, viris doctiffimis literas Græcas, quæ annis fexcentis, barbarorum in Italiam incurfionibus, tenebris fituque oblitæ jacuerant, erexerunt, & in veterem dignitatis gloriæque locum reftituerunt. Cumque, ipforum e Græcia difceffu, tota illa eruditiffima olim natio Græce, docte eruditeque loqui ac fcribere dedidiciffet; factum eft, ut Itali, Galli, aliique, Græcis ipfis, fuperbiffimis hominibus, Græcarum literarum magiftri ac doctores exifterent. Itaque, cum adolefcentes Græci, ejus linguæ, in qua nati effent, quamque barbaries infufcaverat, addifcendæ gratia, in Italiam navigarent, multique eorum, ob inopiam, difcederent pene difcendo, Gregorius

XIII,

XIII, Christianorum omnium pater amantissimus, misericordia & Catholicæ religionis zelo permotus, Romæ Collegium instituit, eidemque annua vectigalia large liberaliterque attribuit, quibus, ex omnibus Græciæ totius urbibus, literarum cupidi adolescentes, qui se Romam contulissent, alerentur; ac magnificum etiam templum, D. Athanasio sacrum, ædificavit, ubi diebus festis, suo more rituque, rem divinam facerent, ac demum intelligerent, eam Urbem unicum orbitati illorum præsidium esse, cujus sacrosancti Pont. fuissent a majoribus ipsorum, summa cum arrogantiæ perfidiæque nota, neglecti, neque eo honore habiti, qui Petri successoribus, summisque rerum divinarum interpretibus, debetur. Et, quo deinde in patriam, omni eruditionis genere plane cumulati, proficiscerentur, voluit etiam, ut magistros haberent, a quibus Latini sermonis elegantiam acciperent. Quorum unus fuit Nicolaus Maria Madaffarus, Calaber; quamvis etiam ita Græce doctus esset, ut posset iis, qui in ea lingua voluissent erudiri, præesse. Etenim Græcos nonnullos veterum Græcorum Patrum libros, non ante illud tempus a nobis inspectos, bene eos in Latinum sermonem vertendo, civitate Romana donavit, quos fortasse, rei familiaris angustiis adductus, typis mandare non potuit. Erat vir probus, eloquens, neque ex eorum numero, qui eloquentiam sitam esse putant in verborum cursu & copia, atque in inanibus sententiolarum flosculis, sed ex iis, qui in irrisione atque etiam animadversione eam esse dignam orationem putant, quæ non rerum maximarum scientia & varietate redundet. Nihil illi, vel ab humanissimis literis, vel a Philosophia, vel a Theologia deerat; neque earum scientiarum aditus tantum atque vestibula salutaverat, sed ad intimos earum recessus penetraverat; ideoque in publicis disputationibus, ad quas sæpe adhibebatur, in capiendo adversario acutus inveniebatur. Multas habuit orationes, in quibus non inelegans dicendi vis, cum sententiarum gravitate conjuncta, laudabatur. Frequens erat Romanis in Academiis, ubi, præsertim ex iis, quæ in eos eruditorum hominum cœtus afferuntur, existimare de ingeniis hominum licet;

&

& in primis in ea, omnium aliarum celeberrima, quæ Humoristarum appellatur, recitare sua carmina solitus erat; in qua etiam honestissimum illum consessum, qui erat quasi theatrum illius ingenii, voce erudita, disertis allocutionibus sæpe detinuit, eruditione doctrinaque plenissimis. Ob morum probitatem, nec vulgare rerum divinarum scientiam, vocatus est in partem solicitudinis animarum; ac curiæ, sive parœciæ S. Thomæ in Parione, præfectus est, Parochi nomine. In qua provincia administranda, adeo erat omni cura & cogitatione intentus, ut, omnibus suis utilitatibus commodisque posthabitis, æternæ curialium suorum saluti prævorteret. Itaque confessiones excipere, præcipua Catechismi capita, pro captu audientium, exponere, errantes in viam redigere, collapsos attollere, cohortationes & admonitiones, atque etiam, ubi esset opus, objurgationes suscipere, ab iis se abstinere maxime vitiis, in quibus alterum reprehendebat; denique, ejusmodi se profiteri atque præstare, cujusmodi esse alios exposceret. In sermonibus, quos de rebus divinis habebat, acerrimus erat insectator vitiorum, & in audientium animis aculeos quosdam relinquebat: ideo persæpe ab iis Sodalitatibus invitabatur, in quibus corporis verberationes atque alia ejusmodi veræ animi demissionis opera suscipiuntur atque exercentur; ut, suis cohortationibus, Sodalium studia incitaret incenderetque. Erat præterea prudens, in consiliis dandis de re, quæ in consultationem deliberationemque veniret. Quo fiebat, ut in omnibus iis consiliis adhiberetur, ubi de rebus ad Parochos pertinentibus ageretur, ac multa de ejus sententia statuerentur. At si diligenter in ejus vitam inspicias, unum invenias, quod fortasse ad reprehendendum arripias; quod, animi causa, postremis annis, quibus parœciæ illi præfuit, vineam habuerit, cujus cultura non minimam temporis ac solicitudinis nostræ sibi partem assumit; etenim, qui vult negotii vim sibi parare, vineam comparet; quod fere res nulla negotii plus habeat. Itaque, quidquid ab eo temporis, vineæ cultioni, & voluptati, quam ex ea percipiebat, dabatur, totum provinciæ, quam administrabat, rationi commodoque eripie-

ba-

batur. Nam poterat fieri, ut interea, dum ille, agri excolendi seque oblectandi causa, ab Urbe ac domo abesset, quemquam ex curialibus suis repentinus aliquis ac pestifer morbus arriperet, cui esset necesse Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis animum expiare, & viatico, ad illud extremum tamque anceps iter, instruere, atque ille miser, tam necessariis auxiliis supremo illo tempore destitutus, e vita discederet. At non erat ita magnum, inquies, aliquem relinquere, qui tantisper accederet vicarius ejus muneri, quoad ipse reverteretur. Bene agis; at si liceat iis, quibus animarum regendarum partes incumbunt, in deserendo grege, sibi commisso, hac ratione uti, si ea illis procedat in numerum; jam omnes Episcopi diœceses suas relinquant, onus, quod eos urget, in alios rejiciant, ipsi autem otio & tranquillitati se dedant; facile multi se offerent, doctrina ac rerum usu præstantes, qui oneri cervices subjiciant, illudque pro rei dignitate ac magnitudine gerant. At contra videmus, œcumenicis Conciliis, sacrarum legum jussis, interdum etiam minacibus, summorum Pont. edictis, Episcopis, minus ea quæ ad officium ipsorum pertinent prosequentibus, vim & necessitatem imponi, qua se ad Ecclesias suas conferant, neque injussi pedem ex earum finibus efferant, neve ad eas administrandas, ipsis recedentibus, adventicium requirant auxilium. Verum, Nicolao Mariæ Madaffaro, omne vineæ illius excolendæ negotium ac studium ademit nova Bovensis Episcopatus, tenuis sane atque inopis, a Paulo V sibi traditi, cura; ad quam suscipiendam est coactus, ab Urbe discedere. Et sane mihi queri potuisse videtur, se non fuisse ornatum ex suis virtutibus, si, pro virtutum ratione modoque, semper honores mandarentur: nam, sine dubio, majore dignus erat provincia. Sed nescio, quo pacto Episcopatus ille deberi videtur solis Parochis, iisque e Calabria, qui Romam quotidie ad Parœcias capessendas confluunt. Nam, quantum repetere memoria possum, postquam natus sum, Episcopatum eum vidi ejus nationis parochis dari. Sed confestim, arbitror, ejus eum rei pœnituisse, ac, si res fuisset in integro, ac daretur optio eligendi, utrum vellet, multo eum

eum magis optasse, suum illum Romæ agellum, quo tantopere delectabatur, nullius rei egentem, colere, quam infula, aliisque pontificiis insignibus præfulgentem, inter agrestes ac rusticanos homines vitam agere, e quibus nemo plane existeret, quicum communicare ea posset, quæ docte excogitasset, atque in ea urbe versari, quæ, profestis diebus, fere cunctis in opus euntibus, solitudinis cujusdam potius quam urbis speciem præ se ferret. Atque hanc fuisse causam puto, cur honore illo non ita multos annos frui potuerit; eoque magis molestia affectum, quod nec tantum ea ab Ecclesia sumeret, quo tueri dignitatem pontificiam posset.

XXVI. CHRISTOPHORUS BRONZINUS.

IN Piceni regione, quæ, in descriptione Italiæ, quinta a Plinio numeratur, & in ea parte, quæ mare superum spectat, est oppidum Sciroli, ligneo Christi, cruci affixi, signo, summa & antiqua religione prædito, clarum, propter quod ab iis, qui Lauretanam ædem, religionis causa, adeunt, oppidum illud invisitur; nam alia visendi causa nulla est. In eo oppido natus est Christophorus Bronzinus, honestis parentibus, quorum genus, pro oppidi illius, non ita locupletis ac magni, ratione, honestum fuisse, illud est argumento, quod summo ab illis studio filius in pueritia doctus est, & in primis bene ac liberaliter educatus. Qui cum satis a literis instructus Romam venisset, ut erat ingenio eleganti, ac moribus amœnis, quibus placere viris principibus posset, captus est aulæ cupiditate studioque; atque ad amicitiam accessit Evangelistæ Cardinalis Pallettæ, statimque in ejus familiarium numerum venit. Erat enim vir ille princeps admirabili sagacitate, in odorandis pervestigandisque hominum ingeniis. Itaque cum, primis illis congressibus, quædam in Christophoro ingenua atque elegans natura ipsi suboluisset, nulla ratione dimittendam eam esse occasionem statuit; atque sine ulla mora suam illi domum aperuit, & Caudatarii munus detulit. Habebat hoc Christophorus a natura sibi concessum, ut, quamcunque in partem se daret, brevi in ea

per-

perfectus evaderet; quamobrem, munus illud adeptus, ita ea, quæ ad illud bene gerendum pertinebant, intelligentia perceptum ac memoria comprehensum haberet, ut reliqui, qui apud ceteros Cardinales eodem quo ipse loco ac numero essent, exemplum ab ipso, ad quod se fingerent, expetendum esse ducerent, &, si quid controversiæ inter eos ortum esset, de iis, quæ suum ad officium pertinerent, continuo ad illum deferrent, ejus sententiam exquirerent, &, quidquid ille ea de re sibi videri dixisset, id non minus ipsis ratum fixumque debere esse statuerent, quam si ex Apollinis ore prodiisset. Accedebat eodem, ut, cum frequenter pontificiis Sacris aliisque Romani Pontificis functionibus interesset, minutissima quæque, quæ oculis acciperet, quæque a magistris cærimoniarum fieri animadvertebat, attente diligenterque notaret, & in palimpsesto, quem ad eum usum paratum habebat, referret, mandaretque memoriæ. Quo factum est brevi, ut adeo cæremoniarum omnium peritus evaderet, ut posset etiam eos, in quorum eas, ut ita dicam, ludo didicerat, docere. Omnium igitur concessu, ejus quam profitebatur artis, primæ illi deferebantur; neque erat quisquam, qui se eidem audere anteponere. Quod declaratum in primis tunc est, cum Carolus Cardinalis Mediceus Romam profecturus esset, ut ejus, qua fulgebat, insignia dignitatis acciperet. Nam cum omnium eorum officiorum rudis accederet, quæ præstanda sint Cardinalibus, tum inter se, tum Pontifici max. in Consistorio, & in sacris solemnibus; fuit suorum omnium opinio, ut aliqualis ei Caudatarius apponeretur, experiens ac doctus, a quo officii sui admoneretur. Cumque in consultationem deliberationemque deducta res esset, non varie, sed omnibus sententiis, decretum est, neminem posse reperiri ad id munus aptiorem, quam Christophorum Bronzinum. Itaque Card. Mediceo traditur; qui tanti ejus operam æstimavit, ut secum Florentiam eum duxerit, ibique magistri cærimoniarum partes exequi voluerit, atque adeo liberaliter omnibus rebus habuerit, ut antea illum vita, quam voluntas eidem inserviendi, defecerit. Nullis erat aulicorum vitiis oblinitus; non ille insidias aliis struere, non

non aliud clausum in pectore, aliud in lingua promtum habere, non furtim cujusquam existimationi detrahere, non commodis aliorum invidere, sed neminem lædere, omnes, quibuscunque rebus posset, opera, consilio, ac re ipsa, juvare: neque facile invenisses alterum, qui amico magis amicus esset. Nihil in ejus moribus reprehensione dignum reperisses, si unum tantum excepisses, quod erat nimis elegans muliebrium formarum spectator, eoque in universum fœmineum sexum benevolentia studioque ferebatur, ut in amicorum aliorumque conventibus, omnes ejus sermones non alio, quam ad mulierum commendationem, revolverentur; ut etiam librum ediderit, quem Mulierum gloriam nuncupavit; in quo earum laudes ornate copioseque in astra sustulit. Quod ab eo non cupiditate aliqua, sed inconsiderata in illum sexum benevolentia, factum existimo.

XXVII. FRANCISCUS VISDOMINUS.

SEmper de cujusque facultate, in aliquo artis genere, licuit judicare ex æstimatione ac pretio, quo ille apud eos sit, qui, omnium concessu, ejus artis antistites numerantur. Quod cum ita sit, quis non fateatur, Franciscum Visdominum, etiamsi ejus scripta non legerit, magnam ex epistolis, quas Cardinalium, quibus dabat operam, nomine scribebat, laudem commeruisse, cum ita a Ptolomæo Gailio Cardinali Comensi, apud quem eo gradu multos annos fuerat, probatus laudatusque discesserit? Quis est adeo in rebus Romanæ aulæ hospes ac rudis, cujus ad aures, Cardinalis Comensis virtus nomenque non venerit? At tantum illi nomen famamque confecerant scriptæ, summorum Pont. nomine ad Reges, Respubl. provinciarum præsides, de rebus ad summam Rempubl. pertinentibus, epistolæ: quæ etiam eundem ad illum honoris gradum, ad quem ascendit, perduxerunt. Non levis res est neque vulgaris, epistolas, quibus arduæ res contineantur, scribere, sed longe maxima ac difficillima. Multis est opus virtutibus illi, qui hoc se facere posse profiteatur. Mitto fidem & taciturnitatem, sine quibus munus illud constare non potest;

mitto eloquentiam, cujus prima laus est, sermonis puritas ac perspicuitas, qua sensa mentis explicantur, quaque si careat oratio, quid ille, qui scribit, velit vel non velit, percipi intelligentia non potest; mitto, inquam, hæc atque alia multa: illi, qui præstare in hoc laudis genere postulet, necessarium est summum ingenii acumen, cum singulari prudentia ac rerum maximarum usu conjunctum. Qua prudentia tantum Cardinalis Comensis pluribus sui ævi Cardinalibus anteire existimabatur, ut, qui de re aliqua cum eo acturi essent, metuerent, ne satis ad eum parati meditatique accederent. Itaque Clemens VIII Pont. max. vir sapientissimus ac prudentissimus, in deliberationibus suscipiendis vehementer cavebat, ne quid committeret, quod Cardinalis Comensis jure posset reprehendere. Tali igitur tantoque viro, in ea arte, in qua ille princeps habebatur, probatum fuisse, in summa laude ponendum est. Audivi de iis, qui ipsi vidissent, tantam fuisse in Cardinali illo diligentiam, ac tam acre judicium, ut epistolas, suo nomine a Visdomino scriptas, antea legeret, quam iis mitterentur, ad quos dabantur; atque interdum solitum esse quædam in illis mutare, vel unum verbum delere atque ejus loco alterum subrogare; qua tamen erant ejusmodi, ut magnum lumen ac pondus illis literis adderent, atque magistrorum quorundam vim haberent, quæ iis, qui discendi cupidi essent, ostenderent, ad quam formam dirigendæ essent epistolæ, quibus perfecta atque absoluta judicii prudentiæque ratio inesset. Sed usque adeo Cardinalis Visdomino delectatus est, ac Visdominus Cardinali usus est benevolo, ut neminem illorum, alterius satietas ac fastidium ceperit: usque adeo, mutuum illud amoris benevolentiæque vinculum, quo invicem erant adscripti, integrum inviolatumque permansit, ut nulla vis alia, nisi mors Cardinalis, illud dissolverit atque diremerit. At posteaquam lumen illud consilii, gravitatis atque prudentiæ, desiit nobis illucere, postquam tam eximium amplissimi Cardinalium Senatus ornamentum ac decus excessit e vita, voluit fortasse, tot laboribus egregie perfunctus procul a Republ. quietem atque otium sequi; sed prohibuit ipsa Respubl. quæ non est

est passa desiderari a se egregiam ac tot in rebus perspectam ejus viri virtutem. Et, a multis expetitus, vicit tamen ceterorum studia Cardinalis Tontus, potentissimus eo tempore, cujus ex arbitrio auctoritateque Paulus V Pontificatum max. administrabat. Sed ex his quoque vinculis expeditum, tandem Comum, ejus patria, recepit, ibique humanissimis his literis operam dantem vita defecit, epistolis suis antea editis.

XXVIII. EUCLIO JURISCONSULTUS.

Homini parce parco, in nulla re alià occupato nisi in facienda cogendaque pecunia, nihil tam cavendum est, quam, ne honorum cupiditati aditum in animum suum aperiat. Etenim nullæ res duæ ita inter se contrariæ sunt, nullæ ita inter se vehementer atque acriter pugnant, ut parsimonia & ambitio. Ubi enim hæc pedem fixit, inde illa altera suum referat necesse est; quodque quis, suum defraudans genium, comparsit miser, ambitioni, extraordinariis sumtibus, distrahendum dissipandumque permittat. Largiendum, convivandum, liberalius epulis indulgendum, rhedæ equique parandi, major familiarium numerus alendus est illi, qui honorum gloriæque studio ducitur. Sed fit interdum, ut ea honorum capiendorum claritas & fiducia parsimoniam, paulo ante pulsam, accendat ad pugnam, ut arcem animi, quam amiserat, recuperare, ejusdemque rursus potiri conetur, nec inanem operam fumat, sed in veterem regni locum possessionemque restituat. Ut aliquot ante annos accidit in Euclione J.C. Hispano. Hic juvenis Romam sese contulerat, ut ibi negotiaretur; hoc est, ut ex labore studioque, quod ad res aliorum conferret, rem suam strenue augeret. Itaque, ut mos est eorum hominum, statim clerici vestem & ornatum accepit, cœpitque nonnullorum suæ nationis commissa sibi negotia studiose diligenterque peragere: verum, ex mercede, quam consequebatur, vix tantulum decerpebat, quod esset ad vitam parce ac duriter agendam satis; sed quantum necessitatibus naturæ detrahebat, tantundem nummorum acervo, quem cumulare instituerat,

addebat. Qui acervus cum jam satis ex sententia excrevisset, statuit, advenisse tempus, quo liberalius sumtui genioque esset indulgendum. Itaque famuli unius famulæque operas conduxit, & largius mensas cœpit instruere; ita tamen, ut singulis diebus, non amplius quam quinis obolis carnes, & binis olera ac poma, in cœnas ac prandia, coëmenda mandaret. At cum sæpe in potentiorum ædes se conferret, ut negotiis sibi commissis operam daret; furtim, & tanquam per cuniculos, ejus in animum irrepsit ambitio; quod videret, iis præ ceteris honorem haberi, qui caudam traherent, quo vulgus Antistites vocat; statuit, parsimoniæ, cui tanquam uxori, qui nullum est arctius vinculum, hærebat, nuncium remittere, eamque suas sibi res habere jubere, ac novas cum ambitione affinitates societatesque contrahere. Itaque dedit operam, ut ad eorum numerum adscriberetur, quos aula Referendarios appellat, quique, nisi simul superioris alterius ordinis munere fungantur, nigra tantum veste utuntur. Atque, ut eum, quem inscenderat honoris gradum, pro dignitate tueretur, rhedam equosque coëmit, circumpedes quatuor, qui se sectarentur, mercede conduxit, ac varia veste ornavit. Usque illi sumtus visi sunt Euclioni neutiquam graves, donec, amicorum salutationibus & adulantium gratulationibus inflatus, intumuit. At postquam favor ille, tanquam flatus, hominem defecit, quo elatus in altum fuerat, continuo, quasi e cælo delapsus, decidit, tanquam in lutum, in memoriam sordium antiquarum, in quibus olim totis vestigiis hærebat. Itaque in otio, quo sua eum ambitio perduxisset, cum animo reputans cogitansque, jam sibi hordeum, fœnum, avenam, qua equos aleret emendam, circumpedibus quatuor mercedem, cibum, vestemque præbendam, curandum, ut equi unguibus ferro subactum haberent solum, laxiores ædes conducendas, sumtuosius mensam instruendam, aliaque ejusmodi, quæ, omnibus fere horis, crumenæ animam interciperent; hæc igitur sedulo in animo versans, ea molestia affectus est, ut ex ægritudine in morbum inciderit. Advocatur medicus; accurrit. At ille, qui naturam & consuetudinem hominis nosset, cui medicinam adhibere de-

debebat, continuo, quo morbo laboraret, intellexit; atque: Præsul, inquit, Reverendissime, gravis est hic morbus, ut video, qui te invasit; nec longius abes a periculo. Quamobrem magnopere tibi laborandum est, ex eo ut convalescas. Ita est, ut loqueris, ait ægrotus; fer igitur opem, equidem angor, crucior, differor doloribus, partem mihi viscerum abripi sentio. Medicus, qui, ex pulsu, carere eum febri, non ignorabat, risum tenere vix poterat; atque: Bono, inquit, animo es jam; reperisse me arbitror, quod bonam hujus morbi partem a te dejiciat; missos fac duos ex his famulis, quos circa te habes, postridie revertar, ut videam, ecquid præsidii fuerit in hoc pharmaco, quod tibi propino. Ille, cui nihil tam erat cordi quam sanitas, non procrastinat, sed statim, ex medici præscripto, duorum hominum sumtu, hoc est, non minima se ægritudinis illius parte, levat. Revertitur medicus; rogat, ut valeat, ut medicamentum illud eum juverit, quod jusserit sumere. Bene, respondet Euclio, sed non tamen se usquequaque ex sententia valere. Vin tu, inquit medicus, huic stulto auscultare, neque medico amplius egere? Loquere, ait ille; audio lubens: nam nihil est, quod magis misere cupiam. Igitur, subdit medicus, reliquos duos famulos domo, quantum potest, abige, & mutare coloniam jube; tum, auctione facta, equos, rhedam, & rhedarium quoque, ei, qui licitetur, addicito, atque ad veterem vivendi rationem, multo hac salubriorem, quasi postliminio revertere. At Euclio: O medicum singularem, exclamat, neque jam cum Hippocrate & Galeno comparandum, sed Æsculapio etiam ipsi & Apollini anteferendum! ut ad intima ejus morbi penetralia se intulit! ut rationem, qua illi occurri possit, invenit! Vix biduum intercessit ab hoc sermone, quem cum medico habuit, cum, rheda equisque divenditis, & rhedario ac circumpedibus, qui tantum illi morbi creaverant, in malam rem jussis abire, domum vacuam fecit, seque in perpetuum omni molestia dissolvit; atque octo illos annos, quibus deinceps vixit, ita sano fuit corpore, ut sua causa nullus medicus, vel ramento saltem plumbeo, factus sit ditior. Humatus est in templo suæ nationis, prope sacrarium.

XXIX. MARCELLUS VESTRIUS BARBIANUS.

QUi summis in Republ. viris, & virtutum maximarum fama clarissimis, aliquo cognationis nexu implicati tenentur, magnam sibi ab eorum claritate vim attrahunt, vel ad vituperationem vel ad laudem. Nam, si se ab illorum virtutibus longo intervallo disjunxerint, eorum improbitas fortasse jacuisset in tenebris; sed ob luminis propinquitatem, cui adhærent, latere non potest, magisque edito in loco atque perspicuo collocatus, obloquentium sermonibus, tanquam jaculis, patet. Ex contrario, qui cognatorum suorum, omni dignitate principum, similitudinem imitatione persequi student, id assequuntur, ut non solum sua virtute clari existant, verum etiam, ab illorum splendore, claritatis ac nobilitatis plurimum hauriant. Timotheum non propria tantum laus, sed quoque accepta a patre gloria, quam multis ille virtutibus auxit, nobilitavit. Africanus ille minor, cujus virtute Carthago, æmula imperii Romani, a stirpe interiit, nonne avunculi, imperatoris summi, rebus gestis notior atque illustrior, omnium linguis ac literis celebratur? Sed nullus erit finis, si sigillatim referre omnes placeat, ad quorum laudem, majorum commendatio plurimum influit. Item contra infinitum esset, in eorum commemoratione versari, quorum improbitas atque nequitia eo majore odio ac contumelia digna videtur, quo magis ipsis relictæ a majoribus, a quibus degenerarunt, gloriæ repugnat. Hic laudatissimus antiquorum mos ille defluxit, ut viri nobiles, suarum ædium in atriis, eorum ex sua familia virorum imagines depictas haberent, quorum nomen vel eloquentiæ vel Reipubl. bene gerendæ laus, vel rei militaris gloria, memoriæ posteritatis sempiternæ mandasset; quæ imagines non solum commemoratione hominum & cognitione formarum delectarent, sed posteritatis illorum animos ad imitationem similium factorum incenderent. Verum, inter eos, qui majorum suorum ima-

imagines, vel in tabulis pictas, vel in æs incisas, vel in marmore insculptas, ac magis in animo impressas habuerunt, ut illorum in se virtutes, imitando, effingerent atque exprimerent, Marcellus Vestrius Barbianus, non postremum locum ac numerum obtinet. Etenim Octaviani patris signum, affabre e marmore effictum, suo in cubiculo collocatum, ut sæpius ipsemet vidi, habebat; credo, ut præclaris domesticæ virtutis exemplis excitatus, ad illius similitudinem se conformaret atque componeret. Natus est hic Octavianus Foro Cornelii (quamquam, ab origine ultima, stirpis Romanæ se diceret) nobili & honesto inter suos loco, Jus civile didicit; in quo adeo perfectus evasit, ut Romæ, quo se contulerat, Jurisconsultus in primis haberetur. Ubi cum assidue in foro judiciisque versaretur, complures summos viros opera forensi sibi devinxit, & ad divitias pervenit. Sed usque adeo ingenio, quo præstabat, ac longo etiam usu ac exercitatione, omnes Romanæ aulæ mores, ac fori jura, possedit, ut eruditissimum doctissimumque librum, de omnibus Urbis magistratibus, ac de omnium judiciorum ratione, scriptum ediderit: in quo totius aulæ Rom. forma expressa conspicitur; ut, qui sit in ea rudis atque hospes, continuo, ejus libri ope, assequatur, ut penitus totam illam Rempubl. noverit. Hic Marcellum filium genuit ex se, atque, prout ipse erat studiosus literarum, omnem, ad filium erudiendum, laborem ac studium contulit. Nec inanis ejus fuit labor. Nam in puero, præter docilitatem ingenii, summus discendi ardor perpetuusque flagrabat. Sed erat in primis Latinæ eloquentiæ cupidus; in eaque, id quod sibi summæ felicitatis loco tribuebat, magistrum habuit M. Antonium Muretum, omnium tum suæ tum multo etiam superioris ætatis oratorum eloquentissimum. Neque apud illum operam perdidit; nam, si non aliud, illud saltem ab eo diligens faciendæ expoliendæque orationis studium arripuit, in quo ille excellebat, & in primis purum ac dilucidum scribendi quoddam genus, quod hodie a plerisque vel negligitur, vel, quia in difficili labore versatur, quem maxima pars hominum fugit, desperatur. Sed, quoniam patri ille erat unicus,

coactus est uxorem ducere, virginem nobilem Romanam, ex Rusticorum familia; quæ familia, mea ætate, ut de multis aliis contigit, Francisci Rustici, ad quem unum redacta erat, morte interiit. Ex qua uxore virilem sexum suscepit, quam ex parentis sui nomine, Octavianum appellavit, omnium elegantissimarum artium instructo ornatum, quæ in nobilem virum conveniunt; adeo ut ne Musices quidem esset ignarus: nam eleganter & fidibus & voce canebat, ac propter ejus artis studium, quo adolescens mire tenebatur, omnes ejus ætatis modulandi facultate magistros arcta sibi familiaritate conjunctos habebat, ut Lucam Marentium, Felicem Anesium, Rogerium Joannellum, aliosque. Sed cum, post mortem patris, propter divitias, quibus præstabat, illi liceret uxorem dotatam nobili genere ducere, ex qua liberos procrearet, qui genus propagarent, maluit libertati, quæ, simul ac uxor pedem intro in domum fert, exulatum abire compellitur, quam posteritati familiæ, consulere. Itaque, deposito pallio gladioque, erat enim honorarius Calatravæ in Hispania miles, togam sumsit, & ab Urbano VIII, cujus, etiam tum Cardinalis, in intimam familiaritatem pervenerat, ejus in aulam exceptus est, & in amicorum numero habitus, quibuscum requiescere solitus erat, sicubi eum satietas hominum & negocii odium ceperat: in eoque gradu, majora sperans, est mortuus, ejusque morte, quæ illius fuerant bona, ad sororem, quæ Romæ in cœnobio S. Annæ perpetuam Deo virginitatem dicaverat, lege redierunt. Sed ad Marcellum patrem revertamur, unde paululum digressi fuimus. Qui cum plures annos cum ea, quam habebat, uxore egisset, & ea illum, ille vero eam tulisset, assecutus id est, quod mariti fere omnes misere cupiunt, nec impetrant tamen, ut illa, ipso superstite, domo foras efferetur. Sed, cum vegeta ac robusta adhuc esset ætate, ac plures ipsi conditiones, quibus dos magna comes esset, objicerentur, nullam voluit accipere; tum aliorum, tum multo magis suo exemplo doctus, quantum sit negotii in una muliere, quæ nunquam satis ornatur, nunquam satis expletur, quantæque incommoditates, sumtusque intolerabiles, dapsiles dotes,

con-

consequantur; præsertim, cum satis sibi liberorum esset, quorum procreandorum causa maxime uxor expetitur: sed aulam sequi, & fortunam experiri constituit. Quæ, statim ab initio vultum illi alacrem ac lætum expromsit. Nam traditam a Gregorio XIV Pont. max. earum epistolarum, quæ Brevia appellantur, scribendarum provinciam accepit. Neque parvo atque vulgari, sed magno ac peculiari, ab eo affectus beneficio est, magnumque de sua ipsius virtute judicium factum. Nam nemo ad id officium admittitur, nisi fide & industria cognita, quod magno in eo juris civilis & pontificii notitia requiritur, & quod necesse est, multorum magnorumque in Republ. consiliorum eum esse participem. Quod munus eo illi gratius accidit, quod eloquentiæ declarandæ facultas obtingeret. Numquam enim, quamvis re uxoria implicitus, Latine scribendi usum exercitationemque dimiserat; qui usus est illi necessarius in primis, qui recte tueri id munus efflagitat. Quem locum honoris non solum tenuit apud Gregorium, quoad ille vixit, verum etiam apud Clementem VIII, annos, quibus vixit, omnes. Novissimo tempore apud Paulum V eidem muneri præfuit; quo Pontifice, primis fere pontificatus illius annis, vivere desiit. Fortunam adversam numquam expertus est, nisi semel in una ex sororibus, nobili viro nupta, quam, rumor emanaverat, parum honeste pudicitiam habere. Sed id fortasse fama magis quam re ipsa valebat. Verum ille, bonæ existimationis cupidus, quique a suis non solum flagitium, sed flagitii suspicionem abesse debere existimaret, usque eo commotus est, ut illam, quoad rumor ille, sive verus sive falsus, evanesceret, non in aliquam nobilium sacrarumque Dei virginum domum, quod proclive illi fuisset, includendam, sed in meretricum conversarum claustra rapiendam condendamque curaverit; neque, amicorum cognatorumve precibus exoratus, adduci potuit, ut cum ea rediret in gratiam, vel ea saltem vincula, in quæ, ejus jussu, confecta fuerat, solvenda mandaret. Erat in eo judicium acre, ac prudentia non vulgaris, sed quam quasi veteratoriam diceres. Adeo ut Clemens VIII, cum eum ad se venientem aspiceret;

Vulpes adest, diceret, nos paremus ad cavendum. Habebat aliquot circa se canes, quibus vita erat, sua ipsorum opera ad eas literas, quas Brevia vocari diximus, procurandas, clientibus mercede locata; quibus, quia ad sua negotia utebatur, omnia, quæcunque postulassent, impetrata reddebat; idque volebat esse mercedem laborum ac solicitudinum, si quas pro ipso capiebant: atque erat suspicio, multa cum ipsis, tanquam a Pontifice impetrata deferre, de quibus ne mentionem quidem cum illo fecisset. Ac Clemens VIII, qui hominis fidem suspectam habebat, die quodam, manifesto in flagitio se deprehensum eum habere existimavit. Nam cum breve quoddam ab eo, suo annulo obsignandum, accepisset, in quo nescio quid, nemini ante concessum, continebatur, elatus ira. Si istuc, inquit, est a me datum, nihil moror, quin suspensus interseam. Sed Vestrius, nihilo commotior factus, domum accurrit, ac supplicem libellum retulit, Pontificis ipsius manu subscriptum, in quo Petri Cardinalis Aldobrandini, fratris filii, honoris gratia beneficium illud, postulanti, deferebat. Quo inspecto, Pontificem, tantum capiti suo mali se gratis deprecatum fuisse, pœnituit. Videbatur Cardinalatus honoris cupidus; ad quem ascendisset, nisi aquæ inter cutem morbo subreptus antea fuisset. Post cujus mortem, legi ego paginam, suo chirographo scriptam, in qua familiam totam ordinabat, mihique, ac Fabio Sergardio affini suo, epistolarum scribendarum partes assignabat. Habuit semel orationem ad S. R. E. Cardinales, cum, subrogandi Pontificis causa, conclave ingressuri essent; quæ extat; eaque non tam verborum sententiarumque luminibus, quibus enitebat, placuit, quam actione, quæ fuit in eo singularis.

XXX. ANSALDUS CEBA.

Ligures, ac Genuenses, in primis Liguriæ totius principes, nullis Italicarum regionum atque urbium hominibus; ingenii præstantia judiciique acumine cedere, præclara ingenia, quæ inde provenerunt, ostendunt. Multi enim numerari a nobis possunt, partim in scriben-

benda historia, partim in poëtica facultate, partim eloquentiæ fama, illustres. Sed plures semper, quam necesse esset, earum urbium decori ornamentoque, a literarum gloria ad lucri cupiditatem & cogendæ pecuniæ studium abstraxit; tanquam si Rebuspubl. sit honestius, cives suos divitiis affluere, quam virtutum laude præstare. Quod longe secus est: nam divitiarum gloria, fluxa atque fragilis est, virtus clara æternaque habetur; ac multo præstat, unum in civitate eximium doctrina virum, quam multos divites esse. Num Colophoni, Chii, Smyrnæ, Salaminæ, exiguum hominum locupletissimorum numerum fuisse existimamus? immo plures erant, nec, divitiis, iis inferiores, qui hodie Picos auro superare creduntur. At nunquam inter eas civitates certamen fuit de divite aliquo, qui opum magnitudine ceteris anteisset, sed de Homero acriter vehementerque pugnatum est semper. Unaquæque enim earum civitatum, eum sibi vendicabat, repetebat, suum esse asserebat. Magna omnino vis est virtutis ac splendor, præ cujus claritate, ceterarum rerum lumen, tenebrarum instar videtur habere. Quod intelligens Ansaldus Ceba Genuensis, quamvis generis nobilitate, quamvis formæ dignitate, quamvis opibus ac potentia, nemini suorum civium esset inferior; nam ex suis majoribus aliquot Rempubl. Genuensem, Ducis honore ac nomine, administraverant: tamen generosa quadam contumacia, a magnitudine animi ducta, contemsit divitias; pecuniæ faciendæ occasiones, quarum magna se copia dabat, omisit; æqualium studia, ludos, jocos, convivia, magna ex parte deseruit; ac totum se possidendum literis tradidit, eo labore ac contentione animi, ut nulla quies, nulla remissio, ab illis abstraheret; ut etiam inde ea corporis ægritudo manaverit, quæ usque ad exitum vitæ obsessum atque irretitum eum tenuit. Semper doctum aliquod carmen, vel philosophicum quidpiam, ex Aristotelis vel Platonis disciplina desumtum, meditabatur; & usque adeo in attenta harum rerum cogitatione defixus hærebat, ut neque, domo exiens, & in publicum prodiens, ab eadem desereretur. Nam fiebat interdum, ut pileo caput tegere, ac pallio humeros onerare oblivisce-

re-

retur, neque antea, se iis carere, animadverteret, quam ab aliquo salutatus, vellet salutem mutuam reddere. Nam, manum ad caput adducens, inane a pileo illud esse comperiebat. Multa, adolescens, ut fit, amatorie scripsit, sive ætatis sive cupidinis æstu abreptus, quæ deinde, paulo natu grandior, cum sese jam etiam odisset, emendavit atque correxit. Nam aliis hymnis odisque editis, plenis gravitatis pietatisque, quæ minus caste religioseque scripsisset, occultanda atque ex omni memoria evellenda curavit, si tamen assequi potuit, quod voluit; nam melius ac facilius in agro inhærent ac succrescunt inutiles ac steriles herbæ, quam salubres ac fertiles. Totum se deinde tradidit ad Ester, poëma sacrum componendum; quod etiam feliciter absolvit atque edidit. Sed cum illud deinde in Cardinalis Auriæ, Archiepiscopi Panormitani, judicantis arbitrium venisset, multa sunt inventa in eo, quæ titubare viderentur. Videlicet, quod multa in eo continerentur absurda, quæque a communi hominum sensu abhorrerent. Quam ille accusationem, literis ad Cardinalem, cujus ille delinitor esse debebat, arrogantibus sane verbis, scriptis, est resolvere conatus. Quarum litterarum exemplum placuit hoc loco subjicere.

Cardinalis Illustrissime. Poëtæ magni, quos sine furore esse posse, Democritus negat, sunt excusandi, si, eo impetu, pene a sensu mentis abstracti, quædam interdum efferant, quæ incredibilia & irrisione digna existimentur, ut apud Sophoclem, in Trachiniis, Deianira, Nessum Centaurum, ait, homines ab una fluminis ripa ad alteram manu traducere; quod est intelligendum, nullis velis remisque adhibitis. Idem etiam Sophocles in Tragœdia, cujus nomen est Electra, eandem Electram, Chirsotemi sorori, nescio quid secum afferenti, quod patri sacrificaretur, imperantem inducit, ut illud, quidquid erat, in pulvere alte defossa abstruderet, aut ventorum in gremio. Ubi Scholiastes Græcus: Verbum, inquit, abstrudendi, sive celandi, apte congruenterque pulveri convenit, non autem ventis; quamobrem aliud extrinsecus est addendum, quod minime a ventis abhorreat; cujusmodi, illud esset ventorum in sinu au-
se-

ferendum asportandumque depone. Id quod etiam Homeri, poëtarum principis, auctoritate confirmat, cum dicit, arma equosque jacere. Jacere enim, est quidem proprium armorum; equorum autem (nisi, si dormiant) stare: quodcirca, subintelligendum illud est verbum. Quapropter, me judice, magnis hominum ingeniis, quibus quidlibet audendi semper fuit æqua potestas, si quid audacius dixerint, non est vitio vertendum, sed potius suspiciendum, vel aliquod tanquam mysterium habendum, quod vulgus imperitorum nosse vel assequi intelligentia non possit. Adde, quod interdum contemnere, nec singula singulis reddere, argumentum est magis, furoris magnificentia, commoti elatique in altum animi, quam hominis, ignorantiæ tenebris obsiti. Quamobrem sine me remigio veloque in altum capessere, neque in eo offendaris; & quamvis fortasse minutos inter poëtas enumeres, patere me in præsentia, magnorum præsidio fultum, elabi, eumque, quem, servos tuos inter, locum mihi dedisti, tuere, atque defende, Carignani.

Cui epistolæ, Cardinalis in hæc verba respondit: Non fuit igitur alienum a ratione, gens illud dicendi in dubitationem vocare, quod insolens & abnorme esse fateri cogamur, cujus tuendi gratia ad summorum poëtarum auctoritatem sit confugiendum, quodque furoris poëtici, qui transversos homines, nempe de recta via, agit, excusatione defendatur. Et sane loci poëtarum, quos te magistros habere dicis, mirifice ad rem, de qua ambigitur, faciunt. Verum, illud animadvertendum est, cum, in Trachiniis, Nessus Centaurus dicitur manibus homines flumen trajicere, non remis navigando vel velis, trajiciendi verbum apte convenit, tum velis remisque tum manibus. Utroque enim modo flumina trajici possunt. Itaque hæc dicendi ratio non mihi videtur eam inconvenientiam habere, quam habet illa, quæ narrat, quendam decem millium viam isse pedibus, non equo equitando, neque navigio, nam potest quidem aliquis ire navigio, non autem equitare. Quid enim commune habet equitandi ratio cum navigatione? mitto, quod remis remigare, idem est quod remis ferri; sed additur,

tur, remigando, quo res magis explicetur; ut cum dicimus, verbis aliquem loqui. Ad Electram quod attinet, narratur mihi, magis eam esse verborum sententiam, ut Chrisotemi imperetur, ut id, quod ferret, in ventis constructum ac reconditum haberet, aut in pulvere, non autem, quemadmodum tu ipse vertis, vel in pulvere vel in ventis. Ita enim sequeretur, ut non statim venti suum sibi verbum vindicarent, sed post pulverem. Mitto illud, quod ventis celandum quidquam tradere (quod tum fit, cum ab illis dissipatum atque dispersum, e conspectu hominum evolat,) non est ita novum, (pace Scholiastæ dixerim) nec Virgilio visum est tale, qui etiam nova magis ratione, de eo qui urbem relinqueret, ait, quo longius ab ea recederet, eo etiam illam magis abscondere. Postremo, non me latet, Homerum in Iliade Ulyssem a Dolone quærentem induci, ubinam Hectoris equi armaque jaceant, quo, etiam dicendi genere, nisi memoria me fugit, usus est alibi. Sed ajunt, jacendi verbum, ut, Eustathius est auctor, in duplici significatione versari; neque solum, jacere, eum dici qui fusus sit humi, sed illud etiam quod uspiam sepositum sit atque reconditum. Idem fere tradit Budæus, qui hujus verbi nomine, situm, in quo aliquid collocetur, designari confirmat. Quamobrem, ni fallor, exempla ista, in quorum castra, tanquam ad petendum auxilium, confugis, tuum remorum inflatum nihil adjuvant; nisi si illud, quod quispiam inusitatius & enormius dixerit, argumenti sumendum sit loco, vel præstantioris illius in arte poëtica facultatis, vel meæ inscitiæ, quorum utrumque libenter dedero, neque repugnabo. Quæ cum ita sint, infla, per me, tuo arbitratu vela remosque, nunquam enim in eo offendar; sed dabitur mihi existimandi locus, ubi tuus iste flaverit ventus, omnem in scribendo licentiam habituram esse vim legis.

Utrius oratio propius ad veritatem accedat, non hujus est loci definire; sed mihi videtur uterque pugnare pro nugis, ac velitari inter se, quemadmodum est in veri proverbio, *de lana caprina*. Verum, utut sese res habeat, illa Ansaldi epistola, aliquanto liberius scripta, illi fraudi fuit. Nam data est opera, ut poëma ejusdem,

jam

jam editum, e manibus hominum eriperetur, atque inter libros prohibitus referretur. Neque alia ejus decreti causa afferebatur, nisi quod historiæ sacræ veritatem mendaciunculis multis contaminasset. Neque, ad flectendum rigidum irati hominis animum, quidquam illi suffragatum est jus poëtarum atque potestas; qui poëtarum nomen tueri non possunt, nisi vera argumenta inventis suis augeant atque ornent.

XXXI. JO. FRANCISCUS PERANDA.

Vetustissimum epistolarum scribendarum usum, utilitates multæ, eæque maximæ, consequuntur. Etenim, earum beneficio, fere omnium quæ ubique, etiam in ultimis orbis terræ regionibus geruntur, certiores efficimur, amicorum benevolentiam conservamus, novas amicitias conglutinamus, veteres instauramus, eos, qui cordi in primis cari sunt nostro, ut parentes, liberi, fratres, cognati, amici, quamvis longo a nobis intervallo disjunctos, adimus, amplectimur, alloquimur, consolamur, salvere jubemus; ea, quæ coram ne efferamus, prohibet metus aut pudor, epistola omni pene metu ac rubore soluta, non titubanter, neque perplexe, sed audacter diserteque profundit; quæ illi mandata committis, alacriter excipit, diligenter custodit, fideliter explicat. Ac propter tam magnas utilitates & commoda, quæ ab ea percipiuntur, factum est, ut omnibus fere seculis, summus illi honor tributus sit, magnoque in pretio habiti sint, qui tantum munus præstare potuerint, ut scire eleganterque epistolas scriberent. Quorum hominum, magna semper paucitas fuit. Quot enim sunt ex iis, qui epistolas ediderant, quos æquo animo legere possimus? M. Cicero, apud antiquos, ut ceteris in rebus, quibus studium suum dedisset, fuit omnium facile princeps. Secutus est Plinius junior; cujus similitudinem multi assequi imitatione conantur. Ac multa post secula, cum nullum jam veteris eloquentiæ vestigium appareret, enituit Symmachus, qui unam scribendi laudem putavit esse brevitatem. Avorum proavorumque nostrorum memoria, Cardinalis Papiensis, singulari judicio ac sapientia

tia vir, magnam in scribendis epistolis consecutus est laudem; sunt enim gravitatis prudentiæque plenissimæ. Paulo supra nostram ætatem Episcopus Bajusæ & Jo. Guidiccionus, Forosemproni Episcopi, floruerunt, quorum epistolæ, Italica lingua conscriptæ, feruntur in cælum. Nec minorem sunt gloriam adepti, Iacobus Sadoletus, ac Petrus Bembus, Cardinales; quibus auctoribus, pene pristinus Latinæ eloquentiæ honor est redditus. Quid igitur causæ esse dicam, cur in ea re, quæ communi hominum societati est adeo necessaria, in qua omnes fere quotidie elaborant (quotus enim quisque est, qui non cuipiam necesse habeat litteras dare?) tam pauci, non dicam admirabiles, sed, si verum fateri liceat, tolerabiles inveniantur, nisi rei quandam magnitudinem ac difficultatem? nam quo loco posita laus est, omnis semper ad eum aditus arduus atque difficilis extitit; ideoque quam minime multis illuc perveniendi facultas atque animus adfuit. Multis enim & multigeneribus opus est illi virtutibus, qui hanc tantum spe laudem animoque complectitur. Primum dum est opus ingenio, opus judicio, multis opus literis, opus eloquentia, opus rerum maximarum usu, opus in primis acerrimo exquisitoque judicio. At nostra memoria magnum, in scriptoribus epistolarum, nomen habuit Jo. Franciscus Peranda; de cujus facultate licet existimare ex libris epistolarum, quos edidit. At illi ingenii acuendi & exercendi facultas & occasio non defuit. Etenim Henrico Cardinali Cajetano navavit operam, ab epistolis; qui Cardinalis, ob honores quos gerebat, ob munera quibus fungebatur, ob nobiles illas legationes quas obivit, nullam fere horam, vacuam a negotio potuit sumere; quarum occupationum multitudinem in eum erat redundare necesse, quem consiliorum omnium participem esse voluerat. Erat enim Henricus, non solum Cardinalis, cujus ordinis hominibus nunquam solet negocium deesse, verum etiam S. R. E. Camerarius, civitatem Bononiæ, legati nomine, administravit, profectus est deinde in Galliam, hoc eodem titulo, turbulentissimis illis ejus Regni temporibus, cum, Henrico III occiso, Rex Navarræ, arctissimo illi cognationis nexu devinctus, sed

sed tum temporis simulans, se esse a Catholica religione sejunctum, quia ita sibi facto opus erat, Regnum illud, tanquam sibi debitum, occupare studebat: ubi Cardinalis eas res gessit, quæ, Romam perlatæ, a concionatoribus, in suggestis, miris in cælum laudibus efferebantur. Quæ Sixtus V graviter ferens, & aliorsum, atque ab ipsis dicebantur, accipiens, concionatores illos comprimi jussit; in quibus fuit Bartholomæus Blondus, Soc. Jesu; qui postea, vulgi judicio, primum tenuit concionatorum locum. Postremo, ad Regem Poloniæ, maximis de rebus, a Clemente VIII legatus est missus; quam legationem scimus fuisse magnificentissimam; nam, præter circumpedum gregem varia indutum veste, præter magnum honestissimorum hominum numerum, qui eum, honoris gratia, sectati sunt, præter ingens auri & argenti pondus ac preciosam supellectilem, quibus se rebus instruxerat, magnam vinorum præstantissimorum vim, tota Italia exquisitam, secum avehendam exportandamque curavit; quo hominibus illis longe gratissimum fecit, qui non utuntur vino nisi importato; *ac regio illa feret piper & thus ocius uva*; quod vinum, non solum in conviviis, quæ quotidie agitabat, large copioseque profundebat, verum etiam omnibus, quantumvis multibibis atque merobibis, exhiberi jubebat, qui ædes suas adirent, ut ventrem proluerent; unde cum madidi exirent, exclamabant: O virum principem, vini potentem! O regiones Italiæ felicissimæ, quæ boni tantum effertis! quis non optaverit, se in ea Italiæ parte, ubi optima vina gignuntur, sepultum esse, quam hic in patria vivere; Jamque sua illis cerevisia, præ illorum vinorum præstantia, nautea erat; neque eam poterant amplius aspicere. Interea Cardinalis Henricus non cessabat Perandam, cujus opera quantæ sibi esset utilitati ornamentoque, sentiebat; non cessabat, inquam, pecunia ac muneribus sublevare, ejusque rem, quod poterat, augere. Cujus amplificandæ materiam dabat Camerarii provincia, quam sustinebat. Atque ad divitias pervenisset, si scisset uti foro, neque id, quod dabatur, maluisset perdere, quam conservare. Etenim quantum a domini in eum benignitate prodibat, tantundem,

& eo amplius, refundebatur in eos, qui ex veteris Romæ ruinis signa, vel marmorea vel ænea, si quæ essent, aut alia egregiæ antiquitatis monumenta eruerent. Quod negotium cum aliter illi cecidisset atque opinatus fuerat, nimirum tetre infeliciterque, factum est, ut rursus in eum se inopiæ locum detruderet, unde eum Cardinalis conatus erat extrahere, immo rem eo reduceret suam, ut bonis careret. Erat præterea optimorum librorum studiosus in primis, in quibus tota Urbe exquirendis comparandisque, nulli neque labori neque sumtui parcebat. Quorum unus, longe sibi carissimus, quem, diu expetitum, vix tandem invenerat, (ut Gabriel Bombasius, ejus amicus, mihi narrabat) simiæ cujusdam opera sive astu, pene corruptus totus interiit. Erat hæc simia Cardinali in amoribus ac deliciis, quæ lepidos de se ludos iis, qui paululum oblectare se vellent, omnibus dabat; sed die quodam, cum vincula, quibus erat constricta, rupisset, totas ædes vaga lustraverat, ac demum, ne capi posset, ita se occultaverat, ut nulla cujusquam diligentia reperiretur. Aberat tum domo Peranda; in quam cum multas post horas se recepisset, ac lumen afferri & cubiculi sui fores aperiri jussisset, simiam offendit; quæ, ne otiosa ibi sederet, ex atramentario gossipium, multo imbutum atramento, extraxerat, eoque singulas ejus libri paginas infecerat, turpiterque fœdaverat; quod ubi factum est palam, ceteris, ad quos nihil ea res pertinebat, risum, illi autem, qui sciret, quanti librum emisset, quamque cordi carus esset suo, cordolium exhibuit. At vir hic, quamvis egregius, non potuit effugere, quin ad eundem scopulum navim offenderet, ad quam aulici fere omnes suam impellunt; nimirum ut insigni aliqua calamitate, tanquam fabulam vitæ, concluderet. At quonam fato fieri dicam nescio, ut, qui propter assiduitatem, diligentiam, fidemque, quam dominis suis præstant, propter illorum auctoritatem & gratiam, propter illustrium virorum amicitias, quas in aula contrahunt, meliore conditione deberent esse quam ceteri, eorum præ ceteris vita, fortunæ jaculis pateat. Etenim vel bonorum naufragium faciunt, vel in renium, vel in artuum, vel in vesicæ morbum

num incidunt, vel in nosocomium aliquod, naturæ debitum reddunt. Quamquam hæ illorum infortuniorum causæ possint afferri: primum, bonorum naufragium, quod sæpe aulici incurrunt, ut dominis rem gratam faciant, qui domini familiares suos fere pulcra veste, quam ingenio bono, esse ornatos malunt; itaque illi, præter quam res ipsorum patitur, student elegantiæ: deinde, adversæ valetudines, quod, dies noctesque, horam fere nullam, operæ ac laboris vacuam, habeant, ut dicto audientes sint dominis; qui, æquum an iniquum sit quod imperant, non cogitant. Sed Perandam, præter egestatem, ea calamitas oppressit, quæ omnem ab animo voluptatem ac lætitiam abigit; videlicet cæcitas, ut Tobias senex Raphaeli Angelo, in humana figura, perpetuum ipsi gaudium precanti, non incommode respondisse dicatur: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* At ille tantum infortunium ita æquo hilarique perpessus est animo, ut, tanquam ea delectaretur, jocos facetiasque continere non potuerit; eas tamen facetias, quæ serium aliquod ac grave significarent. Nos, ex omnibus, quæ facete jocoseque dixit, unum tantum eligemus; unde appareat, quantum id, quod ceteri summum fere malum putant, ipse contemserit ac pro nihilo duxerit. Finxit, in actis Parnassi (nam Trajanus Boccalinus, in illis componendis, eo adjutore præsertim est usus,) finxit, inquam, missum fuisse Romam ab Apolline unum, collyrium nescio quod ferentem, quo si oculos Peranda inungeret, amissum lumen recuperaret; ac Perandam, primum nuncio delectatum fuisse, tum illum rogasse, num melius cum rebus humanis ageretur, quam antea esset, quam ipse aspectum prorsus amitteret; cumque accepisset, nihilo meliore, immo deteriore, eas loco inveniri, tum Perandam dixisse: Quid mihi igitur opus est oculis? nempe ut ea videam, quæ, ne aspicerem, oculos effodi mihi juberem? ergo maximas Apollini gratias ago habeoque; sed collyrium istud nihil moror. Atque hanc animi constantiam alacritatemque ad extremum usque spiritum conservavit.

XXXII. GREGORIUS PORTIUS.

Felix illa virtus ingenii, qua olim, docta Græcorum natio, unde omnis vis eloquentiæ, omnium disciplinarum inventa, emanarunt, cunctis orbis terræ gentibus longe multumque antecessit, etiam nunc in iis elucet, quos ex illis regionibus, quondam florentibus, nunc temporum injuria, quasi adversis tempestatibus, afflictis, ac perditis, Romam, tanquam ad aliquem portum, naufragos appulisse conspeximus. Meminimus, Jo. Matthæum Caryophylum, Petrum Arcudium, Jo. Demisianum, aliosque, quos invida mors, celerius quam rei literariæ expediret, summa cum laude in omnium doctrinarum genere fuisse versatos. Nunc vero oculis nostris cernimus Leonem Allatium Chium, qui ad ornamentum hujus sæculi, ad splendorem literarum, ad aperiendum veritatis lumen, cui lucis inimici tenebras conantur offundere, ad ecclesiæ Romanæ defensionem, contra improbos hæreticorum conatus, denique ad omnia summa natus, propter excellentem singularemque Græcæ Latinæque eruditionis scientiam, videtur mori nunquam debere. Atque in iis, qui decesserunt, immortali dignus memoria est Gregorius Portius, qui patre Græco in Italia natus, statim ab ineunte ætate educatus est in Collegio Græcorum, Romæ a Gregorio XIII, Christianorum omnium, Ecclesiæ filiorum, patre amantissimo, fundato. Eruditus est in literis humanioribus a Jo. Demisiano, Græcæ linguæ eloquentia dissertissimo; quamvis ille postea Græcis literis non multum operis studiique tradiderit; quod intelligi potest ex iis, quæ, si quando opus erat, Græce tum soluta oratione tum versibus scripsit; sunt enim omnia, inepte, insulse, ineleganterque conscripta; sed omnem solicitudinem atque laborem in Latinis dictionibus collocaverit. Cur autem Græcis literis Latinas antepofuerit, causæ, ni fallor, possunt afferri verissimæ duæ; primum, laudis gloriæque studium, cujus erat avidissimus: etenim majorem ingenii eloquentiæque laudem se posse adipisci putabat, si in Academiis, ubi frequens aderat apud eos, qui ef-

essent Græcæ propemodum linguæ expertes, Latine, ornate eleganterque loqueretur, quam si sermones suos, minus polite elaboratos, Græca lingua scribentium dictis sententiisque refersisset; quæ dicta aut essent interpretanda non sine magno aurium fastidio ac satietate, aut sine explicatione relinquenda, nulla auditorum cum utilitate fructuque. Altera Græci sermonis despiciendi causa fuit rei familiaris inopia, qua laborabat; quærebat enim ingenio suo aliquem sibi regem ac dominum adipisci, a quo e solitudine & egestate eriperetur. Itaque, non quascunque academias, ingenio suo dignas, aut satis rebus suis pauperculis aptas, existimabat, sed eas tantum, ubi plures purpurati Patres adessent; cujusmodi erant eæ, quæ in ædibus Andreæ Cardinalis Deti, atque Maurii Cardinalis a Sabaudia, celebrabantur. Interfui ego, cum, in Academia Cardinalis Deti, memoriter recitaret poëmata duo, unum de Pithecusa insula, multitudine simiarum, poëtarũm fabulis, inclyta; alterum, de Scacchicæ ludo; quo argumenti genere lusit olim elegantissime M. Hieronymus Vida Cremonensis: quorum operum ratio, & verborum ac sententiarum splendore erat illustris, ac poëticum in homine ingenium inesse declarabat. Verum, quidam in eis versus, pedum vitio, claudicabant; quod facile in iis contingit, quos ingenii celeritas incitat, nec limæ labor ac mora retardat. Orationes aliquot habuit in Sacello Pontificio, ac duas præsertim, feria IV in capite jejunii, quas ille hoc titulo inscripsit: *Orationes in diem, quo sacra cinericia celebrantur*; quibus magnam apud omnes laudem meruit. Ac prima, in Æde D. Sabinæ in monte Aventino habita (ibi enim eo anno Paulus V, una cum S. R. E. Cardinalibus, solemnibus Missæ sacrificiis interfuit) tantum habuit commendationis, ut Scipio Cardinalis Burghesius, ejusdem Pauli Pont. sororis filius, in aulam illi suam aditum aperuerit, & quotidianum cibum attribuerit. Quæ oratio, tum per se ipsa placuit, erat enim elegantissima sententiarumque plenissima, tum multo magis ex actione, qua præstabat, omnium in se admirationem excitavit. Illa enim, ut veteres omnes scriptum reliquerunt, qui eloquentiæ præcepta tradiderunt, in agendo una dominatur; illa

clamores & admirationes in iis, in quibus cernitur, facit; illi merito Demosthenes primas, secundas, aetertias, detulit; illa tantam vim habet, ut eadem oratio, alia esse videatur, auctore mutato. Quæ actio, cum tribus præsertim ex rebus constare dicatur, oculis, voce, gestu, tria hæc adeo in eo erant illustria, ut sola, sine alia eloquentiæ laude, eloquentissimi cujusque disertam ac copiosam orationem obscurare posse viderentur. Sed antea quam in Burghesii clientelam ac domum perveniret, nuper e Collegio Græcorum, curriculo studiorum suorum exacto, egressum, Julianus Dux Cæsarinus suam in domum excepit, ac benigne & liberaliter omnibus in rebus habuit. Illud vero ferri non poterat, quod in circulis, amicorum conventibus, jactabat, interdum etiam, fidei faciendæ gratia, lacrimas exprimens, se, in postremis Cardinalium comitiis, a Paulo V habitis, fuisse designatum Cardinalem, ut amplissimo illi Collegio, Theologum aliquem, quo genere hominum illud egeret nunc maxime, suppeditaret; qui Pontifex, sive ut familiæ suæ opes augeret, sive quod ita crederet, sive quod re vera ita esset, sibi persuasum habebat, neminem esse eo honore dignum, nisi, qui sororis filio navaret operam famulus: sed tantum sibi bolum fuisse ereptum, ajebat, ab ipsomet Card. Burghesio, qui ceteris ex sua familia, ejus honoris cupidis, Stephanum Pignatellum, quem suis omnibus consiliis intimum semper habuerat, anteferebat, atque etiam Garziæ Cardinalis Millini opera factum, ut Burghesio gratificaretur, qui Card. tum apud Pont. multum auctoritate & gratia pollebat. At mihi, qui tum eram aulicus, ac curiose omnes aulæ rumores colligebam, erat deridiculo. Primum, nunquam ille Theologiam, ne alimine quidem, ut est in proverbio, salutaverat; atque, si tum actum esset de aliquo, theologica facultate prædito, ex familia Pontificis in collegium Cardinalium cooptando, quis non illi anteponendum esse dixisset, vel Gasparem Pallonum, Basilicæ Vaticanæ Canonicum, ac Pontifici ab arcanis principum virorum Latinis epistolis, & generis nobilitate & doctrinæ laude & secunda perpetuæ probitatis fama conspicuum, vel Æne-

Æneam Castellum, summum ejusdem Pont. Eleemosynarium, ac Theologum egregium? Deinde, non est eundum inficias, illis comitiis, amplissimo Patrum purpuratorum ordini, Theologum aliquem fuisse quæsitum; sed de honore illo Desiderius Scaglia, causarum fidei generalis Commissarius, cum Hyacintho Petronio, sacri Palatii Magistro, contendebat. Hi enim, ex Dominicana familia, obtrectabant inter se. Sed vicit Scaglia, suffragante Card. Millino, homine, ut diximus, his temporibus potente, ideo quod magno sibi usui eum fore putaret ad Pontificatum max. suo tempore obtinendum. Sed, quantum opinionis suæ errore homines decipiantur, ostendit eventus. Nam, in ejus, quem affectabat, contentione honoris, nullum majorem habuit adversarium. At Gregorius Portius, quamvis de tanta spe, Cardinalis Scipionis opera, ut ipse querebatur, ejectus, non tamen, post Pauli V e vita discessum, eum deserere, atque aliam fortunam experiri voluit; sed in ejus aula permansit; eoque etiam mortuo, alterius Cardinalis Burghesii familiæ numerum auxit; quo etiam extincto, ad suos lares se recepit, cœpitque suo, ut dicitur, vesperi vivere. Quod, cum minus ipsi ex sententia succederet, inopia cogente, coactus est, senex, ex Card. Cornelii domo cibum petere, eique suas operas non ita magna mercede locare. Apud quem deinde ex fistula, cum fluere ea desiisset, interiit. In aleæ ludo, usque adeo fuit felix, ut maximas ex eo pecunias sibi confecerit, quibus elegantissimam, & Cardinalitia propemodum magnificentia dignam, sibi supellectilem confecit; ac præterea eam argenti, tum puri tum cælati, vim comparavit, ut fictilia omnia vasa fastidiret, neque aliis patinis, nisi argenteis, pranderet atque cœnaret. Ac raro inventus est pauxillulum aliquod nummorum amittere; cum ipse alios contra omni ære dirueret. Verum, tam pretiosa supellex, tanta vis argenti, benefacti, in malam rem abiit. Nam fit plerumque, ut, per hanc rationem partum, male dispereat. Denique eo inopiæ redactus est, ut, ad æs alienum, quod contraxerat, dissolvendum, & ad vitæ munia sustinenda, necesse habuerit, non vulgarem bibliothecam, magno emtam, parvo divendere:

neque jam aliqua sibi spes lucri erat in alea; siquidem jam expertus fuerat, quam mutabilis esset fortuna, qua aspirante, collusores suos argento emunxerat, tunc autem ab eis, a marsupio inanis, discedebat, neque, ab ingenio in spem aliquam divitiarum & commodi vocabatur; cujus amor neminem fere unquam divitem fecit. Multa poëmatia, alia ab aliis seorsim edita, reliquit; quæ, si in unum corpus conferrentur, justi voluminis formam efficerent.

XXXIII. BERNARDINUS BISCIA.

MUltos hæc ætas, in qua versamur, Juris civilis scientia peritissimos habuit, quorum etiam formas ingeniorum (quamvis non omnium) quod in nobis fuit, deformatas, Pinacothecæ nostræ mandavimus. Verum, in Bernardino Biscia, quem merito dicere possumus, non suæ modo ætatis, sed multarum etiam superiorum, fuisse ejus artis antistitem, ea fuit, Juris civilis scientia, ea iis, qui consulendi gratia ad eum venissent, in respondendo prudentia, ut doctrinæ suæ fama, e toto orbe terrarum ad se omnes alliceret, qui in rerum maximarum causis, de jure civili, controversias haberent, atque non solum is esset, unde sibi omnes sui cives, quemadmodum apud Ennium gloriatur Pythius Apollo, consilium expeterent, sed etiam ad quem populi, ac Reges omnium maximi, rerum suarum incerti, confugerent, ut ejus ope ex incertis certi discederent. Erat ille tum paterno tum etiam materno genere clarus. Matrem enim habuit Laudomiam Bracalonam, Joannis Bracaloni filiam; ejus, inquam, Joannis, qui olim apud Tranum seu Trajanopolin, una cum Joanne Capotio & Hectore Juvenali, civibus Rom. nobilissimis, aliisque decem fortissimis Italis, glorioso certamine, Romanorum Italorumque causam suscepit defenditque, contra eorum arrogantiam superbiamque, qui, bellicæ virtutis gloriam a Romanis Italisque ad ipsos transisse, affirmare non dubitabant, idque armis se esse paratos ostendere. Accepta conditio est, ac tredecim ex Italis, totidemque ex aliis, qui Italos præ se contemnebant, electi;
fœ-

fœdusque ictum, ut ea natio, cujus electi ad eam pugnam homines, victi discessissent, bellicæ virtutis laudem gloriamque illorum, a quibus sui superati essent, nationi concederent. Itaque sex ac viginti illi juvenes, tum suo marte feroces, tum adhortantium vocibus ad pugnam accensi, in medium prodeunt; signo dato, infestis armis concurrunt; summa vi ac viribus pugnant; denique, ut Deus voluit, Italorum superat manus, omnesque adversarios suos, præter unum, qui in certamine percussus conciderat, vinctos, ante se ducentes, magna cum gloria, ac faustis omnium acclamationibus, sua in castra victores revertuntur. Ab hac indole profectus Bernardinus, cum fortasse potuisset, si profectus esset in bellum, majorum suorum virtuti par esse; attamen, præstantissimum ingenium a bellicis laudibus ad litterarum ac præsertim Juris civilis studia traduxit, maluitque in pacis otiique artibus, omnibus præstare, quam in bellicis exercitationibus multos pares habere. Acerrimo erat judicio, & incredibili prudentiæ vi præditus. Nam ab eo, qui suam ad ipsum causam deferebat, edoctus, statim acutissime, quid causa postularet & quid judici probandum esset, intelligebat, atque, omissis ceteris argumentis in eo hærebat, ac defixam suam cogitationem habebat. Atque id erat causæ, cur in consiliis dandis non ita multis verbis uteretur. Nam paucis ea versibus descripta continebantur; sed, pauci illi versus id a judicibus impetrabant, quod multæ aliorum paginæ assequi non poterant. Neque mirum. Etenim, cum omnibus in rebus, plus uno vero esse non possit, eo perspecto, si sit, qui illud explicare dilucide possit, minime multis verbis est opus. At viris simplicibus, iisque, qui de aliorum facultate, non tam ex virtute, qua præstant, quam ex inani verborum volubilitate, si quam habeant, judicant, videbatur aut indoctus, quod ab aliis verborum rerumque numero ac copia vinceretur, vel, si ita erat doctus, ut vulgi erat opinio, avarus atque malignus, quod ea, quæ apud se seposita ac constructa haberet, ne mercede quidem accepta, auderet ad aliorum usum utilitatemque proferre. Atque in iis, qui in hac opinione hæserunt, fuit vir quidam, minime malus, qui

cum in Urbem venisset, ut litis cujusdam molestia se expediret, qua implicatus tenebatur, rogavit, quisnam, in civitate, juris consultissimus omnium haberetur, cui patrocinium suæ causæ posset tuto committere; atque audivit, Bernardinum Bisciam esse, cui primæ, omnium fere concessu, deferrentur. Arripuit ille, neque quidquam sibi faciendum prius existimavit, quam ut hominem adiret, seque suamque causam in ejus fidem patrociniumque rejiceret. Venit, hominem convenit, causam suam exponit, ita aperte atque dilucide, ut desiderari non posset planius, atque consilium ad rem suam aptum exposcit; tum nummos aliquot aureos profert, quos mercedem illi esse voluit laboris ac molestiæ, quam suscepisset. Bernardinus, tota causa ex illius narratione cognita atque perspecta, quo erat ingenii acumine, ut diximus, statim, quod controversiam faceret, vidit, & summo in manus calamo ac pagina, in eaque, secretis ac remotis iis, quæ essent levissima ac parum utilia, pauca quædam exaravit, ad controversiam illam dirimendam firmissima ac validissima; atque homini: Cape, inquit, & legenda hæc judici trade; nam statim sua tibi sententia litem adjudicabit. Ille accipit, gratias agit, abit; sed vix exiit e cubiculo foras, cum paginam illam aperit, existimans, longa oratione, causæ defensionem suæ se esse in ea visurum; at ubi comperit, vix quatuor versibus totam suam causam peroratam atque conclusam, revertitur tristis, ac: Cape, ait, a me nummum alterum aureum, & plura iis, quæ a te scripta sunt, adjice. Cumque Bernardinus, nummum illum aureum recusans, otioso cum esse animo imperaret, quod tantum ibi esset scriptum, quantum ad causam obtinendam sufficeret; ille, in eadem sententia perseverans, nempe vilitatem mercedis esse in causa, cur Bernardinus a scribendo deterreretur: Video, ait, me tuam operam deputasse parvi precii esse; en, ad superiorem, alterum nummum aureum addo; &, si plures requiris, plures dabo; quæso, operæ ne parcas tuæ, totam istam paginam imple, mihique animum exple. At tandem Bernardinus, quid ille metueret, intellexit; ac ridens: Abi sis hinc, inepte, cum tuis nummis; pauca isthæc, quæ tu contemnis, si judici osten-

ostenderis, causam tibi expeditissimam dabunt; non enim multa, ut tu opinaris, ad vincendum valent, sed ea tantum, quamvis paucissima, quæ causæ prosint. Credidit ille judici scriptum, sibi datum, quo causæ suæ defensio, non ita multis verbis comprehensa, continebatur, exhibuit, ab eoque sententiam, cujus erat in primis cupidus, abstulit. Nec mora, totus redundans hilaritate & gaudio, ad agendas Bernardino gratias, rediit. Diximus antea, maximis eum in rebus atque gravissimis, Regibus, atque amplissimis viris navare operam solitum. Itaque die quodam, cum ex Patribus purpuratis quidam, arctissima cognatione Regi cuidam adnexus, cui nescio quid negocii ex animi sui sententia contigerat, illac rheda vectus transiret, ubi Bernardinus habitabat, eumque innumera fere hominum multitudo, officii gratia, sectaretur, e rheda caput protulit, ac Bernardinum fenestræ incumbentem aspexit, illico rhedarium jussit rhedam sistere, ac magna voce, ita ut omnes, qui aderant, audirent: Scisne, ait, consiliis nostris eum, quem optabamus, exitum contigisse? eademque opera, totum illud negocium, quod sibi lepide sub manus successisse gloriabatur, exposuit. Tum summo cum opere rogavit, ut secretum illud, quod sibi commiserat, in latebras absconderet pectore penitissimo. Cui Bernardinus: A me quidem, inquit, nullus tibi metus esse potest; nam, quod apud meum animum depofueris, salvum semper indidem, cum volueris, auferes; sed quæso te, istuc idem huic hominum multitudini, quæ te circumstat, præcipe. Plures ex sese liberos reliquit, tum virilis tum fœminei sexus; in his Lælium Bisciam, qui postea ab Urbano VIII in Cardinalium Collegium est cooptatus, ob ejusdem in Rempubl. merita, quod Cameræ Apostolicæ Clericus, annonam, totamque rem frumentariam, quibus provinciis multos annos præfuerat, summa cum laude administrasset: denique, tanta prudentia, in his duobus muneribus gravissimis difficillimisque gerendis fuit, ut hodie, nullo fere negocio, illæ regantur ab aliis, Lælii institutis servandis & quasi vestigiis persequendis. Sepultus est in Æde D. Francisci, ad Tiberis ripas, ante aram maximam, a majoribus olim suis

ex-

extructam; quam etiam aram una cum ejus hemicyclo, antea quam fieret Cardinalis, instauravit, ornavit, ac sacris preciosissimis vestibus auxit; exædificavitque scalam, cujus gradibus ad cellulam ascenditur, qua vir ille sanctissimus usus fuisse dicitur, dum in Urbe versaretur.

XXXIV. CRESCENTIUS SACCARDUS.

PUlcerrima atque amœnissima artium elegantissimarum studia, plures, quam utile fuit Respubl. a gravissimis disciplinis, ac præsertim a Juris civilis scientia, qua civitates gubernantur, adductos, in sui amorem abstraxerunt. Neque satis illis fuit, interdum, a revolvendis Jurisconsultorum libris, in quorum tractatione, voluptatis minimum, laboris plurimum solet esse, defessis, quasi colligendi sui gratia, in humanissima illa studia, tanquam in hortos, omni florum herbarumque varietate exultos, sese conferre; sed ea amœnitate pulcritudineque percepta, avocantes se a senatu, a curia, a foro, decreverunt, ibidem habitare, quiescere, otiosam refertamque deliciis honestissimis vitam exigere, & iis, qui vellent, Reipubl. bene gerendæ laudem gloriamque relinquere. In hunc numerum referendus est Crescentius Saccardus; (quamquam Reipubl. quam aliqua ex parte attigit, administrandæ, ut videbimus, laude non caruit.) Hunc Ausculi honesto genere natum, Brunus Saccardus parens, prout ipse amabat litteras, (erat enim medicus non postremus, in iis qui morbis medentur,) celeriter puerile filii ingenium magistris excolendum tradidit. Ac, quibus in locis, tum in Grammaticam, aliasque artes, quibus puerorum mentes fingi ad humanitatem & virtutem solent, tum etiam Jus civile didicerit, referremus, nisi majora potioraque haberemus. At Bononiæ, Collegii Montis alti alumnus, Juris civilis, magistri ac doctoris nomine, docendi interpretandique auctoritatem est consecutus; sed continuo cum ea disciplina, quam, tanquam uxorem, sibi conjunxerat, divortium, ut ita dicam, fecit, ac totum se ad humanissimas litteras transtulit, ad quas naturali quodam impetu se-

ferebatur, in eoque studio, ingenio uberrimo affluens, longe multumque profecit. Scribebat plura, tum soluta oratione tum versibus; sed in soluta oratione, ad quam a natura erat mirabiliter factus, longe melior atque præstantior inveniebatur; in eaque magno est apud eos, qui eum noverunt, in honore ac gloria. Quamobrem, suæ sibi facultatis conscius, ad scribendas pro summatibus viris literas, animum appulit. Ac primo, annos natus sex & viginti, Philippo Segæ, summa doctrina & eruditione Antistiti, qui tum Beneventanam Rempubl. prætor administrabat, navavit operam ab epistolis; eundem postea locum tenuit apud Mileti Episcopum; tum idem munus, pari modo, prosecutus est apud Alexandrum Guidiccionum, Lucæ Antistitem. Atque ab his, tanquam per gradus, ascendens, pervenit in aulam Petri Card. Aldobrandini, a quo easdem scribendarum epistolarum partes accepit; quas quia egregie Cardinali præstabat, & quia ille, ejus operam privatis suis in rebus magno sibi usui esse, intellexerat, voluit eandem publicis etiam in rebus experiri. Erat Petrus Card. Aldobrandinus gazæ Pontificiæ præfectus, quem Rom. Ecclesiæ Camerarium vocant. Itaque illi arcana earum decimarum negotia credidit, quas Paulus V ex omnibus ecclesiasticorum bonorum reditibus detrahendas persolvendasque mandaverat. In quibus negotiis pari cum fide ac diligentia versatus est; ac per hanc rationem, dici quodam modo potest, partem eum Reipubl. aliquam attigisse. Cardinali Aldobrandino vita functo, non est passa ejus opera torpescere, sed a Gregorio XV traditus est Hieronymo Aguccio, qui tum arcanorum omnium de Republ. summæ præerat, ut illi esset ad manum, consiliorum omnium particeps; quem in locum nemo admittitur, nisi fide & industria cognita. Qualis autem quantusque vir esset Aguccia, ingenio, eruditione, prudentia, ac rebus agendis, supervacaneum est dicere, cum res sit omnibus nota atque testata. Cujus ingenio adeo Crescentius delectatus est, ut eundem, ab Urbano VIII Nuncium ad Rempubl. Venetam missum, sit sectatus, nec prius deseruerit, quam illum vita defecerit. Et, cum esset Venetiis, insigne in Aquilejensi ecclesia sacerdoti-

tium, quod Canonicatum appellant, ab Urbano VIII ultro sibi delatum, accepit; nec diu tenuit, sed resignavit, eoque se exuit. Nec est prætereundum, quod illud illi probitatis, ingenii, prudentiæ, aliorumque virtutum, quibus florebat, lumen exhibuit, ut Marcus Cornelius, Episcopus Patavinus, magnis præmiis ad se vocatum attraxerit; magis id adeo, ut amicorum, quam ut servorum numero ac loco, haberet. Magnus tanti viri honos jucundior Crescentio fuisset, si diuturnior esse licuisset. Etenim, ut ex longo difficilique, quo erat implicitus morbo, se expediret, fuit coactus, Patavio discedere, ac persequi Urbem. In quam vix intro pedem intulit, nondum recuperata valetudine, cum expetitus est, honorificisque stipendiis invitatus in domum suam ab Hippolyto Cardinali Aldobrandino, ipsius meritorum optime conscio. Qui, quo amoris existimationisque loco apud ipsum esset, & vivus multis ipse rebus ostendit, & in morte declaravit. Nam ducentena singulis illi annis, quoad vita suppeditaret, scuta testamento legavit; ac visus est etiam, suum erga illum amorem studiumque in Jo. Georgii fratris sui filiam, una cum hæreditate transmittere; quæ per aliquod eum tempus domi suæ retinuit, ut fideli atque opportuna ejus opera, non tam in epistolis scribendis, quam in consiliis, de rebus suis, sibi dandis uteretur. Atque ea fuit hominis, in omnibus lectissimæ præstantissimæque fœminæ negotiis sedulitas ac diligentia, ut nulla illi in re opera consilioque defuerit, usque eo, dum per valetudinem licuit; qua semper infirmissima usus est. Quæ cum in dies decresceret, accresceret labor de medicorum sententia, placuit a natalis soli cælique clementia auxilium expetere; quod reliquum iis solet esse remedium, quorum exulatum abiit salus. Ac, ne omnis plane esset expers operæ atque laboris, ac Cardinali Gabriellio, Episcopo Ausculano, subrogatus est in locum demortui cujusdam, suæ Cathedralis Ecclesiæ, Canonici, ibique summo in otio & tranquillitate, suo muneri ac valetudini operam dabat. Cujus muneris functio, quo affecta jam ætate homini, minus gravis ac molesta contingeret, traditus illi est socius atque adjutor, qui, cum esset opus,

opus, labori succederet. Urbanus VIII interim, fato suo functus est, & Innocentius X pro eo in id fastigium receptus. Itaque rerum omnium commutatio consecuta, & Jo. Jacobo Card. Pancirolæ, arcanorum omnium summa commissa; qui, Crescentii fidei, virtutis, industriæque fama commotus, magnis pollicitationibus, (ut fit, cum rei cujuspiam cupientes sumus) tanquam socium ac consortem honesti & gloriosi illius laboris, ad se illum advocat. Credit homo simplex ac probus; advolat; neque vana spe ductus ad credendum impellebatur. Ætas enim acta, capillus albus, longus rerum maximarum usus, majora etiam iis, quæ sibi promittebantur, poscere videbatur: sed non editiori se esse positum in loco, invenit, quam in quo annos antea viginti fuerat; nisi quod & senilis auctoritas, ac propria ac singularis virtus, perficiebat, ut ejus opera, ceterorum industriæ anteponeretur. Quo factum est, ut graviora cum eo negotia communicarentur, a Pancirola morbis impedito, ad interiora de Republ. consilia, tum coram Pontifice, tum aliis, admitteretur. Ac quorundam fuit opinio, quemadmodum, virtutis præstantia, magnam Principis benevolentiam consecutus esset, non minorem eum etiam aulicorum quorundam invidiam excepisse, quo facto illos, ad eum laborum onere opprimendum, consensisse. Quæ res feliciter illis successit. Nam annos natus unum & sexaginta, suæ curriculum vitæ confecit; magis laudibus, communi bonorum omnium consensu, sibi delatis, cumulatus, quam, externis honoribus opibusque, sive fortunæ, sive hominum malignitate sibi detractis, ornatus. Erat omnibus comis, benignus, humanus, omnibus in rebus inserviens amicis, nisi fides vel religio prohiberet; nihil cuiquam denegabat, quod in sua esset manu, tribuere; si quid autem postulabatur, quod suis esset viribus majus, eum oculis, voce, vultu denique, animi dolorem præ se ferebat, quod non posset illorum postulatis occurrere; ut, qui rogaverant, amiciores ab eo discederent, quam si, quod voluerant, impetrassent.

XXXV.

XXXV. JACOBUS CICOGNINUS.

PUlcerrimus elegantissimusque, jam inde usque ab antiquissimis temporibus, ut est omnium fere eruditorum opinio, mos viguit, ut tragœdia, eclogæ, aliaque ejusmodi in scenis poëmata, a musicis, ad tibiarum chordarumque sonum agerentur & canerentur. Verum, hæc tam erudita tamque elegans consuetudo, multis jam seculis intermissa, atque in oblivionem adducta, plane perierat; neque inveniebatur quisquam, qui eam auderet, tanquam exstinctam, revocare in lucem, atque in theatrorum scenarumque celebritate, unde fuerat exacta, reponere; credo, quod arbitraretur, ejus, qua nunc utimur, musicæ rationem suis conatibus respondere non posse; quæ ratio longo intervallo infra eam dicitur relinqui, quæ Damonis aut Lampi aut Dionysii aliorumque hujus notæ musicorum florebat. Sed quid non potest, in hominis, alto excelsoque animo præditi, pectore, laudis gloriæque cupiditas? quæ enim laus tam arduo tamque difficili posita loco est, ad eam obtinendam, egregiam multorum insignium musicorum acuit ingenia. Atque Florentiæ, (etenim, in ea civitate, præstantissimorum in omnium virtutum genere artificum abundanti, hoc primo tentari cœptum est) Æmilii Cavalerii, patritii Romani, Jacobi Perii Florentini, Mantuæ Horatii Vecchi, Romæ Dominici Mazocchii, ac Virgilii fratris, aliorumque, quo ego prætereo, quod eorum nomina, ad meam notitiam non pervenerunt; qui variis temporibus, dramata modulati sunt, quorumque egregia, in reperiendis lepidis, concinnis, neque ante id tempus auditis modis, desudavit industria. Neque minor illustrium poëtarum ardor ac studium illuxit, qui in iis poëmatibus, quæ essent ad filium tibiarumque cantum agenda, concinnandis, summam dederunt operam, ut eos versus facerent, qui modulatorum artificio atque aurium voluptati servirent. Cujusmodi fuerunt, P. Augustinus Mannus, vir sanctissimus ac religiosissimus, e Congreg. Oratorii; qui animi & corporis de veris voluptatibus comparandis habita inter se consilia,

filia, cum hinc mundi illecebræ, illinc ratio ac Dei metus instarent, deduxit in actus; Octavius Rinuccinus, qui Daphnin, Eurydicen, Arianam, feliciter docuit; Octavius Tronsarellus, qui catenam Adonis, & Abundium Abundantium, spectandi copiam fecit; Respigliosus, vir ingenio, eruditione, & amplissimis in Republ. muneribus gerendis longe clarissimus, qui, dum Urbanus VIII Pontificatum maximum tenuit, varia poëmatum optimorum genera, tum sacra tum profana, quæ non est enumerare necesse, Cardinalibus Barberinis, ac Thaddæo, germano eorum fratri, lepide concinneque composuit: denique Jacobus Cicogninus, de quo agimus in præsentia; qui longum & insigne dramaticum carmen, in solemnibus ac celeberrimis Michaëlis Peretti, Venafrani Principis, & Annæ Mariæ Cæsiæ nuptiis, versibus dulcissimis & ad fidium vocumque cantum accommodatissimis, scripsit; quod splendidissimus ac liberalissimus ille vir princeps, infinito propemodum sumtu ac regali magnificentia, populo spectandum præbuit; ad cujus oculos nunquam antea tantæ rei amœnitas pulcritudoque pervenerat. Erat enim Jacobus I. C. & causarum patronus, non infacundus, vel potius qui verborum copia alios obrueret. Aliquot etiam oppida, cum potestate prætoris, administravit. Exercuit etiam inimicitias cum Andrea Salvatore, ex mulierum contentione susceptas; quod Andreas muliereulæ cujusdam esset cupidus, quam domi suæ Jacobus habebat, cujusque potiundæ causa noctu ille per tegulas, in Jacobi domum, sese demitteret; cujus dolor injuriæ eum impellebat, ut maximum acerbissimumque adversus Andream odium conciperet, &, ad persequendas suas contra ipsum injurias, acriter vehementerque compelleret. Obtrectabant etiam inter se, ut est mos eorum, qui eandem artem exercent, quod Jacobus inique pateretur, in scribendis versibus, & in omni poëtica facultate, anteponi sibi Andream. Lingua utebatur celeri & incitata. Multus in eo jocandi lepos, multæque facetiæ. Cavillator festivus, conviva commodus, in communi amicorum consuetudine usuque hilaris, jucundus, affabilis; nisi quod interdum obliviscebatur, suæ orationis justam partem

Xx per-

persequi, & suam aliis, quibuscum erat, relinquere. Sed his omissis, omnino inerat illi præstans, amœnum, ac poëticum plane ingenium, neque sibi defuit, sed illud ad poëticæ facultatis studia contulit, ab ejus præsertim linguæ notitia, in qua natus erat, impulsus, quæ verborum & usu & copia bonorum, pulcerrima & eruditissima omnium, quibus nunc Itali loquuntur, habetur: neque injuria, si tamen excipias quendam, qui in ea resonat ac recinit, vocis sonum; qui, cum non recte & presse & æquabiliter, sed aspere, hiulce, crebroque in guttur incidens, ex ore fundatur, minus auribus gratus, atque etiam in quibusdam, qui incorruptam illius antiquitatem conservant, ridiculus accidit. Qui sonus, atque alius quivis, qui peregrinitatem aliquam redoleat, nunc plane a Romanis civibus abest; in quibus est omnis urbanitate quadam quasi colorata oratio; in qua, præter pauca quædam verba, Romanæ Urbis propria, quæ jam pene obsoleverunt, nihil offendi, nihil displicere, nihil sonare aut olere peregrinum possit. In sua igitur lingua, quæ venustate elegantiaque ceteris, ut diximus, præstat, plura ab eo leguntur scripta dulcissime; neque, cum fere ab omnibus ejus opera expeterentur, aliquod illi pretium avare constituit, sed cunctis, qui uti ea vellent, propositam habuit. Atque, non suos tantum amores, sed amicorum etiam, lepido, ut inquit ille, ad cælum versu, vocavit. Erat omnino ad omnem poëticæ facultatis laudem, ad quam a natura ferebatur, mire propensus; verum scenicæ in primis artis amore adeo incensus, ut nihil dies noctesque studiosius, quam fabularum argumenta, meditaretur atque conficeret. Nullus erat mimorum grex, quem ille non nosset, nullus in eis actor, præstantior ceteris, quem cupidissime non audiret, quem non arctissimæ amicitiæ vinculo comprehensum haberet, quem non officiis beneficiisque omnibus prosequeretur. Atque eo amentiæ in hoc poësis genere progressus dicitur, (id quod ego non credo, nec mihi fit verisimile, in homine; honesto genere nato, liberaliter educato, ac liberalibus disciplinis instituto,) sed dicitur tamen, Fritellini, notissimi mimi, qui tum in scena dominabatur, artificio captus, statuisse, filium, quem ex uxore sua suscepe-

ceperat, illi in disciplinam tradere. At, si verum id est, quod ego non credo, æquum erat, eum antiquis illis temporibus in Græcia nasci, quibus temporibus nemini erat turpitudini, in scenam prodire, ac populo esse spectaculo; immo nulla dicitur fuisse Lacedæmoni tam nobilis vidua, quæ non in scenam iret, mercede conducta. Sed aliud (si vera est fama, quam nimis cupio esse falsam) admisit, quod illud superius, si perfecisset, longe multumque stultitia antecedit. Ajunt enim, amoris impatientia, quod ejus sævitiam, cujus ille ad insaniam cupiens erat, ferre non posset, sed de fenestra, præcipitem in puteum egisse, unaque opera, & ardoris, quem illi faciebat amor, & vitæ finem invenisse. Numerabatur in omnibus fere celebrioribus Italiæ Academiis, & in ea præsertim, quæ tum Romæ florebat, Humoristarum.

XXXVI. OCTAVIUS TRONSARELLUS.

Semper verum illud existimavi, hominum ingenia nunquam deesse, sed partim parentum negligentia, a doctrina puerili, aut ipsorum desidia, a studio & exercitatione, deserta, tanquam agros uberes ac fertiles, nulla cujusquam opera excultos, silvescere, partim, nullis præmiis in lucem evocata atque traducta, in occulto sine laude ac fama latere. Novi ego puer in scholis, ex meis sodalibus, non parum multos, ingenio peracri, & studio flagranti, ac memoria singulari; qui si eum, quem cœperant, cursum tenere voluissent, ad summam eloquentiæ doctrinæque laudem pervenissent. Celeriter accipiebant quæ tradebantur, arcte memoria custodiebant, atque inde, quoties posceret usus, accepta promebant. Sed eos deinde, vel otio, quod plerique sequuntur, ad summam inertiam, vel, inopia, qua premebantur, ad alias artes, quæ panem ipsis præberent, fuisse traductos. Deinde, quam multos unaquæque ætas haud absimiles Ciceroni Virgilioque proferret, si suus esset, ut par est, literis honos! *Honos*, inquit ille, *alit artes*. Verum, si hoc illis pabulum subtrahatur, macies, ut ita dicam, atque interitus accedat necesse est. Atque nostra

tempestate, Octavius Tronsarellus, verum illud esse, quod antea dicebamus, ostendit; nimirum ingenia semper, si colantur, existere, ac fructus ex se maximos & uberrimos edere. Qui quidem Octavius facultatem, sibi a natura concessam ac traditam, non est passus, culturæ inopia, efferari atque sylvescere: sed studio & exercitatione, nullius potentioris ope sublevatus, eatenus progressus est, ut nemo sibi præcucurrerit, qui in id studium, in quo ille erat, incumberet; sed poëta esset, gravis, magnificus, summus; quamvis, ob rerum ac sententiarum amplitudinem majestatemque, quibus abundat, non nemini paulo videatur obscurior. Ejus majores, orti in Gallia, in Italiam commearunt, ac sedem domiciliumque suum Gallesii, quod est oppidum in Sabinis, collocarunt. Sed Octavii avus, relicto Gallesio, Romam petiit, anno uno post, quam ab exercitu Cæsaris direpta est; & Antonium, Jo. Francisci, Horatii, & Octavii patrem, adhuc infantem puerum una secum adduxit. Ex ejus filiis Jo. Franciscus Juvenali Ancinæ, Saluciarum Episcopo, navavit operam Vicarius; quod maximi argumenti loco est, optimis eum moribus instructum & ornatum fuisse; cum nemini in illius sanctissimi Episcopi familiam aditus pateret, in quem vel minima errati cujuspiam suspicio conveniret. Quam Vicarii provinciam, quoad Episcopus ille vixit, summa cum laude doctrinæ & æquitatis administravit. Eodem, veneno, ut erat fama, sublato, Bononiam se contulit, ut ibi, quod reliquum erat vitæ, traduceret. Quod reliquum vitæ spacium, celerius multo quam erat necesse, confecit. Nam, si diutius in eo versari potuisset, amicitiæ, quæ sibi cum Alexandro Ludovisio intercedebat, fructu non caruisset. Qui Ludovisius, primum Bononiæ Archiepiscopus, tum Cardinalis, creatus, incredibili celeritate ad summum Christianæ religionis fastigium evolavit; hoc est, augustissimum Petri, Apostolorum principis, solium obtinuit. Verum, quo amoris gratiæque apud se loco ac numero illum haberet, etiam tum Archiepiscopus declaravit. Nam, mortuum, in Archiepiscoporum sepulcrum jussit inferri. Puer Octavius, præter P. Felicem Soc. Jesu, exquisitos e tota illa Soci-

etate magistros habuit; in literis humanioribus, P. Famianum Stradam, & P. Bernardinum Stephonium, in Philosophia P. Terentium Alciatum. A Philosophiæ spaciis, studium suum contulit ad Juris civilis cognitionem, ac dignus est habitus, cui leges interpretandi, ac de jure respondendi facultas publice traderetur. Frequens erat, per id tempus, in Sodalitate primaria Deiparæ Virginis Annunciatæ, in Collegio Romano Soc. Jesu; sed admonitus a P. Bombino, ut vel versus facere desisteret, vel in eum Sodalium conventum locumque venire desineret, maluit eo cœtu in perpetuum carere, quam a sperata egregii poëtæ nominis gloria discedere; atque Sodalitati illi Academias anteponendas statuit, deditque operam, ut in Academiam Humoristarum exciperetur, quæ tum ingeniorum optimorum nobilitate florebat; quod illi antea, per Sodalitii illius, in quo erat, leges facere non licuisset; quibus legibus, in improborum atque a directa virtutis via aberrantium numero, pueri & adolescentes illi habentur, qui in academicis, cujusvis academiæ, præter Partheniam, nomen profiteri audeant suum. Exceptus igitur in Academiam Humoristarum, ingenii augendi & declarandi amplam occasionem est nactus, sed tandem satietate fastidioque alienatus ab ea est, quod, ut ipse ajebat, certorum adolescentium arrogantiam superbiamque ferre non posset; sed re vera, quod cum Augustino Mascardo, ejus Academiæ tum temporis principe, sibi non conveniret. Itaque ad Academiam Ordinatorum transeundum censuit; quam Academiam Cardinalis Detus, in suis ædibus, fundandam erigendamque curavit, ut domum suam a solitudine vindicaret, atque ea remissione animi liberalissima, aliqua ex parte, molestiam, quam morbus afferret, leviorem efficeret. Sed clarissimus purpuræ, in qua ille renitebat, splendor, & cognationis nexus, quo Aldobrandinis principibus implicabatur, tum suavissimus vocum & chordarum cantus, quibus eruditæ illæ exercitationes condiebantur, Cardinalium complures, eorum præsertim, quos Clemens VIII in illum ordinem cooptaverat, tum præcipuos aulæ Romanæ Antistites, ac præterea magnum honestissimorum hominum ad se nu-

merum alliciebat. Quapropter gravissimus ille dicendi locus, maxima ambitione, a multis expetebatur. Octavius igitur par ingenii sui & vocis eruditæ dignitati theatrum nactus, cum semper aliquid, se & consessu illo dignum, afferret, laudationes ac plausus referebat. Verum, cum hoc sibi negotium datum esset, ut Academiæ universæ impresam, quam vocant, e multis, quæ proponebantur, eam potissimum, quæ sibi aptior videretur, eligeret, magnam cum Margarita Sarrocchia contentionem certamenque suscepit; quæ mulier, qua erat animi elatione & impotentia, eam ceteris anteponendam esse, maxima voce ac pluribus verbis, ajebat, quam suo ipsa ingenio peperisset. Ea erat salinum, plenum salis, cum hoc dicto, A SOLE. Sed Octavius, cum esset argumentatus, quantum res ferebat, hoc ipsum etiam posuit pro argumento, quamobrem impresa illa nullo esset modo recipienda, quod nullum inde elegans nomen elici posset, quod Academiæ universæ imponeretur. At Felix Cima, qui in comœdiis, non sine plausu, Riquettis, hoc est, Galli hominis, Italo sermone sed Gallico accentu sonoque loquentis, partes agebat: Tace, inquit; ego habeo nomen, quod confiteamini, nullum cum hac impresa posse nobis aptius inveniri. Quodnam? ait Sarrocchia. Ego dicam tibi; quoniam est in animo, nos ad salinas damnare, errones vagosque esse appellandos censeo; nam hæc hominum natio hoc affici pœnæ genere solet. Atque ut ejus opera numeremus, quibus est laudem adeptus; primum, magnum illi nomen famamque confecit, Catena Adonis; cujus dramatis componendi causam attulit controversia quædam inter Jo. Georgium Aldobrandinum & Jo. Dominicum Lupium orta, de duabus mulieribus cantatricibus, quibus tum temporis primæ dabantur, utra nimirum alteri, vocis suavitate & canendi arte, præstaret; hæ erant, Ceccha quædam, quæ, quoniam habitabat in ea parte Urbis, quæ olim stagnantibus aquis exundabat in morem lacunæ, Ceccha a lacuna appellabatur; & Margarita Costa, non magis canendi artificio, quam turpi quæstu, famosa. In eo enim dramate ambæ committebantur, & utrique æqua pars cantus dabatur, in qua, quidquid una-

unaquæque earum posset, ostenderetur. Sed ne musicum hoc certamen committeretur, fuit impedimento Aldobrandini Principis uxor. Itaque mulieribus substituti sunt eunuchi. Verum illud drama tantum habuit commendationis, ut species eo anno reponeretur, & typis mandari curaretur. Et quia objecerat non nemo, inventionis expers esse illud opus, primo negavit id, quod objiciebatur, seque, quod fecisset, equitis Marini, poëtæ clarissimi, auctoritate fecisse, ac suis eum vestigiis prosequutum esse, a quo eadem inventa mutuasset, quibus olim ille suam Daphnen in actus redegisset, scenæque mandasset. Deinde fabulas edidit, postea Rhythmos; quibus accessit trium inter se dearum de formæ principatu contentio, ac poëmatia quædam, quæ musicis postulantibus modulanda tradiderat; ad hæc, egregia poëmata duo adjunxit, heroico plane stylo conscripta, unum, Constantinus, dictum, in quo Imperatoris illius res gestas exponit; Victoria navalis, alterum, quo incredibilis apud Naupactum pugna illa navalis exprimitur, cum, interfectis Turcarum ducibus, eorum classis devicta est atque depressa. Postremo sanctorum, Abundii & Abundantii, profusam pro Christi nomine vitam ac sanguinem, eleganti dramate comprehensam, exhibuit. Multa præterea alia honorariis Principis Cardinalis a Sabaudia, ephebis scripsit; in cujus viri principis aula jucundus, & in Academia ejusdem, admirabilis extitit. Jam inde ab ineunte ætate, erat aucupii studiosus in primis; quapropter sæpius erat in agro; neque labori operæque parcebat suæ; ipse concinnabat aream, ipse offundebat cibum, ipse retia explicabat, ipse attrahebat, attrahendoque, tanquam aliqua in cavea inclusas, in illis aves excipiebat, & onustus præda domum revertebatur. Postremo vineam emit, quæ præcipuam mortis ejus causam sustinet; tanti nimirum illi, ruris voluptates, cum incredibili studiorum labore conjunctæ, steterunt. Frequens ibi aderat semper; in sole, operis a se conductis instabat; sæpe etiam attente illorum officiis fungebatur; nam fodiebat, occabat, aut aliquid ejusmodi opus faciebat; & quamvis hæc voluptati erant, ejus tamen vires, ex labore debilitabantur, neque aderat

Xx 4 ce-

cerealis mensa ac plena, quæ eas recrearet & instauraret; sed ejus victus, asperam, ut inquit ille, commeabat viam; hoc est, parce ac duriter vitam agebat. Nam quinque obolis carne, tum agnina, tum bubula, pro temporum varietate, se ac famulam sustentabat suam, quodque de suis fructibus comparserat miser, suum defraudans genium, totum in libris collocabat, quos frequenter emebat. Sed tandem, tertiana febri correptus, cum nullus ab initio metus ostenderetur, non ita multo post ab atra atque lethali bile oppressus, excessit e vita, prid. Kal. Septemb. anno cIↄ Iↄ C XLI; cum jam nox appeteret: ut non ineleganter quidam dixerit, Phœbo occidenti nihil tam convenire, quam ut astra succederent. Multa, nondum impressa, reliquit, quorum pars magna interiit. In his Papia, a Carolo magno recuperata; cujus operis duo tantum libri sunt inventi. Fuit homo apertus ac simplex, grato animo, ac moribus ingenuis, ac libero homine dignis.

XXXVII. JOANNES BRICCIUS.

SI verum est illud, quod paulo ante posueramus, cum Octavii Tronsarelli imaginem spectandam contemplandam proponeremus, nempe ingenia hominum bona atque præstantia, omnibus annis, atque adeo omnibus horis, humano generi dari, quæ si magistrorum opera ac studium accederet, veterum excellentiam, in omni genere bonarum artium possent æquare; id in Jo. Briccio verissimum patuit. Ille enim aberrare eos ostendit, qui, neminem posse, ajunt, liberalis cujuspiam artis partem aliquam, nisi a magistris monstratam, attingere, nam ea ille virtutis indole fuit, ut sine cujusquam ope, naturæ tantum auxilio, non unius tantum ingenuæ artis, sed plurimum etiam notitiam sit assequutus. Non fuit ille in aliqua earum excellens; esto; sed cuinam mirum videri non debeat, rudem hominem, ingenii æstu abreptum, & industriæ diligentiæque quasi remigio veloque, sine rectore, compulsum, illuc fuisse delatum, quo pervenit? atque ab initio ventis fluctibusque jactatus, inde repellebatur, quod aggredi cupiebat. Nam parens, mi-

mirum in modum aversus a literis, fortasse quod nollet, filium aliqua in re suum sibi, qui literas non didicisset, superiorem videri, nunquam eum misit in ludum, immo acriter verberabat, si, quo erat ille discendi studio incensus, tabellam abecedariam in manibus habere cernebat; nec quidquam illi frequentius decantabat, nisi, se nolle eum aliam artem addiscere, nisi eam quam ipse nosset, quaque se familiamque suam tueretur; erat enim culcitrarum concinnator vetus, ac totos dies Romæ, in foro D. Pantaleonis, pectini lanario, equulei formam præ se ferenti, insidens, expectabat, dum quopiam in opus conduceretur. At Joannes, nihil parentis minis verberibusque perterritus, clam illum, omnia litterarum nomina, quæ sæpe ab æqualibus suis ordine recitari audierat, memoriæ mandabat. Nam, quod est præcipuum ingenii signum in puero, quidquid tradebatur, facile percipiebat, & fideliter custodiebat, tum, sumta aliqua tabella, in qua omnes literarum notæ, eo ordine quo eas ipse memoriæ mandaverat, erant descriptæ, suis ipsas nominibus appellare assuescebat; tum literas jungere, ac verba syllabatim pronunciare studebat; ac demum, tantum studio & exercitatione profecit, ut nemo eo plenius ac celerius legere putaretur. Nec minori industria diligentiaque literis, ad exempli quod sibi proposuerat imitationem, primum ruditer, tum magis concinne exprimendis, scribere didicit. Incredibile memoratu est, quanta assiduitate studioque, quidquid a culcitris instaurandis concinnandisque reliquum erat temporis, in omnium librorum, qui quidem Italico sermone scripti essent, lectione consumeret. Quo fiebat, ut multarum rerum varietate & copia pectus impleret, quas deinde, cum esset opus, expromens, omnibus disciplinis instructus, nihilque sibi a doctrina deesse, videbatur. Sed cum poëtis sibi magis rem esse existimabat; quippe qui, ad versus faciendos, se a natura impelli ferrique sentiebat. Itaque eorum libros attentius diligentiusque volutabat. Ac primo cantiunculas quasdam composuit, quas mendici, orbi luminibus, canerent in triviis ac popinis: tum, in parvulis, nescio quibus, dramatibus factitandis, ingenii vires exercuit, quæ feriis Bacchanalibus, pueri

atque infimæ sortis homines in plateis, personati peragerent; in quibus quia ridiculæ personæ inducebantur, vulgus delectabatur. Hinc, majore animo, comœdias aggressus est scribere, a præceptis non abetrantes, quæ præscribuntur ab iis, qui ea tradiderunt; ac plures edidit, in quibus primo loco numerantur, Tartarea infernalis, Maga formosa, Pantaleon, hoc est, senex decrepitus, ex amore insaniens, aliaque, quæ in Apiario Clarissimi viri, Leonis Allatii, leguntur. Verum, cum hæc omnia, ut ipsum etiam eorum nomen clamat, nihil nisi fabulæ essent, cumque, si a pistore panem peteret & vinum ex œnopolio, nisi æs afferret, nugas referret, statuit, ad ea studia animum etiam adjungere, quæ cibum præberent. Sed nunquam induxit animum, ad sordidum illud artis genus, tanquam postliminio, reverti, unde elegantium disciplinarum studia, captum victumque, in sua castra perduxerant. Atque ad picturam studii genus non illiberale, auxilium ab ea petitum, confugit; quam per se ipse ea facilitate, vel felicitate potius, qua ceteras artes, est assecutus, in eaque se exercuit; ita tamen, ut non eas tabulas, quibus Apelles & Protogenes inviderent, efficeret, vel, in quibus omnia, adeo cum ipsius veritate naturæ certarent, ut ad uvæ racemos (si eos contigisset effingi,) aves deceptæ circumvolarent, sed quæ tantum illi, tritici, olei, ac vini, in penum congererent, quod esset sibi familiæque suæ omni satis. Ac præsertim coriaceis in stragulis, familiarum insignia, quæ in scuto depicta, plumæ e clypeo dependentes ambirent, tanta cum venustate artificioque formabat, ut omnium ad ipsum concursus existerent. Comicorum mimorumque gregibus, ad scenas coloribus ornandas, illuminandasque, operas suas elocabat, ipse quoque in scenam, mercede conductus, prodibat, ac populo spectaculo erat. Nam, summa cum venustate, ridiculas personas agebat. Neque homo, a natura factus ad omnia, musicæ fuit expers. Nam & cantiunculis, quas filii, quos docuerat, canerent, modos faciebat, ac perpetuo, quoad vixit, Sodalitatis sanctorum Ambrosii & Caroli, in via Flaminia, musicæ, Præfecti nomine, præfuit. Sed, ingravescente ætate, conflictari cum adversa valetudine

cœ-

cœpit, ac doloribus artuum ita premi, ut se commovere non posset. Sed quamvis corpus, ægritudine annisque infirmum, gereret, animum tamen, semper validum vegetumque, retinuit. Neque illum passus est esse otiosum; atque eo ipso tempore, quo gravius esset æger, quod vehementer ejus artus laborarent, agitabat aliquid ingenio, ac commentabatur. Sed tandem fuit illi necesse, morbo, cujus vim ferre non posset, cedere. At hic mihi vir generi hominum datus a Deo videtur, qui esset argumento, neminem in studiis literarum aut in aliqua alia re laudabili, ingenii sui viribus debere diffidere, neque in rebus magnis, ac magnopere expetendis, labore, qui nunquam potest esse sejunctus, exterritum, una cum spe, ejus quod concupierunt, cogitationem abjicere. Nam multi, cum otium desidiamque secuti, id, quod volunt, se assequi posse desperant, non inertiam suam, sed naturam, quæ benigna est omnium parens, accusant.

XXXVIII. JO. VILLIFRANCUS.

VOlaterris, Etruriæ urbe notissima ac celeberrima, egregia & immortalitate digna ingenia multa prodiisse, ut de aliis taceam, præclara Raphaelis Volaterrani doctrinæ monumenta declarant, quibus pulcerrima elegantissimarum artium studia illuminantur. In quorum numerum merito referendus esse videtur Jo. Villifrancus, ibidem natus; qui aliquot ante annos extra eandem urbem mortem obivit. Erat in eo non contemnenda ad poësin indoles, ac præsertim admirabilis, ad versus faciendos, vita atque celeritas; in sermone familiari, multa festivitas multæque facetiæ, quibus principum ad se virorum voluntates alliciebat; magna in omnes comitas; in suscipiendis amicorum negotiis alacritas, in procurandis diligentia; in commissis continendis neque prodendis fides; in commessationibus, in conviviis, hilaritas. Sed has virtutes, multa alia vitia æquabant. Magnæ, in omni victus genere, sordes; itaque cubiculo habitabat, incomto, immundo, pulvere atque operibus aranearum pleno; vestibus utebatur obtritis, fœdisque maculis, omni ex parte, refertis; subu-

cu-

cula induebatur ita illuvie simul ac sudore, tanquam glutine, imbuta, ut parieti hæsisset, si quis eam in illum impulisset. Summa in victu parsimonia; nam omnia ejus prandia cœnæque erant asperæ atque terrestres, multis oleribus; neque jusculi præterea quidquam degustabat, nisi si quando foris cœnaret aut pranderet; nam tum, aliquo invitatus, biduo ante esuriales ferias ventri indicebat, quo ille plus caperet. Perpetua in sermone procacitas, ac nulla fere modestia; in versibus fundendis obscœnitas; in illud enim carminum genus erat a natura propensus; ac dum esset Florentiæ, ridiculum ac facetum quoddam fecerat carmen, in quo, si recte memini, infelicem ac miseram poësis conditionem deplorabat, cui qui operam darent, eos semper egere contingeret; verum pluribus erat verbis obscœnissimis conspersum refertumque. Venit ad aures uxoris magni Ducis, hujus carminis, fama, in quo ille ridicule in adversam poëtarum fortunam & inopiam luserat, magnaque mulierem cupido incessit ejus carminis inspiciendi. Nec mora; misit ad eum, qui suis verbis nunciaret, ut ad se quamprimum cum carmine illo veniret. Homo, cui mulieris sanctitas ac religio nota erat, cujusque aures ab omni verborum obscœnitate turpitudineque abhorrebant, tulit moleste, illius in animum eam cupiditatem fuisse illapsam; sed quoniam erat obtemperandum, prout temporis brevitas patiebatur, conatus est turpia illa verba removere, & alia, eorum loco, reponere. Neque, pro sui felicitate ingenii, id quod voluit, non est assecutus; sed quia facetiæ illæ magna ex parte in verbis habebant leporem omnem, iis mutatis salem amiserant. Audivi eum ego, alterum carmen legentem, a se missum ad puerum longe formosissimum, in quo se suosque mores graphice deformabat. Mira etiam in eodem inerat ad cupiditates omnes voluntas atque propensio; & quo fortasse eisdem obsequi posset, maximum divitiarum opumque desiderium. Etenim, Virginio Ursino Brachiani Duci cum suas operas, non ea qua ipse voluisset mercede, conductas haberet, qui ipsius ingenio facetiisque delectabatur, neque, præter pactam mercedem, quidquam ab eo muneris acciperet; accidit, ut die

die quodam Virginius, coram Cosino, magno Etruriæ Duce, aliisque summis viris, qui simul animi causa convenerant, & ex Joannis argutiis sibi risum voluptatemque captabant, Joanni diceret: Ne multum de Epitaphio, quod sepulcro tuo incidas, componendo labores; nam illud inveni, quo, si omnia quæras, nullum invenias, quod paucioribus verbis te totum designet atque exprimat. Cedo, inquit ille, quodnam est istud? nam mire ejus audiendi sum cupidus. Audi igitur, ait Virginius:

Hoc Villifranci tumulantur ibi ossa sepulcro,
Presbyter ac Vates panem qui rosit in aula.

Tum Villifrancus: Bene, inquit, lepide & eleganter est dictum; non potuit melius: sed quæso, mea causa hos duos illi versus alios adjunge:

Qui dum Virginio Ursino serviret, ab illo
Pumice non unum potuit deradere nummum.

Hoc extemporario carmine audito, in tantum repente risum effusi sunt omnes, ut disrumpi viderentur, ac Virginio, merito relatam esse gratiam, dicerent, quod crabrones irritasset. Maxime juvenum vel adolescentium familiaritates appetebat, quo melius hilari jucundæque vitæ se traderet; quod adolescentium ætas, mollis ac fluxa, alienum a rebus seriis & gravibus animum gereret, ab eisque cohiberet, ac totum in omnem hilaritatem ludumque diffunderet. Itaque cum adolescentibus omnibus fere horis conspiciebatur. Elegantem edidit Eclogam, Amaranta nomine. Scripsit etiam poëma heroicum, Columbi videlicet navigationem, quod manu ipsius scriptum, Pauli Jordani Ursini, Brachiani Ducis, Virginii filii, custodiis asservatur. Id opus dum scriberet, frequens a Virginio, ad venationes prodeunte, sibi comes adhibebatur, ut suis ipse oculis, non alieno ore, venationum certamina, quæ sibi in eo poëmate describenda erant, acciperet. At hic homo, ita voluptatibus obsequens, ut se Regem esse cuperet, quo illis indulgere ex sua libidine posset, non modo ad divitias, quas optabat, pervenire, sed ne prima quidem senectutis limina attingere valuit. Nam fallaces ejus spes, & inanes co-

cogitationes, in ipso propemodum ætatis ipsius flore, mors sæva pervertit; quæ in triremi, in qua una cum Paulo Jordano navigabat, tridui eum morbo fatigatum, oppressit, atque, in oppidulo, Cajetæ proximo, quod Circejus mons dicitur, pro temporis & facultatis ratione humatus. Reliquit longum ac jocosum epigramma, Italicis versibus ab ipso scriptum, quod suo sepulcro inscriberetur; ac nos conati fuissemus in totidem Latinos illud versus convertere, si verba Latina illum potuissent leporem salemque retinere, quem habent Italica; sed quia omnis noster labor irritus fuisset, non fuit consilium, inanem hanc operam sumere, præsertim cum majora potioraque habeamus. Tantum satis sit dicere, fuisse illud, tum ejus ingenio, tum vita ac moribus, dignum.

XXXIX. HIPPOLYTUS MERENDA.

PRoxima atque adeo finitima Etruriæ aliisque Italiæ populis Æmilia, magno Romanis Pont. quorum illa imperio subest, semper utilitate atque usui fuit, magnum aulæ ornamentum ac decus ex suis civibus attulit. Ecquando non illa strenuos ad bellum duces, militiæque artis peritissimos, dedit? ecquando illa milites egregios, bellatoresque fortissimos, ad belli ejusdem usum non præbuit? illa præstantes ad pacis artes ac studia viros complures semper exhibuit, qui Reipubl. bene gerendæ scientia præditi, urbibus, quas regerent, saluti & commodo essent, qui curiæ ornamentum, ordini amplissimo splendorem afferrent. Sed multos in primis in jure civili peritissimos misit, in his Merendas, patrem & Hippolytum filium. Sed Hippolytus longo fuit intervallo, paternæ industriæ superior, quem, dici vix potest, quanto illum antecesserit in respondendo celeritate, in inveniendo subtilitate, in iis quæ maxime firma essent eligendis prudentia. Itaque omnes ad eum causæ deferebantur; quas studiose recipiebat ac fideliter tuebatur; neque ullam fere defendit, quam non obtinuerit; nisi si quando ii, quorum res erat, & a quibus totam causam fuerat edoctus, falsa ad eum detulissent. Nam tum, vinci non assuetus, ita exclamabat, ita ira incendebatur, ut fu-

re-

rere omnibus videretur. Primo patroni munus exercuit, ac statim principem in patronis locum obtinuit. Sed, cum multos jam annos floruiſſet, magnamque pecuniam feciſſet, ſive quod laborem ferre non poſſet, ſive ut in patria bene partis in ocio uteretur frueretur, ſive ut valetudini, qua minus erat firma, ſerviret, reverſus eſt Cæſennam, in patriam; ubi cum multos annos beatius, vel remiſſius certe, vixiſſet, tandem, vel recuperata valetudine, vel veteris famæ lucrique memoria (quamquam nulla illi inerat avaritia, ſed erat liberalis ac ſplendidus) in Urbem ſe recepit, ac revocavit in curſum; præſertim cum Alexander Cardinalis Ludoviſius, Gregorii XV nomine, ad Pontificatum max. fuiſſet evectus; quo cauſarum Rotæ Auditore, multum fuerat in foro verſatus. Romam igitur rediens, eodem ille quidem ingenii acumine, eruditione, doctrina, ac fortaſſe etiam majori quam antea, præditus, ſed non iiſdem moratus moribus, rediit. Nam cum primum juvenis in forum venit, vel quia totum animum in eo collocatum concluſumque retineret, ut nobiles cauſas agendo, in principibus patronis numeraretur, nullam ejus partem, ad voluptatum illecebras, dilabi patiebatur; verum, quum ea jam eſſet ætate, quæ hæc juvenilia facinora fugere magis quam ſectari ſolet, tum illa magis perſequi cœpit, neque ſibi indecorum duxit, capite candido ac barba alba, quæ ſunt adoleſcentium, facere. Hæ tamen ineptiæ, ad quas ille animi relaxandi gratia, quamvis aliena ætate, deſcendebat, vix forſan videntur, tanto ac tali viro, vitio vertendæ; quas ineptias ingentes virtutes obruebant: primum, tanta juris civilis ſcientia, ut diximus, quanta vix in altero, qui ea eſſet ætate, reperiebatur: tum, ſingulare veritatis ſtudium; nullam enim cauſam tuebatur patrocinio ſuo, quæ nullis veritatis radicibus niteretur: præterea, conſtans erga amicos fides ac benevolentia; ut etiam uni eorum, lucubrationes ſuas, cui nullum ſatis dignum pretium poteſt conſtitui, teſtamento legaverit: poſtremo, eximia erga Chriſti pauperes liberalitas, quorum neceſſitatibus, omnibus horis, large copioſeque ſuppeditabat; quam in eos liberalitatem, tum ſemper multis in rebus oſtendit, tum maxime in morte declarayit,

ravit, cum, pauperrimam Converſarum, ut vocant, Romæ, in via longa, domum, heredem omnium ſuorum bonorum, quæ ſunt ſcuta quinquaginta millia & eo amplius, inſtituit: in cujus etiam Æde ſacra, D. Jacobo dicata, ſepultura affici voluit. Fiebat interdum, ut ex nimis attenta cogitatione, qua defixus in ſtudiis hærebat, ad quædam ridicula delaberetur, quæ propiora viderentur eſſe inſaniæ, quam rationi. Cujusmodi illud eſt, quod, cum, die quodam, rheda vectus, quam nemo præter ipſum inſcenderat, via Flaminia ferretur, rhedariusque ad portam Urbis perveniſſet, ac vellet reverſionem facere, vetuit ille, atque cum juſſit progredi longius, quatenus exiſtimatis? eatenus, quoad Ariminum, vel, ut alii dicunt, Cæſenam veniret.

XL. CÆSAR VALENTINUS.

NOn imprudenter omnino & inſcite, a nonnullis magnis viris ſummisque oratoribus, factum exiſtimo, ut, cum ſe putarent ſatis magnam adeptos eſſe dicendi gloriam, nullam poſteris vellent ingenii ſui monumenta relinquere, unde illis de ipſorum facultate exiſtimare fas eſſet. Etenim, cum tanta in actione vis ſit, ut Demoſthenes, interrogatus, quid primum, quid ſecundum, quid tertium eſſet in oratore, ſtatim primas, ſecundas, ac tertias, actioni detulerit; ſæpe accidit, ut ea, quæ, dum agerentur, actoris voce ac geſtu ſublevata, clamores & admirationes efficiebant, deinde, cum legerentur, quoniam actio literis mandari non poteſt, ita vileſcerent, ut admiraremur, tam alias res egiſſe populum, ut, audiens, in iis admiraretur, exclamaret, atque exhorreſceret. Ac multos, noſtra memoria, vidimus & audivimus, in ſuggeſtis, in ſcholis, quibus, dum audirentur, nihil videbatur fieri poſſe doctius, nihil limatius, nihil perfectius; ſed, cum nos ad eorum ſcripta, ſi quæ ipſis excidiſſent, convertebantur, fiebat, ut judicium noſtrum contemneremus, nosque actionis lenociniis fuiſſe deceptos, fateri cogeremur. Atque, omiſſis ceteris, quos proferre poſſemus, ne vagetur oratio noſtra longius, ea Cæſare Valentino definietur, quem hoc ſer-

sermone referre instituimus. Hic ab origine ultima stirpis Romanæ, honesto genere natus, statim ab ineunte ætate, a parentibus est liberalibus disciplinis institutus; & in primis Latini sermonis elegantiæ studuit: sed, a prima illa puerili institutione abstractus, complexus est juris civilis ac pontificii disciplinam. Quam cum omni ex parte cognovisset, publice ejus docendi facultatem obtinuit; atque annos quinque & viginti in Gymnasio Romano, præsertim Jus Pontificium, magno discipulorum concursu, magnisque stipendiis, edocuit. Quo tempore exacto, quasi rude donatus, ejus vacationem muneris habuit, cum tamen nihil de stipendio deperderet, sed integrum, usque ad finem vitæ, perciperet. In hoc homine præsertim apparuit, quantum antistaret ceteris artibus eloquentia; cujus tantum specie, tam magnum ad se discipulorum numerum attrahebat, ut aliorum magistrorum, quantumvis doctissimorum, exedras auditoribus vacuas redderet. Latini igitur sermonis elegantiam, cujus ab ineunte ætate studiosum fuisse docuimus, ad ea, quæ tradebantur, quamvis aspera atque horrida, transferebat. Voce erat clara & acuta, jucunde ad aures accidens oratio, ita volubilis, atque ita facile, quo eam ille ducebat, excurrens, ut nusquam insisteret: quo fiebat, ut magno cum silentio audiretur; nec quisquam erat adeo dissolutus, adeo incommodis moribus præditus, qui dicenti auderet obstrepere. Quamobrem iis, qui videbant, ejus artis princeps videbatur. Verum, sæpenumero fiebat, ut, qui venissent, ab eo non tam docti quam delectati, non tam expleti quam avidi inanesque, discederent. Ut bene cum illius existimatione esse actum existimem, quod neque ipse neque quisquam alius, quod sciam, ejus in Jus Canonicum commentaria in lucem ediderit. Quæ enim lepida atque jucunda, auctoris oratione ac voce prolata aurium, quæ suavitate capiuntur, judicium sibi conciliarant, eadem literis, quæ nemini adulantur, expressa, oculorum, quod est acrius & incorruptius, judicium non effugissent. Magnam pecuniam fecerat, quam, tum ex stipendiis quæ diximus, tum ex re familiari, quo satis erat ampla, collegerat. Quod facile fuit homini & frugi & optimis ac sanctissimis moribus

prædito, qui semper omnia extraordinariis cupiditatibus denegasset, in quibus comparandis nequam homines sæpe evertuntur fundis ac familiis. Quam pecuniam collacatam habebat in iis bonis, quæ una cum vita amittuntur; videlicet in officiis Cancellariæ, quæ vocant. Neque unquam a Pontifice, qui tum rerum potiebatur, homine parco & in re facienda occupato, cum esset senex & capularis, ad quem sua morte, bona illa redibant, impetrare potuit, ut officia illa divenderet, atque ex mercede, quam coëgisset, fundos vel ædes aut alia ejusmodi mercaretur, quæ possent ad hæredes testamento transmitti. Ille enim Pontifex, princeps ex omnibus, iis, qui paulo processissent ætate, officia illa vendendi, facultatem ademerat, cum ceteri ante ipsum cuivis, quantumvis decrepito, id liberum reliquissent. Cum jam a laboribus alios docendi, suo jure, quievisset, quia & vir erat probus, & humanissimis literis deditus, frequens in Sodalitatibus conspiciebatur, in ea præsertim, quæ ex nobilibus, in domo professa Soc. Jesu convocatur, ubi etiam, una cum aliis, eloquenter copioseque differebat; & in Academia Humoristarum aderat, non ut ibi ipse aliquid ageret; ætas enim eum prohibebat eas partes sumere quæ sunt adolescentium, sed ut alios, dicentes, & sua poëmata recitantes, audiret, & si quid in eis titubatum esset, animadverteret, & pro ea auctoritate, quam ipsi ætas dabat, modeste humaniterque corrigeret; quod tamen jus, quoniam singulari etiam erat modestia, ita usurpabat, ut magis ab auctoribus illarum scriptionum sibi permissum, quam vendicatum ab ipso, videretur. Sed demum, cum ævum in longum protraxisset, fato suo functus, humatus est in Æde Virginis Capitolinæ, in sepulcro majorum suorum. Oblatum sibi a Xisto V Episcopatum, constantissime repudiavit, quod scientiæ suavitate, qua nihil est hominibus jucundius, delectatus, quietam vitam turbulentæ, otiosam negotiosæ laboriosæque, anteponendam esse putaverit.

XLI.

XLI. GENESIUS PROIDA.

SUmma ac prope singularia naturæ dona, quibus cumulatur Hispania, primum ab Ibero amine Iberia, postea ab Hispali Hispania cognominata, si velimus hic omnia referre, longius nos ab instituti nostri ratione digrediemur, quibus non est propositum, urbium vel regionum naturas ac dotes exponere, sed hominum, qui in iis aliqua ingenii laude floruerunt, imagines, ut sæpe dictum est a nobis, brevi oratione describere; aliarum vero rerum cognoscendarum cupidos ad illorum volumina relegamus, qui ea omnia diligentissime sunt literis persecuti. Illud vero nonnihil ad rem nostram facere videtur, quod ajunt, ibi corpora hominum nasci, ad vigiliam, inediam, ac laborem animi prompta, tum firmissima corporis valetudine, ob cæli salubritatem, quæ per omnem Hispaniam æqualis est, quia aëris spiritus, ut referunt ii, qui de regionibus illis scripserunt, nulla paludum gravi nebula inficitur. Quo factum opinor, ut post multa secula, cum se ad literarum studia contulissent, inventi sint multi, qui in omni eorum studiorum genere, cui se dedissent, excellentes evaderent, non in iis solum disciplinis, in quibus singulare ingenii judiciique acumen exigitur, ut in Philosophia ac Theologia, sed in iis etiam, in quibus ingenii ejusdem amœnitas celsitudoque requiritur; cujusmodi humanissimæ liberalissimæque sunt artes. Etenim laborem, patientiam, & sollicitudinem, quæ sunt afferenda ab iis, qui exquisitius, quam vulgus hominum, studere literis postulant, non reformidant, sed cum sint, ad ea perferenda suscipiendaque, a natura facti institutique, in se recipiunt ac transferunt. Nonne plures, ex una Hispania, sacrarum ac divinarum rerum interpretes prodierunt, qui Theologicam facultatem doctissimis suis commentariis illustrarunt, præsertim ex Dominica atque Ignatiana Societatis Jesu familiis, quam ex ceteris orbis terræ regionibus? nonne in omnium elegantia literarum excultos, tum vetere tum nostra memoria, eos dedit, quibus nihil desideres melius neque præstantius? Unum est, in quo

Italia Hiſpaniæ & ceteris nationibus præſtat, Juriſconſultorum videlicet copia, qua non ſolum abundat, verum etiam redundat, propter eorum multitudinem, qui, vix ac ne vix quidem literis tincti, veniunt, eum emtum locum ac numerum; nemo enim, qui precium afferat, ab eo repellitur: atque, ſuperiore anno audivi non neminem ex iis, quos inter, lucrum illud diſtribuitur, miſere querentem, locum illum honoris in opinione hominum eviluiſſe, nam minus multos, quam antea, ejus cupidos inveniri, neque ſceleſtiorem, eo vendendo, ſe vidiſſe annum, quam ille ſibi obtigiſſet. At contra in Hiſpania, nemo in eum ordinem admittitur, niſi probata induſtria; immo nemini ejus muneris petendi poteſtas tribuitur, niſi illi, qui antea, longis graviſſimisque diſputationibus, ejus, quod didicerit, periculum fecerit. Ab ea ſchola profectus eſt in Italiam Proida. Ac primum Neapoli cœpit cauſas agere; ubi etiam uxorem duxit, mulierem Neapolitanam, facie non ſatis honeſta atque decora. Sed, cum minus amplum ſuæ virtuti theatrum forum illud exiſtimaret, ſe Romam contulit, & in foro eſſe cœpit. Ubi cum nondum eſſet cognitus, pauci, vel nemo potius, ejus conſilio utebatur; quod, uxor avara, quam perpetuam ſibi oblatratricem in ædibus habebat, quæque Neapoli, ubi major ejus arti quæſtus fuerat, curabatur nitidius, ejus inſcitiæ vel negligentiæ cum tribueret, eum miſerum habebat, &, prius quam galli cantarent, eum a ſomno excitabat; poſcebat, aurum, veſtem, aut unctiuſculum jentaculum; cumque hæc ille denegaret, ſeque inopiæ excuſatione defenderet, illa irata, ac dote fortaſſe ferox, contumelias ac jurgia ſuſcipere, ac dicere: Ignaviſſime, impuriſſime, decoctorum nequiſſime, aulæ Romanæ dedecus, fori ludibrium. Contra ille, cum non poſſet bilem continere, aliis illam maledictis verberabat, atque inſanam, rabioſam fœminam, canem appellabat. Sed ejus petulantiæ par eſſe non poterat, quæ poëtria erat, prorſus ad eam rem unica; multo enim plura, quæque acrius hominem urerent, inveniebat. At ille tandem victus, cum nihil ſe verbis proficere, quibus erat illi inferior, intelligeret, minis eam perterrefacere, ſibique obnoxiam facere conabatur;

ac: Nisi, ajebat, linguam cohibes, eam tibi comprimam, ac, capillo abreptam, in mediam viam protraham, ac convolvam in luto; ac, si pergis esse inepta, vita ipsa devolvam. Istuc, inquit illa, videre velim; nam, si me digitulo uno attingas, feres infortunium; nonne te subit, me Migni Cappelli filiam esse? at cujus viri? nempe ejus, qui toti Neapoli terrorem injiciat. Atque hæc eo confidentius scribo, quia meis ipsemet auribus accepi; quod domus, in qua habitabat, paries mecum esset communis. Nonnunquam etiam res ad manus atque ad pugnam veniebat, & eam ille capillo scindebat, ea unguibus illi in oculos involabat, magnosque toti viciniæ ludos præbebant. Ac fuit, cum, jurgio uxoris impulsus, candelabrum ex aurichalco, e mensa sublatum, ob os illi objecit, ac non leve vulnus inflixit. Tum ille, sive misericordia commotus, sive quod metueret, ne ejus nomen ad magistratus deferretur, idque existimationi, quam de se conciliare studebat, officeret, depositis Jurisconsulti partibus, eas, quæ sunt chirurgi, suscepit, & eatenus sua vulnus illud manu curavit, quoad ad sanitatem perductum est. Atque hæc antea, quam in foro celebratum ejus nomen esset. Verum, posteaquam, quibusdam in judiciis, ejus industria cognita atque probata est, omniumque sententia judicatum, nullam esse causam, quæ non ejus digna patrocinio videretur, jamque munera illi multa atque pecuniæ domum a litigatoribus convenirent, perpetua inter eos pax atque otium constitit. Mira in eo ingenii vis aderat, judicium acre; nam cum vidisset, quid causam faceret, quidque judici probandum esset, in eo hærebat; in interpretando, in definiendo, in explicanda æquitate, summa prudentia; adeo ut judices eam causam probabiliorem existimarent, quam ipse defenderet. Verum cum jam Romæ sic floreret, omnesque ad eum causæ maximæ, quæcunque erant, deferrentur, evocatus est Neapolim, ut insignem quandam provinciam a Rege ipsi delatam, capessendam accederet, unde an rursum in Urbem redierit, nescio; illud scio, ejus filias Romæ fuisse nuptui datas. Id illi unum erat vitium, quod nimis studiose latrunculis luderet; adeoque interdum, cum se honestissimæ il-

illi animi remissioni dedisset, eatenus ludendi ardore incensus progrediebatur, ut causarum, quas tuendas susceperat, patrocinium desereret, ac clientum oblivisceretur, qui venerant, ut eum ad judices docendos adducerent.

XLII. LUDOVICUS VIGNATUS.

Diximus antea, in Genesio Proida, nullam esse in Europa regionem, in qua vilior sit Jurisconsultorum, sed nullius sæpe frugis, annona, quam in Italia, cum, in Hispania, & in aliis quibusdam exteris nationibus, qui faciunt civibus omnibus consilii sui copiam, pauci quidem sint, sed doctrina rerumque usu præstantes, atque, si ad numerum illorum, qui illum mercantur ut eo se jactent, spectetur, non possumus ire inficias, quam plurimos inveniri, qui indigni sint eo loco ac numero: sed si ad eos convertamus nos, qui serio ad Jus civile se conferunt, ut in eo studio excellant, plures se nobis objicient, quos non solum illis æquare, verum etiam longo intervallo anteferre possimus. Atque multorum hactenus Jurisconsultorum imagines, quantum facultas nostra tulit, a nobis expressas, in hunc librum retulimus, qui jurisprudentiæ gloria sunt ab omnibus habiti, non solum urbis, sed totius etiam orbis, oraculum. Neque tamen persecuti sumus omnes, quos, me superstite, egregie aliis consulentes vita defecit. Atque in præsentia se mihi offert Ludovicus Vignatus, Laudis Pompejæ, Transpadani oppidi, nobili loco natus; qui Romam florente adhuc juventa se contulit, non ut in foro disceret, sed ut, quantum efficere posset, doctus, in forum veniret; ac primo se, ad Scipionis Lancelotti ductum aggregavit, in ejusque contubernio, quoad ille vixit, permansit; qui tum erat Rotæ Auditor, ac postea a Gregorio XIII, ob ejus doctrinam, Cardinalis est factus. Eo mortuo, domum aperuit, ut omnibus, qui vellent, in suis rebus dubiis se ad consulendum daret; tum sua industria, tum Horatii Lancelotti, Cardinalis Lancelotti fratris filii, Rotæ Auditoris, qui postea, Paulo V Pont. max. Cardinalium numerum auxit, amicitia fre-

fretus. Etenim iis, qui versantur in judiciis, ad obtinendas causas, auditorum gratia plurimum prodest. Quo factum est, ut brevi sit adeptus illustrem inter advocatos locum; atque ea etiam de causa libenter ab iis, qui controversias habebant, adhibebatur, quod mira erat in eo, in rebus cognoscendis, earumque ponderibus examinandis, accuratio; ut non facile in ullo diligentior majorque inveniretur. Cujus fama virtutis adeo hominum in se studia ad deferendas sibi causas alliciebat, ut postea Horatius, ab Auditoribus Rotæ ad Cardinales, ut paulo ante dixi, traductus, nihil illi de numero clientum ademerit, sed eodem quo antea, & majore etiam, illorum concursu domus ejus celebraretur; quod nihil sit, quod ii, quorum res est, tantopere cupiant, quam sua ab iis, quos sibi patronos adoptant, negocia cum cura ac diligentia suscipi atque tractari. Commendabat hoc etiam formæ dignitas, & naturalis quædam humanitas comitasque, qua ad se venientes excipiebat. Sed florebat, ut cum maxime, & clientum & causarum numero tum Vignatus, cum Paulus V, ejus virtutum fama commotus, Maphæo Cardinali Barberino, qui Legatus Bononiam proficiscebatur, comitem eum adjunxit, ut insignem ibi magistratum administraret; cui admirabili quadam doctrinæ, æquitatis, industriæque laude præfuit. Quamquam mihi narratur, inter ipsum atque legatum, nescio quid discordiarum, de rebus ad Rempubl. pertinentibus, intercessisse, ac propterea deinceps illum apud Legatum, minus auctoritate & gratia valuisse. Quod (si fictum non est) non longius abesse a vero videtur. Erat in Maphæo Barberino, ut perspici potest ex iis, quæ scripta relinquit, ingenii vis magna, erat exquisita juris civilis multarumque doctrinarum notitia, erat excellentis industriæ ac prudentiæ laus eximia; sed tot tantarumque virtutum cognitio adeo ab intelligentia sua non aberat, ut eam animo comprehensam haberet, ac propter eam tantum sibi tribueret, ut, quod ipse probasset, aliis etiam probatum esse debere, quasi suo jure contenderet, aliosque, qui contrariæ essent sententiæ, in inscientium vel malevolorum loco reponeret. Atque acceptum est ab iis, qui sermoni inter-

fuerunt, die quodam, cum jam Pont. max. factus, cujusdam, quem in amplissimum dignitatis locum evexerat, singulares virtutes summis in cœlum laudibus efferret, exclamasse illum & dixisse: O virum summum, ac majore etiam honore quam ille est, quem illi tribuimus, dignum! quid vultis amplius? nulla unquam in re a nobis ille dissensit. Magni cujusdam argumenti loco sumebat, summæ illum sapientiæ arcem tenere, quod omnibus ipsi in rebus assentiretur. At nihil novum fecit; sed summis ingeniis usitatum, præsertim si incredibili virtuti, qua ille erat præditus, summum imperium habeant adjunctum, ut dictorum sanctorumque suorum assensionem omnium exigant. At Vignatus, Bononia Romam reversus, se revocavit in cursum, & rursus causas agere cœpit. Quem cursum feliciter, ut antea, tenuit. Sed hominis virtutem, Romæ, Mediolanum invidit. Nam illum ad se vocavit, & in amplissimum illius Civitatis Senatum cooptavit. Quo munere cum egregie fungeretur, audivit, Gregorio XV e vivis sublato, in ejus locum subrogatum fuisse Cardinalem Barberinum, quicum una, ut diximus, Bononiæ fuerat; ac continuo, pro vetere amicitia, ac pro sua virtute, cujus in nobili illa legatione satis magnum specimen dederat, in maximam spem amplissimæ dignitatis inductus, Romam advolavit. Quo cum pervenisset, & aliquot post dies, ad novi Pont. pedum osculum fuisset admissus, nihil ab eo nisi verba retulit. Itaque animadvertens, spei, quam conceperat, eventum non respondere, statuit Mediolanum redire; ubi, non multos post annos, repentina morte deperiit.

XLIII. JULIUS BENIGNUS.

INepte, ne dicam stulte, mea quidem sententia, faciunt, qui egregium a natura ingenium adepti, cum ingenii ejusdem viribus, tanquam alis, in altum elati, locum aliquem honoris ac famæ conscenderint. Non nihil a majoribus suis, cum ea non adsit, claritatis sibi usurpare conantur. Tanquam si eorum virtus minus clara futura sit, nisi eidem aliquid ab illis splendoris acces-

se-

ferit. Quod longe secus mihi videtur. Etenim honestius duco, nobilitatem & gloriam totam nos parere, quam aliquam ejus partem, ab aliis partam, accipere; ac longe præstantius existimo, majores nostros ex nobis, quam nos ex majoribus nostris, magnos & claros existere. Quin illud, ex majorum recte factis, incommodi iis, qui nobili genere nati sunt, accidit, ut, si iis, quorum fumosis imaginibus gloriantur, dissimiles inventi fuerint, nihil ex eorum commemoratione in sese, nisi infamiam ac dedecus, attrahant, si quidem ipsorum flagitia, cum illorum virtutibus in comparationem adducta, majorem sermonum ansam hominibus præbeant, qui quidem videbantur quieturi fuisse, si illorum improbitas in tenebris obscuritatis familiæ delituisset. Venit mihi in mentem, tum M. Catonis, hominis sapientissimi, tum Q. Pompeji, humili atque obscuro loco nati; quorum uterque sibi gloriosum & honestum duxit, sui generis initium ac nominis a se gigni ac propagari, ac propterea maximis in laboribus, usque ad summam senectutem, summa cum gloria vixit. Nostra memoria, vir maximus atque clarissimus, cum, nulla commendatione majorum, sed propria virtute, ex infimæ sortis hominibus in eum locum pervenisset, quo nullus neque excelsior, neque augustius invenitur, ostentationis gloriæque causa commemorabat, se puerum, parva mercede conductum, in summa inopia & in pannis, ovium ac suum greges pastum adduxisse ac reduxisse. Quid multa? adeo, in tanto fastigio collocatus, suarum ipsum sordium non pudebat, ut eas etiam materiem honoris ac laudis haberet. Sed alio erat animo Julius Benignus. Nam, non contentus ea nobilitate, quam sua sibi virtus peperisset, volebat etiam videri, aliquam a parente accepisse; atque in sepulchro e marmore, quod illi constituerat in Æde Deiparæ Virginis Romæ, quam vocant, de pace, dedit illi formam, sane liberalem, haud illis absimilem, quam in statuis nobilium Romanorum videmus; tum genus nobile, partes honestas. Nam fecit illum I. C. non unum e multis sed prope singularem. Quæ si quis vera esse contendat, non repugnabo. Sed ego, etiam tum adolescentulus, audivi sæpius, de duabus ma-

tronis honestissimis, ac veritatis diligentissimis, sancto affirmantibus, se talem patrem, qualem ipse deformabat, nunquam vidisse, neque novisse; usus tamen fuisse familiarissime ejus matre, quam ajebant esse mulierem pauperculam, una cum illo puerulo annum ætatis quintum non excedente, Canonicorum regularium, illius cœnobii, misericordia victitantem. Præterea ajebant, Abbatem, qui tum cœnobio illi præerat, quod videret fulgere in eo puerulo indolem virtutis, (erat enim modestus, gravis, ingeniosus,) suis sumtibus erudiendum eum curasse, neque operam ac sumtum perdidisse, quod ille in omni genere literarum clarius exsplendesceret quam ceteri condiscipuli, vinceretque omnes, studio, diligentia, ac celeritate ingenii; atque, ab his initiis ad eum doctrinæ & honoris locum pervenisse, quem postea tenuit. Quarum rerum ego maxima documenta hæc habeo, quod semper Canonicos illius cœnobii in parentum loco habuit, dilexit, coluit, neque accepti beneficii memoriam apud ipsum exolevisse, & vivus multis in rebus ostendit, & in morte sua testamento declaravit; cœnobium enim illud reliquit heredem, sed usum fructum, omnium fere bonorum, juveni cuidam, qui erat ipsi a cubiculo, quemque diligebat ex omnibus plurimum, legavit. Verum, utut sese res habeat, sive illi generosa stirps adfuit, sive defuit, fuit homo probus, gravis, eruditus, disertus, Juris autem civilis adeo peritus, ut ceteris magistris, qui illud in Gymnasio Romano docerent, anteire existimaretur. In quo docendi munere cum quinque & viginti confecisset annos, est postea rude donatus. Sed antea in collegium Advocatorum Consistorialium cooptatus fuerat; & quoniam, illorum legibus, nemo in eum ordinem, qui est honestissimus, admittitur, qui non sit etiam nobili genere natus, sudatum est ab iis, quibus hujus rei inquirendæ provincia data fuerat; vix enim quisquam superstes erat ex iis, qui de jure respondentem eum vidissent, cujus monumenta formæ ac nominis in sepulcro, de quo diximus, imprimenda curasset. Interrogatæ sunt etiam mulieres illæ, quas commemoravimus; quæ pro testimonio dixerunt id, quod erat ipsis notum atque testatum; tantum

tum de matris paupertate reticuerunt, ne ejus honori obstare viderentur. Quemadmodum autem, in disputationibus publicis ac privatis, quibus de doctrina eorum, qui cooptantur, periculum fieri solet, se gesserit ille, qui tot annos id docendo disputandoque versatus sit, quid me attinet dicere? nam postquam ægre impetratum est, eum non esse a nobilium virorum numero excludendum, ea felicitate ingenii, ea doctrinæ, ea eloquentiæ vi, in disputationibus illis, eorum argumenta diluit, qui ea, quam ille tuenda proposuerat, infirmare ac labefactare conabantur, ut esset omnibus admirationi. Itaque Petrus Card. Aldobrandinus voluit eum habere a cognitionibus, Auditoris loco; quod munus egregie laudabiliterque defendit. Interea Paulus V, cum decrevisset multa vitia emendare atque corrigere, quæ in omnia Urbis magistratuum tribunalia irrepserant, ob eximiam juris civilis scientiam eum, unum ex illis voluit esse, cui tantum munus demandaret. Hic Romæ mos viget, ut ex advocatis Consistorialibus, quos diximus, unus eligatur, qui pauperculis hominibus, atque omni patrocinio destitutis, advocatus adsit, iisque diligentem ac gratuitam operam præstet. Hic sedet inter primores Urbis magistratus, cum statis diebus in carcerem conveniunt, ibique vinctos, qui se vel adversariorum vel judicum injuriis oppressos queruntur, audiunt, cavetque, ne contra rem pauperum decernatur aliquid injuria. Id ille munus, multos annos, summa cum pietatis & diligentiæ laude sustinuit. Videbatur homini inesse quædam ambitio, neque quidquam ipse tam cupere, quam in specioso Antistitis habitu ornatuque spectari. Itaque dedit operam, ut in eorum Archiepiscoporum numero esset, quibus cum illorum Ecclesiæ in Turcarum potestate sint, nulla procuratio subest, sed Archiepiscopi tantum nomen ornatusque relinquitur, itaque impetravit in beneficio & gratia, ut Archiepiscopus titulo tenus, metropolis nescio cujus, a Turcis possessæ, renunciaretur. Obtinuit etiam, ut Congregationis sacrorum rituum Secretarii munere fungeretur; ad quod officium nemo admittitur, nisi in aliquo ejusmodi dignitatis gradu constitutus. Neque eo fuit con-

ten-

tentus, sed summa ab eo adhibita est opera, ut ad Episcopos, quos vocant Assistentes, rescriberetur. Postremo, adeptus est, ut in Sacello Pontificio, ipso præsente Pontifice, solemnibus cærimoniis, Missæ Sacrificium faceret. Atque hæc meta fuit cursus honorum ipsius & vitæ. Nam paulo post lethali est morbo consumtus.

XLIV. ANGELUS DE ACIARIA.

Si cui Angeli de Aciaria, Senis nobili loco nati, probitas, religio, doctrina, minus nota sit, si eum audiat Roberto Bellarmino, avunculo suo, carum in primis extitisse, nonne maximi argumenti loco habeat, in omnibus iis virtutibus, quas indicavimus, perfectum absolutumque eum fuisse? Ea enim erat hominis longe sanctissimi gravitas, ille ejus adeo distractus atque sejunctus ab omnium rerum humanarum cupiditate animus, ut nulla cujusvis affinitatis cognationisque necessitudo, ad eum diligendum & aliquo in numero habendum, momenti aliquid esset habitura, nisi ea etiam fuisset cum virtutis omniumque bonarum artium societate conjuncta. Complectebatur igitur hominem summo studio ac benevolentia, non tam ut cognatum, quam ut virum in primis probum, honestum, ac doctum. Sed, quem ille æstimationis locum in Bellarmini opinione teneret, tum maxime apparuit, cum ab eo, insigni ac locupleti S. Benedicti, Cassinensis olim familiæ, quæ erat Capuæ, est Sacerdotio donatus; quod Sacerdotium, cum ipse Abbatis jure ac nomine possidere, sibi detraxit, & in Angelum, eodem Abbatis jure ac nomine, transtulit. Nam quid potuit facere elegantius, ut ostenderet, quanti hominem faceret? quid enim est, in quo viri sanctissimi plus operæ tribuant, quodque illis magis sit cordi, quam ut bona Ecclesiæ, eorum fidei tutelæque committantur, qui in eos usus illa conferant, ad quos a majoribus nostris, religiosissimis mortalibus, relicta fuerunt; nimirum ad pauperum inopiam sublevandam, & ad sacras ædes, collabentes, instaurandas? quid contra est, quod illi tam graviter dolenterque querantur, quam in illa bona eos invadere, qui, ad suas cupidi-

ditates explendas, ea improbe nefarieque profundant? Quamobrem, tametsi Angelo jucundissimus erat honor ab avunculo sibi tributus, tamen majorem voluptatem capiebat ex eo, quod homines essent existimaturi, honorem illum, cum a Bellarmino provenisset, non quia aliqua cognationis, qua cum illo implicaretur, necessitudo intercessisset, sed quia sic oportuerit, eoque dignus esset, sibi contigisse. Quod si hæc omnes, quibus pinguia sacerdotia deferuntur, cura torqueret, multi pravi e Republ. Christiana mores radicitus evellerentur. Non illorum animos, pecuniæ cupiditas, non vitiosus propinquorum amor, non libidinis æstus exureret; non apud eos, pessima aleæ, venationis, & conviviorum studia vigerent; non villarum amœnitas, non ædium magnificentia, non pretiosæ supellectilis luxus, eorum cogitationes sibi devinctas haberet; sed pietas, religio, modestia, bonarum artium studia ac pauperum inopiæ sublevandæ solicitudo, in illorum mentibus dominaretur. Séd ut ad Angelum revertar, qui tot tantisque a Bellarmino laudibus elatus ornatusque fuerat, non eum erat æquum, otiosum domi sedere, sibique tantum, non etiam aliis, usui esse; ideo fuerat compellendus in lucem, hoc est in opus, & in oculis hominum constituendus. *Nemo* enim, ut Christus ait, *accendit lucernam, & ponit eam sub modio*. Pater enim luminum, qui eam virtutis flammam incenderat, non passus est eam in occulto latere, sed aliorum oculis esse expositam voluit. Itaque primum ille Episcopo Navariensi Vicarius generalis est traditus; cui provinciæ tanta cum laude præfuit, ut diligentiam solicitudinemque admirarentur omnes, prudentiam & vitæ integritatem agnoscerent. Quamobrem ejus virtuti, hoc ecclesiæ regendæ quasi tyrocinio, spectatæ ac cognitæ, jam deberi existimatum est, ut editiore in loco collocaretur, atque ipse non vicarias alterius, sed suas proprias artes ageret. Itaque Theani creatus est Pontifex. Qui magnam virtutis cujuspiam exspectationem sustinent, hoc fere semper habent incommodi, ut vix unquam tantum illius virtutis ex se dare possint, ut non multo plus homines de ipso speraverint. At hic, in re Ecclesiæ suæ gerenda, adeo fuit felix,

lix, ut non ſolum, quam de ſe commoverat, expectationi par fuerit, verum etiam eidem aliquanto ſuperior extiterit.

XLV. FRANCISCUS BRACCIOLINUS.

INclyta poëtarum natio, vatum præſertim ſolet appellatione cenſeri, quaſi, quæ ſint futura, vaticinentur. Neque iſtuc ipſi non profitentur. Nam iis, quibus immortalitatem nominis, ſuis carminibus, pollicentur, poſtquam magnifica oratione falſas plerumque laudes, non modio neque trimodio, ſed toto, ut inquit ille, horreo, ſunt emetiti, continuo vel opes ac divitias, vel honores, vel, ſi militares ſint homines, glorioſas de potentiſſimis hoſtibus victorias atque triumphos, ſæpe prædicunt. At ſi in eo poëticæ facultatis vis inſit, ut res futuras multa ante prævideat atque denunciet, isque in ea facultate præſtantior ceteris habeatur, qui magis rerum futurarum ſcientia polleat, quique certius ac verius, quæ ſint eventura, præſagiat, mirum dictu eſt, quantum Franciſcus Bracciolinus, Piſtorienſis, ſui ævi vates in primis, divinandi artificio ſuperatus ſit ab eo, qui ſibi erat ad manum, ſcribæ loco, &, quod admirabilius videri debeat, qui poëticam nunquam attigerat, nec verſus facere didicerat. Etenim ille multo ſapientius Franciſco, ut poſtea videbimus, divinavit, quæ e ſua re eſſent. Atque eſt, quod Franciſcus Apollini, quem jam inde a pueritia ſectatus eſt, jure ſuccenſeat, quod divinandi ſcientiam, in qua ille princeps ponitur, quamque ſectatoribus ſuis ita large magnificeque promittit, ſibi denegaverit. Nam, per hanc perfidiam, multæ magnæque ipſi utilitates & commoda præcluſa fuerunt, quæ patuiſſent, ſi ſervare voluiſſet in eo, quod promiſerat, fidem. Itaque, merito queri poteſt, ſe ab eo fuiſſe deceptum. Atque ex his illius perfidia incenſum ira, arbitror, poſtea poëma illud, quod *Ludibrium deorum* inſcripſit, compoſuiſſe; cum nimirum ipſum puderet, fidem habuiſſe iis, quæ de Apolline traderentur, ipſum eſſe, qui vim quandam in hominum mentes infunderet, qua illæ concitatæ, quæ futura ſint, ederent, & quaſi diffunderent. Ve-

Verum videtur non debuisse Apollinis unius peccatum universo deorum concilio fraudi esse. Sed abeamus a jocis, & ad rem ipsam accedamus. Maphæus Barberinus, tum Cameræ Apostolicæ Clericus, utebatur, in scribendis epistolis, opera Francisci Bracciolini; quem etiam ob præclarum ingenium, & communium studiorum societatem, carum habebat in primis; cum a Clemente VIII, Pont. max. missus est Nuncius in Gallias ad Henricum IV, Galliæ ac Navarræ Regem; ac Franciscum, cum eodem scribendarum epistolarum munere, secum duxit in Galliam, ac plures eum menses, eo loco ac numero, assidua atque utili opera, habuit. Sed, cum Roma, de Clementis VIII morte esset allatum, cœpit Franciscus desperate, eum, quem hac spe sectatus fuerat, posse Cardinalem evadere; quod fere mox fit novi Pontificis, ejus, cui succedit, Nuncios revocare, & eorum in locum alios substituere. Itaque statuit, eum deserere, & in patriam redire, ut ibi in Musarum hortulis, molliter ac delicate in herba ac rosa recumbens, penitus avocaret animum a Republ. Neque fecit secus quam cogitavit. Nam ægre a Maphæo venia impetrata, qui ferebat moleste, talem virum a sese divelli, Pistorium venit, ibique, quemadmodum constituerat, se totum Musis addixit. At ejus amanuensis, multo quam ipse sapientior, & in divinando felicior, delatas sibi a Maphæo scribendarum epistolarum partes, arripuit, easque egregie gessit; adeo ut ille, jam creatus Pontifex, cum Cardinalitias deponeret vestes, ac Pontificias indueret, Cardinalibus, qui aderant, ejus operas ac mores mire commendaverit. Verum ubi Bracciolinus eum, a quo discesserat, non solum in Cardinalium Collegium, id quod ille nunquam putaverat fore, pervenisse, verum etiam summum Pontificem factum, audivit; tum vero se falsum vatem fuisse, suumque amanuensem multo sibi antecessisse sapientia, existimavit; ac relicto florum rosarumque cubili, ubi in musarum nutricatu cubabat, Romam venit, seque in Urbani VIII (id enim erat Pontifici nomen inditum,) conspectu constituit. Non est Pontificis illius humanitas atque benignitas prætereunda hoc loco; qui cum deberet eum rejicere, nec perpeti,

peti, ante oculos sibi adduci, a quo, alienissimo tempore, & cum maxime ejus opera indigeret, esset desertus atque despectus, adeo nullum adversus eum irati vel commoti animi signum ostendit, ut etiam humanissimis & amantissimis eum verbis sit prosecutus, & Antonio Cardinali S. Honuphrii, fratri suo, tradiderit, ut illi esset ab arcanis; tum, quoad vixit, sicubi negocii eum odium ceperat, dabat illi sese, atque in ejus sermone ac suavitate omne superioris temporis fastidium deponebat. Erat enim jucundus, facetus, hilaris, amœnus, atque omnium, ut dicitur, horarum homo; & interdiu, æstate præsertim, habebat decretum semper aliquem locum, puta tabernam aliquam aromatariam, ante cujus fores sedens, una cum amicis, qui ejus consuetudine usuque delectabantur, suavissimis sermonibus diem consumere. Multa ejus dicta, tum gravia, tum arguta, tum jocosa, tum ridicula, feruntur, quæ, cum alia sint in eo potiora, relinquimus. Multa scripsit Etrusco sermone, tum jocosa, tum seria; utroque enim in genere præstitit; tum soluta oratione, tum versibus, quæ, si quis sibi nota esse expetit, licebit ea ex Leonis Allatii Apiario, ubi fere omnia referuntur, accipere; in quibus poëma illud enumeratur, quod *Urbani VIII electio* inscribitur, libris tribus & triginta comprehensum; quod Pontifex ille, cum sibi traderetur, dixisse Bracciolino dicitur: Gratum est nobis munus, quod defers, ac maximas de eo tibi gratias habemus agimusque; sed illud, ad te remunerandum, invenimus, quod non solum largitatem tui muneris æquet, verum illud etiam longo intervallo exsuperet, quodque, in omni futuri temporis spacio, immortale tuum nomen efficiat, ut tute fatearis, nos esse imitatos agros fertiles, qui multo plus reddunt, quam acceperunt: itaque dehinc, auctoritate nostra, appellaberis Bracciolinus ab Apibus, quod est insigne nostræ familiæ; atque nos primi te hoc cognomine nuncupamus; Braccioline ab Apibus, vale. Hoc ille nomen obtinuit, atque ita se postea appellari passus est; illudque operibus, quæ deinceps edebat, inscripsit. In omni genere poëticæ facultatis se multum exercuit. Nam lyricum, tragicum, heroicum, pastoritium, jocosum; in eis-

eisque magna est cum laude versatus; sed in lyrico laude impari; in eo enim multos habuit superiores: at in heroico, non video, præter Areostum & Tassum, cui ille debeat cedere; immo non video, quisnam illi comparare se audeat, qui una sit ætate. Neque in uno tantum poëmate elaboravit, sed in pluribus; & in omnibus inventus est sui similis. Incidi in non neminem, qui, censorio supercilio, omnia ejus opera, ac præsertim heroica, adunco, ut dicitur, naso suspenderet; quod diceret, omnia in eis esse teterrima, jamque contigisse, ut antea illa fato suo fungerentur, quam ipsum vita deficeret. Quod falsum est. Nam Christi Crux, ab Heraclio e Persis recuperata, (id enim nomen est illi poëmati) ipso vivente, ter est typis impressa, semel Parisiis, iterum Lucca, tertio Venetiis. Sed quid miremur, Bracciolinum illi displicere, cui ne Torquatus quidem Tassus poëta videatur? Plura igitur heroica scripsit carmina, Urbani VIII creationem, & Crucem Christi a Persis recuperatam, de quibus diximus, atque, exacta jam ætate, annos natus septuaginta, Bulgaros ad Christi fidem conversos, ut ipsemet in fine ejus carminis fatetur. Atque in his omnibus carminibus nihil eorum desideratur, quæ sunt insignia ad maximam laudem; argumenti majestas ac dignitas, inventionis & ingenii acumen, genus orationis altum, exaggeratum, sublime, non tamen caligine obsitum ac mentis aciem effugiens, sed planum, perspicuum, atque omnium intelligentiæ ultro se offerens; sententiæ, non usitatæ, non alteri surreptæ, non communes, sed exquisitæ, sed a se excogitatæ, sed rei, de qua agitur, propriæ; sententiarum ornatus non vulgaris, non obsoletus, non sordidus, sed elegans, nitidus, ac verborum splendore illuminatus; translata non ingentia, non majora quam res postulet, non vi, non precario, alienum in locum irruentia, non longius ducta, sed moderata, sed quæ orationem illustrent magis, quam verba propria & sua, sed quæ statim pene in conspectu animi ponant, quæ intelligi volumus, sed quæ deducta, verecunde, quo vocantur, veniant. At illud fortasse aliquem in eo, ad reprehendendum, locum aperiat; ejus nimirum nimis frequentibus verborum sententiarum-

que luminibus referta oratio; nam cum legas, in singulis fere versibus cogeris insistere, morari, & exclamare: Bene, recte, non potuit melius. Ac ego vellem in ea quasdam esse umbras ac recessus, a quibus lumina distincta, magis extarent, clariusque nitescerent. At, quis non putasset, hominem, qui se orationis majestate amplitudineque cœlo inseruerat, non etiam illuc attractas suas cogitationes habere? sed profecto sic est; ingenium in alto peregrinabatur, mens humi defixa hærebat. Nam studio pecuniæ tenebatur, quam nemo unquam, nobili excelsoque animo affectus, concupiscit. At ille, quo rem familiarem ampliorem faceret, vitæ necessitatibus multa denegabat, ac sordido vitam victu oblectabat. Ac die quodam, cum audisset, celebrem quendam argentarium, apud quem multa aureorum centena deposita habebat, bonis elavisse, tam improviso & horribili nuncio percussus, sensit, sibi intus, lienem, pulmones, jecur, chiras omnes, seditionem facere, adeo ut vesica alvusque se fuderint, totaque illi femoralia impleverint. Denique, post Urbani mortem, cum, octuagenario proximus, nihil sibi jam Romæ relictum videret esse quod speraret, sua ipse ossa in patriam reportavit, ut ibi sepultura afficerentur. Atque eum, ajunt, cum Roma migraret, ad portam Flaminiam, Urbem respicientem, dixisse: Urbs salve, ac simul vale; nam hodie, postremum, ex te pedem extollo.

XLVI. ALEXANDER CHERUBINUS.

Magnum Joannis Pici, Mirandulæ Comitis, ingenium, summam rerum pene omnium scientiam incredibilem memoriæ vim, ita majorum nostrorum ætas admirata est, ut in eo homine, qui nondum tertium & trigesimum annum egressus fuerat, & tamen tantam vim rerum complexus esset, tanquam in aliquo monstro atque prodigio, propemodum exhorresceret. Sola viri, etiam tum adolescentis, memoriæ Thomam de Vio, nondum Cardinalem, exterruit. Ediderat Picus, in illa nobili disputatione, quæ cum reliquis ejus operibus circumfertur, nongenta omnium fere scientiarum capita,

quæ

quæ publice ex ſuggeſto contra quoscunque, qui ea impugnare vellent, tueretur atque defenderet. Itaque cum Thomas ſellam, ex adverſo ſuggeſti poſitam, inſcendiſſet, centum argumenta expoſuit, quibus, totidem exilis capita, labefactaret atque convelleret: at Picus, a poſtremo incipiens, ita ſigillatim omnia repetiit, ut Thomas, ſe de ſella proripiens, exclamaverit: Tace tace ſis, jam tua iſta repetitione mihi factum eſt ſatis. Et quamvis, quæ de illo narrantur, ampla atque magnifica, ut revera ſunt, fatear eſſe; attamen nobilitas generis, qua præſtabat, affinitatum, quibus implicabatur, ſplendor, opum divitiarumque, quibus affluebat, magnitudo, multo clariora ac celebriora ea reddunt, quam fuiſſent, ſi earum rerum, de quibus diximus, luce caruiſſent. Quis dubitat, ſi Alexandro Cherubino generis claritas adfuiſſet? quamquam nec humili nec obſcuro natus eſt loco; nam patrem habuit Laertium Cherubinum Nurſinum, cauſarum, quæ conſtant ex crimine, patronum atque advocatum, tota Urbe notiſſimum, quique Pontificum ſummorum Conſtitutiones, antea diſperſas, unum in corpus redegit; ſed illi generoſa ſtirps defuit: ſi præterea, opum divitiarumque, ut dicitur, montes acceſſiſſent, ſi imperii, ſi illuſtrium tota ex Italia affinitatum ſplendor, lumen addidiſſet: quis dubitet, inquam, quin ille multo illuſtrior atque etiam honoratior futurus fuiſſet? Etenim ſic comparatum videmus, ut vulgus homines non tam virtute quam fortuna metiatur, eosque magnos appellet, qui communem hominum conditionem, præſtantia dignitatis ac fortunæ ſuæ, tranſeunt; ac, ſi eorum quispiam non plane ſit bonarum artium expers, ſed unum aliquod afferat, ut juris ſcientiam, ut eloquentiam, ut aliquam Græcarum rerum notitiam, iis, qui ſunt in earum facultatum generibus ſingulares, celebritate præcurrit; nam nomini, ſumma omnes ambitione, ſuis ſcriptis ac laudibus, lucem dare contendunt, ac ſumma ſæpe ingenia in occulto latere, obruta tenebris, ſinunt. E quibus nunquam potuit emergere hic Alexander, nec impetrare, ut aliquo edito dignoque in loco collocaretur, unde tanta vis ingenii, doctrinæque, quanta in illo fuit, pulcritu-

tudo, multorum perveniret ad oculos. Cujus laudem, jam senescentem, ac propemodum intermortuam, meas esse partes duxi, ab interitu vindicare, & æternam, si ullo modo assequi possim, efficere. Quæ laus eo dignior est, cui multa sæcula propagentur, quo spacium, ad eam sibi promerendam datum, in angustius spacium, coactum est atque compulsum. Ejus enim ætas, septem ferme annis, brevior fuit, quam Pici Mirandulani; qui tres & triginta complevit annos; cum ille vix octavum & vigesimum annum attigerit. Quamquam tres posteriores vitæ ejus anni magis ad mortem, quam ad vitam, referendi sint; cum totum illud tempus acerbissimis viscerum doloribus excruciatus, mortis potius, quam vitæ, similem vitam vixisse videatur. Quamvis, quid annos numeremus in eo, qui amplissimos vitæ suæ fructus possit ostendere? ille breve vixisse dicendus est, qui, quantumvis senex sit mortuus, nihil ex se reliquit, quamobrem vixisse existimetur. Etenim, qui nulli negotio intentus, egregiæ cujuspiam artis sibi famam quærit, hic, ut sapientissimi mortalium scriptum reliquerunt, non modo non vivere, atque anima frui, sed ne esse quidem, videtur. Nihil erat in unaquaque liberalium disciplinarum arte, quod ille non nosset; nullus liber, ad suam usque ætatem, in lucem editus, quem ille attente non legisset, omniaque ejus dicta non meminisset. Summis, me puero, in cœlum laudibus efferebatur Jacobus Lainez, e Soc. Jesu, quod in Concilio Tridentino palam apud gravissimos illos Patres gloriatus, nec mentitus in gloriando esset, nullam se Patrum sanctorum sententiam laudaturum, quorum ille libros integros non legisset, penitusque, quod in eis contineretur, non perspexisset. Idque summa eorum, qui audissent, admiratione exceptum esse, narrabant; quoniam vix credibile videbatur, posse quemquam in otio, etiamsi aliud nihil, quoad viveret, faceret, nedum in vita occupatissima, qualis erat Jacobi Lainez, tantam auctorum copiam, qui de rebus sacris scripsissent, ita studiose perlegere. Quod si tanta ille omnium admiratione ac benevolentia in cœlo est, qui in unius tantum generis auctorum lectione consumsit ætatem; quam magna in lau-

laude versari necesse est eum, qui nullis certorum auctorum libris, quasi finibus, suum legendi laborem studiumque circumscriptum habuit, sed peræque scriptores complexus est omnes? Sed, cum omnium ingenuarum artium cupiditate studioque flagraret, ad Philosophiam præsertim contulit suam operam, & ad eam inprimis, in qua princeps est Plato. Aperiebat illi ad Philosophiam aditum, Græci sermonis notitia, qua præstabat; eaque duce, facemque, ut ita dicam, præferente, ad intima ejus arcana penetravit; neque quidquam erat in ea ita constructum atque reconditum, quod non ejus intelligentiæ apertissimum promtissimumque redderetur. Eripiebat interdum philosophicis commentationibus aliquid temporis, illudque summorum doctorum Græcis voluminibus explicandis tradebat. Quo factum est, ut multos libros Græcos Latine reddiderit. Sed quid multis opus est? tanta vis ingenii, eum exitum habuit, ut viscerum doloribus, quibuscum acerrime conflictari solitum eum diximus, consumtus, e vinculis corporis solveretur, simulque magno ære alieno, quo implicitus tenebatur, explicaretur. Nam hunc quoque nodum mors, quæ solvit omnia, rupit; ac creditoribus, cum non esset, unde illis satisfieret, nihil reliquit, nisi plorare. Sed cum Philosophi vita minime multis rebus indigeat, neque ille gutturi aut corporis ornatui præter modum indulserit, neque ita magnam familiam aluerit, & tamen tantum æris alieni conflaverit, suspicioni locum aperire videtur, fuisse alteram amici cujuspiam domum, in quam bona, sibi a patre relicta, & pecuniæ, quas fœnori sumserat, exulatum abirent.

XLVII. MATTHÆUS SALINORUS.

CUm mihi de morte Matthæi Salinori, ex oppido Montis sancti Sabini, esset allatum; & jus amicitiæ, quæ mihi cum illo intercedebat, & locorum propinquitas, ubi uterque nostrum, domicilium suum constitutum habuit: erat enim jam diu mecum Leoninæ Urbis incola; impulit me, ut statim ejus imaginem, rudi meo stylo, quasi penicillo, descriptam in eam, quam nunc mo-

molior, Pinacothecam inserrem. Neque veritus sum, adolescenti gravissimo, ingenio summo, eruditione singulari, delirum senem, ac poëtam oppido ridiculum, adjungere. Non enim fiet tanto viro injuria, si ejus pulcritudinis elegantia, quæ, spectatu dignissima, admirabilitatem maximam faciet, prope illum collocetur, cujus deformitas, non alia de causa, omnium in se oculos attrahat, nisi quia risum maxime moveat. Nam, utroque in comparationem adducto, & unius formæ vis boni copiosius laudabitur, & turpis alterius oris imago derridiculo magis habebitur. Hic, jam inde ab ineunte ætate, magnus mulierum fuit amator; atque elegans formarum spectator haberi volebat. Si quæ nova nobilis nupta prodibat, continuo versiculis, in ejus formæ laudem factis, se illi insinuare satagebat; cui, & versibus, quorum insulsitas ridebatur, & sermonibus, gloriarum stultitiæque plenissimis, miros de se ludos dabat. Unicum illi erat studium, omnes amicitia comprehendere, summos, medios, infimos; sed principum virorum & illustrium fœminarum familiaritates in primis appetebat; nam, per hanc rationem posse se a ceterorum hominum numero eximi, arbitrabatur, si summorum virorum atque omni dignitate principum amicitia uteretur, ac non solum sciri, verum etiam commemorari, audiret, se apud illos auctoritate & gratia pollere. Atque hæc causa erat, cur, quoties vel Cardinales, vel aliquis Regis cujuspiam aut Reipubl. orator, publice Urbem ingrederetur, daret operam, ut equo, quem ab aliquo potentiori amico utendum acceperat, vectus, in pompa conspiceretur, &, quo unus præ ceteris, omnium in se oculos converteret, varia ac dissimili ceterarum veste uteretur. Quo assequebatur, ut non solum vulgi ad se oculos, sed sibilos etiam atque clamores, attraheret. Multas amavit mulieres; e quarum nonnulla liberos sui quam simillimos procreavit; in quarum amore quam multos versus scripserit, quam multa ridicule ac stulte fecerit, si velim proferre, longius ab incepto abstrahar: sed licet, qui voluerit, cetera ex hoc uno colligere. Quondam Bacchanalibus feriis, cum, personatus, mulieri cuidam, quam diligebat ex omnibus plurimum, vellet osten-

ostendere, quidnam potissimum ab ea in amore erga ipsam suo requireret, stragula quædam coriacea, quibus ille domi suæ parietes tectos habebat, ab amico utenda deposcit; qui, rei totius ignarus, libenter tradidit. At ille, tum satis sua sponte, tum ex amore, insanus, primum, equo ex eis phaleras, tum vestem, corpori aptam suo, conflavit, sibique in tergo cubitalibus literis scripsit, INCORAMATO. Quod verbum, vernacula lingua ambiguum, tum coriacea veste indui, tum velle ex corde diligi amarique, significat. Interdiu fere domi se continebat, neque exibat, nisi si qua res magna compulisset, ibique vel in hortulo, ædibus suis adjuncto, opus faciebat; quem hortum sua manu optimis ficubus conseverat; quarum fructibus, suo deinde tempore, tanquam e cælo missis, quos existimabat sibi amicos esse, donabat; vel in versibus scribendis otium consumebat, quibus prolatis risus excitarentur. Paucos ante ejus mortem annos, cum domum ad eum venissem, magnum cornuum acervum, unum in locum coactum, inveni; cumque eum rogassem, unde ea illi merces advenisset, ac, num fortasse pectines & calceatoria esset effecturus, ostendit mihi ex altera parte alios lapidum tumulos, in quibus auri quædam scintillæ emicabant; atque: Horum, ait, cornuum cineres, ad extrahendum ex his lapidibus sine multa opera sumtuque aurum adhibeo; ac, si res lepide sub manus, ut spero, successerit, Rex fiam. Interdiu igitur his se domi exercitationibus oblectabat; vesperascente autem cælo, in domum aliquam nobilium mulierum sive virorum se conferebat, sive esset sudum sive onustum imbribus cœlum, sive nix caderet sive aquilo flaret; ibique vel ludendo vel fabulando, vel risum aliis movendo, multas horas traducebat; neque, quamvis decrepitus, antea de discessione cogitabat, quam nox, medium cœli spacium emensa, properaret, ut diei locum jam advenienti concederet. Sed, cum domum se recepisset, si illuc jejunus accesserat, eo, quod mane coxerat, famem sublevabat: cumque, quidquid erat illud, quantumvis pauxillulum, juvabat; sed illud beabat magis, quod foris edisset. Contra inimicorum injurias nullis aliis armis tectus erat, nisi versibus:

nam laceſſitus ab aliquo, ſtatim libertate, ſtultis pene conceſſa, ſcriptum in illum carmen vibrabat; atque his telis ſuſceptas ab aliquo ſecum inimicitias perſequebatur. Ac poſtremum ejus carmen, quod quidem ad notitiam meam pervenerit, ſcriptum eſt in eos, qui novis Urbem munitionibus ſepiendam circumdandamque ſuſceperant. Quo carmine inepte (non enim, tum imperitia tum mentis vitio, quid publicæ utilitatis ratio poſceret, intelligebat,) inepte, inquam, inanem eorum operam reprehendebat, qui, tanquam gloriæ & ambitionis ſtudio abrepti, muris & aggeribus Urbem illam munire conarentur, quam caritate & benevolentia Chriſtianorum Principum ſeptam oporteat eſſe, non muris, & ad quam tuendam conſervandamque, ob ejus laxitatem, vix ingentes militum copiæ ſufficerent: deinde, multo acrius vehementiusque, eorundem ſævitiam, immanitatem, crudelitatemque diverberabat, qui, nullo delectu, tot pauperum, tot religioſorum hominum, villas, hortos, ædificia, extirparent, diruerent, ſoloque æquarent; id ab eis factum duriter immiſericorditerque, ajebat. Sed quid ea res, inquies, ad eum pertinebat? Multum: nam D. Balbinæ Ædem, cujus erat ille Canonicus, ſtatuerant demoliri, novaſque per eam munitiones muroſque perducere. Atque id, quod cogitaverant, factis perſecuti fuiſſent, ſi Urbani VIII vita biduo longior fuiſſet. Etenim, cum Pontifici, ad extremum fere caſum perducto, mortem inſtare intelligerent, properabant omnia perturbare, quemadmodum a nonnullis accipiebatur, atque pervertere, ut Pontifici, qui ſucceſſurus eſſet, operis proſequendi vim ac neceſſitatem imponerent. Atque hoc fortaſſe conſilio, Urbis muros, ad Portam Tergeminam ſive Oſtienſem, ſubruerant antea, quam novos excitarent. At ſi interea hoſtis ad Urbem acceſſiſſet, omnes ad eam, muris immunitam, aditus apertos ac patefactos offendiſſet. At quænam vos, ajebat, intemperiæ tenebant? (quid eſt, quod non audeat inſania?) quænam vos furiæ agitabant, ut Ædem antiquiſſimam & religioſiſſimam, quæ tot ſecula manſit, quæ tot hoſtium immaniſſimorum manus effugit, ubi adhuc Apoſtolorum principis veſtigia cernuntur, ve-

venerantur, adorantur, quam Benedictus Cardinalis Justinianus tanto sumtu instauraverat, picturis exornaverat, quam undique tectam ac pulcerrime laqueatam reliquerat? quibusnam, ajebat, furiis exagitabamini, ut, cum eam conservare possetis, vel intra munitiones complecti vel extra relinquere, malletis perdere, ac penitus ex hominum memoria delere? quid est hoc, nisi parum religiosi & a veteribus Christianorum monumentis alieni animi signum? Sed extremo vitæ suæ tempore, magis quam antea, insanientem eum, relinquamus, & ad alios properemus.

XLVIII. FLAMINIUS FIGLIUCCIUS.

Magna profecto vis inest in prima illa puerili institutione, qua pueri apud magistros, si probi & docti sunt, ad virtutem & ad bonas artes erudiuntur. Etenim illi eas virtutum exercitationes, quas ab ineunte ætate susceperint, seque in eis continuerint, tanquam lanæ, primum conchylio tinctæ, nunquam dimittunt, atque, etiamsi velint, non possunt agere nisi ex virtute. Fit enim ex frequenti ac longa alicujus studii exercitatione consuetudo, deinde natura, quæ vix potest expelli; ac, si aliquando rejiciatur, quadrigis, ut dicitur, albis postea recurrit. Hinc laudatissimus mos ille a majoribus nostris, sapientissimis mortalibus, institutus, pueros, in Collegiis ac domibus, simul educandi edocendique, ut tenera illa ætas ac fluxa, a turba hominum eripiatur, ne, ex illorum consuetudine, damni aliquid moribus contrahant, atque antea vitia discant, quam illa vitia esse intelligant; verum, eo in loco collocentur, ubi, quod primum aspexerint, honestissimum sit, atque ex optima atque sanctissima disciplina, quod primum auribus acceperint, sit ejusmodi, ut doctiores ex eo ac meliores evadant. Quid mirum est igitur, si ex ejusmodi scholis multi sæpe prodierint, qui acceptam ab illis morum probitatem, sanctissime, usque ad extremum vitæ spiritum, conservaverint? quid enim prima illa virtutum elementa, tanquam semina, in animum, nondum vitiorum spinis occupatum, ex sese, nisi pulcerrimos

mos præstantissimosque pudoris pudicitiæque fructus possunt efferre? Atque in eorum numero, qui in publicis istis domibus, ad probitatis omniumque virtutum, laudem a puero educatus, nunquam de virtutis via deflexerit, Flaminius Figliuccius Senensis, Seminarii Romani Clericus, collocandus est. De cujus virtute eo confidentius me posse dicere videor, quod, ab ineunte ætate, simul eisdem studiis, tanquam sacris, initiati simus, simul in eodem Philosophiæ ac Theologiæ curriculo fuerimus, simul etiam in aliquot academiarum luce conjunctissime vixerimus, simul sodalitatem Deiparæ Virginis; in domo professa Soc. Jesu, frequentaverimus; quamquam ille, ut dixi, adolescentulus ex Seminario Romano, ubi publice alebatur, ego ex privatis domi meæ parietibus, prodirem in scholas. Verum hæc laus innocentiæ non tam videtur fuisse ipsius propria, quam familiæ universæ communis. Habuit enim, inter ceteros, arcta sibi cognatione conjunctum P. Vincentium Figliuccium, Soc. Jesu, virum doctum ac probum, qui magnum onus, a Superioribus suis traditum, Romæ in Collegio Pœnitentiariæ sustinebat, de jure respondendi iis, qui percontatum veniebant de rebus ad conscientiam suam pertinentibus, quos domum, ex incertis certos, & compotes consilii, dimittebat. Sed nondum studiorum suorum curriculum ille confecerat, cum omnium maximus eum dolor percussit, fratris nimirum mors acerbissima. Erat hic, juvenis, formâ liberali atque honesta, suavissimis moribus, ad omnes res lepidus, ingenio neque malo neque improbo, qui operas suas ad domestica negocia locaverat Romæ viro, nobilitate, genere, divitiis, existimatione cum primis civitatis. Viro huic nobilissimo locupletissimoque par nobilitate atque opibus uxor obtigerat, quæ jam longius ætate processerat. Hæc mulier, viro suo orbata, ob inanes nescio quos nocturnos metus, quibus mulieres sæpe corripiuntur, statuerat, cuipiam se viro conjungere, qui eum sibi ab animo timorem expelleret. Neque fuit illi diutius deliberandum, quem potissimum eligeret. Nam statim occurrit Flaminii frater, longa ac domestica consuetudine notus, ad quem jam animum adjecerat, ejus

æta-

ætate, forma ac moribus capta: at unus eam ſcrupulus pungebat, propinquorum videlicet timor; qui ſi, vel leviter ſaltem preſſis veſtigiis, hæc ipſius conſilia odorati eſſent, continuo ad ea ſubvertenda omnes machinas admoviſſent. Itaque occultiſſime dedit operam, ut antea cogitata perficeret, quam ad cognatorum notitiam pervenirent; atque omnibus, quæ lex præſcribit, adhibitis, conjugali eum nexu ſibi copulavit atque conſtrinxit. Quod, ubi factum eſt palam, tum ejus cognati & affines præ iracundia atque dolore inſanire ac furere cœperunt; neque tam moleſte ferebant, eam inferioris ordinis homini nupſiſſe (quamquam ille honeſto erat loco natus, ſed nihil ad mulierem illam,) quam quod verebantur, ne illa, ob amorem, omnium ſuorum bonorum hæredem eum inſtitueret. Quamobrem, exploratis locis, quibus noctu erat illi iter in domum, ibi inſidias collocant, ac multis vulneribus affectum interimunt. At mulieris animus nihilo propterea remiſſior ad novas nuptias conglutinandas eſt factus. Namque in alterius juvenis manum brevi convenit, cui, præter rem, omnia inerant. At Flaminium Auguſtini Valerii Card. Veronæ, doctrinæ, eruditionis, ac pietatis fama celeberrimi, domus excepit; qui Cardinalis plurimum ejus ingenio delectabatur; ac, quanti eum faceret, oſtendit in morte Canonici cujuſdam Eccleſiæ S. Marci, in cujus demortui locum, ſufficiendum illum curavit. Cardinale Veronæ vita functo, in Cardinalium Petri & Silveſtri Aldobrandini aulam tranſiit; ubi demum, honeſte ac laudabiliter, datum ſibi a Deo vivendi munus implevit, non ſine amicorum bonorumque omnium mœrore luctuque. Multa variis temporibus edidit poëmatia, quæ, ut quævis occaſio ſe dabat, vel novorum Cardinalium, vel inſignium nuptarum, vel cujuſpiam recens in Sanctorum numerum recepti, ſcribebat. Recitavit etiam poëmata aliquot & ſatyras, non ſine plauſu, in Academia Romana Humoriſtarum. Sed quanti hic vir eſſet, oſtendit Maphæus Card. Barberinus, qui poſtea ſummus Pont. fuit, Urbani VIII nomine, qui, inter ſua laudatiſſima carmina, intulit epiſtolam, quæ etiam nunc extat ſemperque extabit, ad Flaminium verſibus ſcriptam. Non

enim

enim emunctissimæ naris ille vir summus, ad hominem suis carminibus cohonestandum, descendisset, nisi tanto cum honore dignum judicasset.

XLIX. LÆLIUS TOLOMÆUS.

INclyta Senarum natio semper in primis Italiæ pietati ac religioni dedita fuit. Cujus rei testes, tum ex omni superioris temporis memoria, tum ex nostro hoc seculo, in quo misere versamur, quamplurimos, si libeat, nominare possimus, quos vita sancte ac laudabiliter acta, quos rerum gestarum gloria, multaque ac magna supra naturæ vires patrandi, a Deo sibi concessa, facultas vocavit in cælum; nunc etiam non pauci, tum sua in patria, tum Romæ, videlicet in orbis omnium terrarum luce, vitæ integritate & innocentia, rerum humanarum, &, quod rem continet, sui ipsius contemtu, in corpore terrestri atque mortali vitam imitantur Angelorum; & quod in magna laude ponendum est, cum recta ac laudabili vivendi ratione summam eruditionem atque doctrinam habent adjunctam. Sed his omissis, de quibus, a proposito nostro alienum est, dicere; ex iis, quos ætas nostra vidit atque admirata est, quique fato functi sunt suo, se mihi offert in præsentia Lælius Tolomæus, cujus & generis claritas, & formæ dignitas, & ingenii magnitudo, atque affinitatis etiam necessitas, poscere a me videntur, ut ejus memoriam ac laudem, jam pene intermortuam, quod iis accidit, qui nihil scripti reliquerunt, ab oblivione hominum, atque adeo ab interitu, vindicem, eamque immortalem reddam, si possim. Hic, quem dico, adolescentulus, summo genere natus, summisque a natura ornamentis instructus, a parentibus, qui magnam in eo spem dignitatis suæ collocaverant, omnibus liberalibus disciplinis est institutus: quæ eo clarius in illo elucebant, quod egregie eidem formæ bonum, quod si adsit, non minimum virtuti splendorem & gratiam addit, accesserat. Sed majore ille vi animi atque ardore, ad juris civilis disciplinam cognoscendam percipiendamque, se contulit. Incitabant eum Fabii Benevoglienti,

ti, Jurisconsulti ea tempestate clarissimi, stimuli, qui egregiæ adolescentem indolis cogitabat, tanquam suæ hæredem gloriæ, relinquere, eoque magis, quo aliqui eundem cognatione contingebat. Inflammabat ejus studia, parentum cupiditas, qui jam tum, tantæ spei filium, aulæ atque honorum ambitioni destinaverant. Sed illum non tam eorum, de quibus loquimur, cohortationibus, quam sua sponte, ad maximi jurisconsulti laudem, properantem, divina Spiritus sancti aura revocavit e cursu, atque, a rebus vanissimis & incertissimis, ad res certissimas ac solidissimas, iter capere, suavissima quadam vi compulit. Itaque laudatissimæ nominis Jesu Sodalitati nomen dedit, ubi una mecum Philosophiæ, apud P. Mutium Vitellescum, qui postea eidem Societati, præpositi generalis nomine, præfuit, ac Theologiæ apud P. Mutium de Angelis, aliosque disciplinæ ejusdem magistros, operam dedit. Sed illud ingenium, quod, quamcumque in partem se dabat, magnam inde laudem referebat, in illis etiam artibus perfectum evasit. Sed incredibilis eloquentia, cum maximo oris lepore ac vocis suavitate conjuncta, in eo in parvo quodam sermone perspecta, ab illis eum studiis abduxit, & ad conciones, ad populum habendas, abstraxit. Quanquam illud eloquentiæ donum non tam erat ipsius proprium, quam toti ejusdem familiæ commune. Memini, Germanicum Tolomæum, hujus Lælii fratrem germanum, mecum de domestica re quadam agenti, ex improviso orationem, omnibus suis partibus absolutam atque perfectam, habere, (erat enim sororis meæ vir,) æquabili ac nusquam interrupto verborum cursu. Sed jam ille ad summos concionatores pervenerat, jam in omnibus Italiæ civitatibus celebre suum nomen effecerat, cum eos fructus, qui ab ejus eloquentia percipiebantur, lethalis pituita intercepit; quæ a capite ad pectus atque inde ad pulmones defluens, insanabili eum tabe corripuit; ejusque vi, non ita multos post menses, illud est clarissimum probitatis eloquentiæque lumen exstinctum.

L.

L. JO. BAPTISTA AGUCCIUS.

Si cuipiam præstantis ingenii viro, præstantis etiam magistri disciplinam contingat accedere, atque in eam partem studium suum dederit, in qua naturam fautricem habeat, quisnam dubitat, quin in ea futurus sit omnium facile princeps? Id quod Jo. Baptistæ Aguccio, Bononiæ, nobili loco nato, usu venisse vidimus. Hic enim ad omnes res egregias a natura factus, incidit in disciplinam Philippi Segæ, singularis prudentiæ viri, quem postea egregia ipsius merita in illud dignitatis fastigium, in quod venit, evocarunt. Nam ab Innocentio IX Cardinalis creatus, dignitatem ejus Collegii mirabiliter auxit. Qui Card. cum videret Jo. Baptistæ indolem, aptam ad res magnas, toto cum pectore est amplexus, eoque vehementius, amore studioque in eum exarsit, quod ille arcta se cognatione contingebat; erat enim sororis suæ filius. Neque Jo. Baptista avunculi in se studiis non respondit, sed mirum in modum semper occurrit. Nullam ille ætatis suæ partem, studiorum labori detraxit, sed unamquamque habuit in illis extensam. Primum pueriles annos, non ludis, non æqualium studiis, sed humanissimis politissimarum artium literis dedit; e quibus cum excessit, ad eos magistros venit, qui regulam tradunt, qua vera & falsa judicentur, quæque, quibus propositis sint, quæque non sint, consequentia, videlicet Dialecticam. Qua arte instructus, Philosophiæ & Juris civilis est cursum ingressus. Quo confecto, eorum, quibus jus est, juris civilis publica interpretandi facultatem dare, votis omnibus declaratus est juris ejusdem interpres atque magister. Sed pulcerrima elegantium literarum species ac forma, ejus ad se animum magis attraxit, atque arctius sibi conjunxit. In primis exactam atque perfectam utriusque linguæ notitiam tenuit, Latinæ nimirum & Etruscæ, & in unaquaque earum scripsit elegantissime. Quibus in studiis, cum Cardinalis Sega eos illum progressus fecisse animadverteret, ut multorum, qui in eodem curriculo versati essent, industriæ præiret, duxit eum secum in Galliam,

quo

quo Legatus Pontificis proficiscebatur; ut esset arcanorum omnium particeps, & interpres eorum ac nuncius, quæ ad summos viros aliosque perferenda essent. Quam rem Lanfrancus Margotius, quem pariter ab epistolis secum adduxerat, cum ferret indigne, discedendi potestatem sibi fieri postulavit: qua impetrata, secundis Romam auspiciis est profectus. Etenim, vix pedem in Urbem intulit, cum a Cynthio Cardinali Aldobrandino, Clementis VIII Pont. max. sororis filio, est ad scribendarum epistolarum munus adhibitus, ejusque opera adeo æstimata est, ut a Paulo V, qui post Leonem XI. Clementi successerat, dignus sit habitus, cui honor purpuræ deferretur. At Jo. Baptista, Cardinali Sega defuncto, a Petro Card. Aldobrandino, ad quem, Clemente ejus patruo adhuc superstite, rerum omnium summa redierat, receptus est in suorum familiarium numerum, ut sibi navaret operam ab epistolis, iis præsertim, quæ officii gratiæque causa scribuntur; in quibus major vis ingenii requiritur. Cujus adeo egregia atque præstanti usus est opera, ut eundem secum in nobilem illam ad Henricum IV Galliæ Regem legationem adduxerit. Cujus etiam itineris acta omnia lepide eleganterque literis consignavit; quæ summa omnium cum approbatione leguntur. A qua legatione reversus Cardinalis, domus illi suæ, summo cum imperio & auctoritate regendæ, provinciam detulit, quam Hieronymus frater, a Clemente in Collegium Cardinalium cooptatus, administraverat, eamque, usque ad Clementis Pont. & Cardinalis Aguccii fratris mortem, obivit; se adversa valetudine, in quam, itinerum laboribus & aulicæ vitæ incommodis, inciderat, est coactus, ab ea discedere, & tantisper otiosam & remotam a negotiis omnibus persequi vitam, quoad convaluisset. Verum, recuperata valetudine, noluit amplius molestissimis aulæ occupationibus se tradere, sed toto ut ajunt pectore, pietatis ac religionis studio (nam sacris erat ecclesiasticis initiatus) literisque sese permisit, omnesque, qui tum erant in Urbe, literatos homines amicitia comprehendit, iis utebatur familiarissime, eorum studiis deditus erat, eos sibi convivas adhibebat. Quod vitæ genus jucundius illo fuisset, si per-

pe-

petuam, vel saltem diuturnam, esse licuisset. Nam post aliquot annos, ejus opera, quæ utilis ac fidelis inveniebatur, a Card. Aldobrandino revocata est rursus ad domus suæ præfecti provinciam; nec ab ea sibi fas fuit, nisi Cardinalis ejusdem morte, recedere. Neque ab hac solicitudine curaque soluto, licuit illi esse otioso, sed a Gregorio XV, populari suo, nuper ad id fastigium evecto, ex omnibus fuit electus, cujus fidei industriæque, jam sibi cognitæ, Reipubl. arcana omnia committeret, eamque in ejusmodi negotiis, scribæ loco, ad manum haberet. Sed celer Pontificis illius e vitæ discessus (non enim integrum in eo honoris loco triennium explevit) longius illi spatium, numeris illius, in quo excellens habebatur, obeundi summamque amplitudinem simul ademit. Ad quam Urbanus VIII, cum virum, fidei constantia & ingenii claritate præstantem, vellet perducere, Nuncium ad Rempubl. Venetam misit. Quod munus dum egregie, atque ex Pontificis animi sententia, administrat, ea, quæ hominum spes eorumque contentiones in medio fere spatio prosternit ac frangit, mors, inquam, intercessit, nec passa est, Urbanum ea virtutibus illius, quæ cogitaverat, ornamenta deferre. Magnam in scribendis epistolis habuit gloriam; œconomus summus, ita tamen ut nihil familiaribus, quibus præerat, detraheret, quod dominis adderet, sed eos, sine dominorum damno, large copioseque tractabat. Paululum severis moribus videbatur, quamvis in communi amicorum consuetudine omnem humanitatem amœnitatemque exerceret. Erat in omni genere sermonis & humanitatis pené perfectus, & de quacunque re, quæ in disputationem caderet, docte copioseque disserebat; de Republ. de Principis officio, de natura, de vitiis hominum, de cupiditatibus, de modo, de continentia, de historia, de Philosophia, de Theologia, de ea, inquam, quæ ad mores pertinet, non autem de ea, quæ in disserendi subtilitate versatur; nam hanc nunquam attigerat. Unum in eo vitium deprehendebatur, quod fidem ac benevolentiam suam amicis, ad eos sublevandos adjuvandosque, non præstaret. Scripsit quandam, Latino sermone, historiam, quam cum neque ediderit, neque ejus

ejus mihi aspiciendi potestas ab aliquo facta sit, quid in eo genere potuerit, judicare non licet. Illud dici ab omnibus audio, qui eas legerunt, epistolis suis nihil esse elegantius, nihil pulcrius, nihilque perfectius. Scripsit etiam animadversiones quasdam ac monita ad Nuncios Apostolicos, quæ, in Pontificum negotiis apud Reges ac Principes gerendis, sequantur; tum, sermones de Republ. recte administranda, eruditionis prudentiæque plenissimos. Quæ omnia, si typis excusa prodirent in lucem, eruditorum in se omnium admirationes & studia converterent.

LI. JULIUS STROZZA.

SI paululum eas ad laudes atque virtutes convertere animum placeat, quibus cumulata ea urbs est, quæ principem inter alias Etruriæ urbes locum ac numerum obtinet, tam multas tamque præclaras eas esse reperiemus, ut, eidem merito Florentiæ nomen inditum esse, fateri cogamur. Adeo rerum omnium pulcerrimarum nitore cultuque florere conspicitur. Mitto civium ejusdem parsimoniam, frugalitatem, industriam, numerum, qui, toto terrarum orbe proseminati, summa earum regionum, quas petierunt, cum utilitate ac commodo negotiantur, seque suosque, sine cujusquam injuria, divitiis atque opibus augent. Mitto homines, quos ad Rempubl. capessendam, ad imperium orbis terræ suscipiendum natos, in Urbem omnium aliarum reginam ac principem mittit: quorum tres, nostra ætate, quamvis non omnes illi Urbi utiles, summi Deoque proximi fastigii culmen tenere conspeximus; neque quidquam factum est propius, quam ut illis quartus accederet. Mitto complures, quos, in omnium bonarum artium studiis egregios atque præstantes, humanissimis atque elegantissimis literis præditos peperit. Mitto, inquam, hæc atque alia non parum multa, quibus merito floris cujusdam delibati vocabulo nuncupetur. Quid illud, quantam in se habet laudem & gloriam, quod sermo ille, quo nunc utimur, ex barbararum omnium linguarum quasi colluvione exortus, in ea civitate primum est ad huma-

nitatem deductus, tum excultus ac limatus, postremo, iis ornamentis ac deliciis instructus, ut non solum Latinæ linguæ, verum etiam Græcæ, quæ præ se ceteras alias linguas, ut rudes, ut incultas, ut barbaras, contemnebat, verborum copia, elegantia, venustate, ac suavitate, ut parce dicam, non cedit. In hac lingua ortus est ille, de quo referre institui; Julius nimirum Strozza, ex nobili patre; quamvis non justis nuptiis, sed ex concubina, ut dicitur; quem tamen pater agnovit, atque optimis disciplinis erudiendum instituendumque curavit. Neque Julius apud magistros operam perdidit, sed magnos in iis artibus, in quibus erudiebatur, progressus fecit. Suam Venetiis adolescentiam habuit; ubi parens suus argentariam non ignobilem faciebat; qui non satis sibi propitium habuit Mercurium, cui improbe concessum est ab antiquis, & datum, ut mercimoniis præsit, ac lucris; nam id illi negotium decollavit, ac fortunæ vitio, ea in urbe, tanquam in mari, bonis elavit. Hinc factum existimo, ut filius magis Venetias, quam Florentiam, in deliciis habuerit; quod locus ille magis nobis sit cordi, ubi primos illos ætatis annos exegimus; præsertim si ex libidine eos nostra coluimus. Quod si uspiam potest contingere, Venetiis sine dubio evenit. Qua in urbe, quia multæ ad voluptates apertæ sunt viæ, voluptarii in ea homines habitant maximi. Inerat illi & ingenium satis acre, amœnum, ac poëticum; scribendi ratio non inelegans, ut licet ex eo poëmate judicare, quod edidit; in quo urbis Venetiarum laudes graviter eleganterque prosequitur. In omnibus celebrioribus Italiæ Academiis numerabatur, Romæ etiam, una cum nonnullis, novam in ædibus Jo. Baptistæ Cardinalis Deti, Academiam instituit; tum ut Cardinali illi, etiam tum pene adolescenti, cui quidvis aliud magis in amore studioque esse dicebatur quam literæ, aliquam hominis eruditi famam conciliaret. Illa etiam ejus Academiæ constituendæ causa fuit, ut Academiæ Humoristarum, cui illi, ob quasdam dissensiones, erant infensi, quæque tum ingeniorum nobilitate florebat, perniciem, exitium & vastitatem afferrent. Libentius enim, atque ambitiosius unumquemque eorum, qui

qui Academias persequerentur, viri principis in domum esse venturum, existimabant, ubi majus atque honestius virtutis suæ theatrum esset habiturus, quam privati hominis, quantumvis nobilis, ædes celebraturum, ubi paucis auditoribus, quæ ingenio multoque labore peperissent, exponerent; ut olim eodem in loco, Hieronymo Aleandro contigisse memini, qui tribus neque eo amplius auditoribus, egregiam illam ac doctam, Humoristarum impresæ, quam vocant, interpretationem cœpit legere; neque propterea est deterritus, sed legit nihilominus; nondum enim fuerat in mores inductum, ut Cardinales, honoris gratiæque causa, ad ejusmodi eruditorum hominum conventus accederent; neque quisquam eos invisere audebat: verum, quemadmodum solstitialis herba repente oritur, ac repentino occidit; ita etiam recentis illius Academiæ quasi viriditas, quæ nimis celeriter sese diffuderat, eodem ferme quo exorta est anno exaruit; ac dominus domus, in alia fere omnia distractus, ostendit, non posse esse diuturnum, quod invita Minerva suscipitur. At contra, illa altera Academia, ad quam funditus evellendam omnes illæ machinæ adhibebantur, altioribus in dies radicibus actis, majorem firmitatem ac robur accepit, quam ut aliqua vi convelli ac labefactari posse videretur. Ac, dum adversarii toto in id animo, ut eam evertant, incumbunt, Julius, honorum curriculum ingressus, Protonotariorum ordinem ac numerum mercatus fuerat; eorum, inquam, quos, quoniam in partem lucri, quod ex eo muneris genere, tanquam ex fundo aliquo, capitur, veniunt, parum Latino nomine, Participantes appellant; utrum sua, an aliena pecunia, cum in re admodum tenui versaretur, ignoro: sed postea revocavit se ab eo cursu, quem cœperat, ac veteri vitæ restituit. Qua in vita, multa, quæ fecit ac dixit, prætermittimus; partim quia levia sunt, partim quia non satis digna, quæ literis memoriæque prodantur. Unum omnino reticere non possumus, quod sit nobis documento, quemadmodum principum virorum amicitia utamur, & in omnibus dictis factisque circumspiciendum, ne quid offendamus, ne quo irruamus. Jam honorem, quem emerat, produxe-

 rat,

rat, ac vendiderat, mercedemque coegerat; tum vestes, ejus honoris proprias, exuerat, & ad veteres, communesque redierat: cum a I. Maria Vrbinatum Duce invitatus est in domum suam, ut præfecti cubiculi munere fungeretur: &, quo illi gratior ac jucundior ejus muneris functio videretur, oneravit eum optimis honestissimisque conditionibus. Venit ille, provinciam accipit, labori industriæque suæ non parcit: quid in studiis literarum profecisset, ostendit. Etenim vir ille princeps, a publicis privatisque suorum negociis feriatus, cum paululum quieti otioque se dabat, non ludicros sermones, non rerum colloquia leviorum prosequebatur, sed omnis erat illi sermo de literis. Consueverat etiam interdum corpus vomitione purgare; ad quam rem brassica cucullata uti solebat; qua jurulenta cum se implesset, continuo, injectis in os digitis, eam evomebat, ac pituita noxiique humores alii consequebantur; itaque se incolumem vegetumque, sine aliqua medicorum ope, servabat. Hinc fiebat, ut brassicæ ejusmodi genus, pluribus in locis, ad illud procreandum idoneis, ferendum colendumque mandaret. Accidit igitur, ut, die quodam, Dux una cum Iulio in via quadam, arboribus consita, inambularet, easque arbores nimis lente quereretur excrescere. Iulius: Tune eas, inquit, brassicæ tuæ cucullatæ esse similes, putas? hanc te oportet serere, quibus, ad tollendum se altius suamque ad maturitatem perveniendum, pauci satis sunt menses. Quod Dux suam ad contumeliam referens, æquo illum animo non potuit amplius aspicere. Id cum Iulius comperisset, seque a consuetis cum Duce colloquiis segregari videret, tempore dato, Ducem adiit, ac simulatis quibusdam caussis, quæ se ad discedendum compellerent, abeundi potestatem sibi ab eo fieri postulavit, atque alio se contulit. Postremo Venetias venit, quarum ille originis, ædificationis, incrementi, ejusque amplitudinis, ad quam nunc est perducta, ordinem ac rationem, eleganti poemate, iis, qui non nossent, aperuit. Qua etiam in urbe vitam finivit, neque aliunde certius amoris, quo illam urbem dilexisset, argumentum posse desumi existimavit, quam si & vivus, quod licitum fuit, & mortuus, in ea esse volu-

fuiffet. Audivi etiam, tragœdiam ab eo fuiffe compofitam, Erotillæ nomine infcriptam, quam effe egregiam, argumento mihi eft Antonii Quærenghi carmen, quo illam eximie laudat.

LII. PETRUS ALBERTINUS.

NOn parum fæpe in eos incidi, qui de rerum natura quererentur; quod perpulcris ingeniis turpe, abfurdis elegans corpus tribueret; quod longe fecus ab ea fieri oportere contenderent; naturæ enim multo convenientius effe, eos, quos fuo beneficio egregiis animi dotibus ornaret, præcipuam etiam habere laudem ampliffimæ pulcerrimæque corporis formæ, eos vero, quibus nulla dediffet ornamenta ingenii, ab omni quoque venuftate figuræ vacuos inanesque relinquere. Ita enim, qui effent ingenio aut aliqua alia virtute præftantes, ex oris dignitate ac pulcritudine cogniti, majore effent apud omnes æftimatione atque honore; neque ignotis, qui deformem eorum faciem intuerentur, effent contemtui atque ludibrio. Ut Agefilao Lacedæmonio contigiffe narratur; qui cum effet corpore exiguus, & claudus altero pede, atque ad corporis deformitatem veftitus humilis atque obfoletus accederet, a Regis Ægypti, cui ille fubfidio venerat, miniftris non aliter fit habitus, quam quivis inops atque privatus, ac vix illis fides fieret, eum effe, qui ob virtutem tanta tamque admirabili gloria effet. Quid multa? tantam habet pulcritudo commendationem, ut Ariftoteles, in fuis de moribus libris, docuerit, non poffe felicitatem in eum cadere, cui infignis deformitas effet. Atque adolefcens, Romæ vidi quendam, ampliffimis honoribus præditum, qui omnia pofita effe duceret in procera excelfaque ftatura. Itaque quandam domi fuæ menfuram habebat, ad cujus menfuræ rationem, eorum corpora, qui in fuorum familiarium numerum venire vellent, exigeret. Quo fiebat, ut parafrenarios, rhedarios, œconomos, fecretorum confcios, cubicularios, atque adeo promos condos, ac cocos, fi diis placet, ita magnos haberet, ut, cum cubiculum aliquod ingredi vellent, neceffe habe-

rent, caput ad ſuperum oſtii illius limen demittere. Atque ſi homines, ex trunco corporis æſtimationem acciperent, nullum Petro Albertino precium ſtatui potuiſſet. Nam nemini eorum, qui, in viri illius principis, de cujus memoria commemoravimus, familia numerabantur, eſſet inferior. Qui vir princeps, quod gigantea homines forma diligeret, non eſſe mirandum ajebant, cum ipſe quoque, quemadmodum gigantes, terræ filius eſſet. Quam matrem agnoſcebat etiam hic Petrus: nam ex imis ejus erat viſceribus ortus, hoc eſt, patre obſcuro atque infimo natus; quem, contra pietatis officium, famuli cujusdam loco habebat. Ille enim filio obſonabat, ille cœnam, ille prandium coquebat, ille menſam ornabat, ille lectos ſternebat, ille, ut ædes niterent, faciebat, ille advenientibus ſellas, in quibus ſederent, præbebat, denique, omnia, quæ ſunt famuli, officia perſequebatur. Atque ille miſer, quo filium liberalibus diſciplinis erudiendum curaret, quod habuit, omne prodegerat; neque tot ſumtibus aliud, niſi ſibi dominum, comparavit. In Gymnaſio Romano Soc. Jeſu, humaniores primum literas didicit; tum Philoſopho, deinde Theologo operam dedit. Et quia eum pareus, pro re ſua, ſatis bene veſtitum habebat, & quia minime erat timidus, ſed alacer ac promtus, in nobilium adoleſcentium familiaritates ſe inſinuavit; a quibus, ob opinionem ingenii, eruditionis, ac doctrinæ, quam de ſe faciebat, prope in fratris loco diligebatur. Semper erat in diſputationibus princeps; nemo putabatur acutius vel ſententiam ſuam tueri, vel aliorum refellere. Sed multo majorem opinionem doctrinæ faciebat, & voce qua præſtabat, & lingua ad dicendum reſpondendumque promta atque parata, qua ceteris antecedebat, quam quanta in eo facultas erat. Sed cum videret, nihil ſe ex iis artibus, quas adhuc coluiſſet, niſi inanem quandam popularis auræ aſſenſionem aucupari, nec jam res patris, ejus ſumtus pati poſſe; ſtatuit, ab ea diſciplina auxilium petere, unde maximas pecunias fieri non ignorabat; atque ad jus civile cognoſcendum, animum tranſtulit. Cujus facultati, cum paucorum annorum, ſive potius menſium, ſtudium dediſſet, ejus, ut nunc ſunt mores, inter-

terpretandi docendique facultatem coëmit; ac vix ejus potius est, cum dux aliis esse cœpit, in eo curriculo, quod ille nimis celeriter percucurrerat; hoc est, alios pecunia docere instituit. Incredibile memoratu est, quanti ad eum discipulorum concursus fierent, eorum præsertim, qui ex prima illa puerili institutione, in scholis Patrum Soc. Jesu, ad jus civile transibant; adeo ut mihi, qui eodem, qua ceteri, de illius virtute, opinione imbutus, misere cupiebam in ejus ludo addiscere, nulla ad ejusdem disciplinam perveniendi facultas obtigerit; quod diceret, se non posse mihi vacare, quod multitudine discipulorum obrueretur. Itaque, beneficii, cujusdam gratiæque causa transmisit me ad legulejum quendam Picenum, quem aliquot menses audivi. Sed cum animadvertissem, me non plus ab eo accepisse doctrinæ, quam si nunquam in ejus ludum venissem, nolui amplius apud ipsum operam perdere; sed statui, alias scholas, alios magistros persequi; ac nulla eidem mercede persoluta, (quid enim feceram lucri?) discessi. Quo factum puto, ut nunquam ille postea, oculis me potuerit æquis aspicere. Erant, in eodem ludo, in quo ego nihil sapere discebam, duo adolescentes nobiles; quorum alter ex Attavantum familia Romæ vetere atque honesta, judicum sententiis fuerat securi percussus, quod adolescentem, arcta sibi familiaritate conjunctum, interemisset, ejusque ad pedes, molossos aliquot, a quibus voraretur, alligasset. Occultum enim suum ille scelus fore putaverat, si ille ex facie a canibus corrosa, non potuisset agnosci, quis esset. Hujus etiam tanti facinoris horror, ab ea me schola abalienavit: non enim amplius in ea versari sustinebam, quam ejusmodi hominum genus frequentaret. Edixerat, per id tempus, Clemens VIII, ut, qui Romæ in Collegio Germanico alerentur, præter Philosophiam ac Theologiam, Pontificium jus etiam addiscerent, eo quod, cum Legatus ad Regem Poloniæ proficisceretur, atque iter faceret per Germaniam, ab Episcopis illis, eorumve judicibus, multa perperam judicari vidisset, ob juris Canonici ignorantiam. Hæc provincia statim tradita est Petro Albertino a Patribus Soc. Jesu, ejus Collegii moderatoribus; ne-

minem enim inveniri posse putabant ad id munus aptiorem, præter eum, qui in ipsorum nutricatu pene educatus esset; quique opinione, quam de sua virtute fecerat, arcem omnium scientiarum tenere existimabatur. Cœpit igitur traditos sibi discipulos in studio juris Pontificii exercere, eosque in eam opinionem adducere, aut ab eo aut nusquam melius accipi posse præcepta Juris prudentiæ. Sed venit Lepidus Piccolomineus, ex eadem Societate nominis Jesu, mire ea disciplina, quam ille profitebatur, instructus; qui cornicum, ut dicitur, oculos confixit. Nam, cum in publicis quibusdam disputationibus, multa audiret ab eo, tanquam certissima statui, quæ nullis veritatis indicibus niterentur, multa etiam aliena, atque adeo contraria iis quæ proposuisset, afferri, neque posset pati, optimis ac studiosissimis adolescentibus fucum fieri, ac falsa pro veris obtrudi, aggressus; gravissimis validissimisque rationibus, quæ ille rata ac firma debere esse constituisset, labefactare atque convellere, quoque ipse in errore versaretur, eodemque alios oblineret, ostendere. Qui æstus, qui error, quæ tenebræ obortæ sint, homini minime malo, ut ego non dicam, facile unusquisque conjectura assequi potest, cum ex improviso se in certamen provocatum fuisse videret, ab adversario doctissimo atque ad disserendum paratissimo, quem ne natum quidem esse sciebat. Et quoniam audierat, Lepidum illum Piccolomineum perpetuo deinceps in eo Collegio futurum, ut confessiones illorum, qui in eo alebantur, exciperet, causam invenit, quamobrem necesse haberet susceptam docendi provinciam deponere; eaque se abdicavit; ne videlicet quotidie cum tam valenti adversario sibi res esset, cui se imparem esse sentiebat. Id quod Patres illi, qui eum diligebant, moleste graviterque tulerunt; ac mecum questi sunt quidam ex illis de nimia P. Piccolominei in disserendo subtilitate, ab eoque factum fuisse duriter, atque adeo inhumaniter, quod ad evertendam, probi illius hominis ingenii commendationem, voluisset ea, quæ non constant, ex rebus penitus cognitis atque perspectis, neque ad scientiam ullo modo perveniunt, non vulgari quadam trutina, sed exacta artificis

sta-

ſtatera expendere. Neque, ea cauſa, qui illi favebant, facti ſunt tardiores ſegnioreſque in eo ornando, ejuſque commodis, quantum in ipſis erat, ſerviendo. Nam Cardinali Odoardo Farneſio, jus civile cognoſcendi cupido, doctorem illum ac magiſtratum dederunt, a quo præcepta juris acciperet; quem ſtatim, in ſuorum aulicorum numerum receptum, ſtipendio & quotidiano cibo donavit, ſed breve tempus habuit declarandæ, in eo inſtituendo, induſtriæ: ille enim diſcendi ardor, qui in eo viro principe exarſerat, intra paucos, menſes an dies? non modo refrixit, verum etiam extinctus eſt totus. Itaque Petro reſtabat aliud nihil, niſi ut Cardinalem ad publica munera euntem comitaretur, & in procetone, una cum aliis aulicis, officii gratia inambularet, ac fabularetur. Sed alius eum caſus adjuvit, Cini nimirum Campani mors, qui in Gymnaſio Romano principem juris Pontificii docendi cathedram obtinebat: nam Cardinali ſuffragante, homine his temporibus potente, ceteris competitoribus ſuis antelatus eſt, atque in demortui locum ſuffectus. Neque quidquam propius eſt factum, quam ut die quodam incendio conficeretur, cum ædes Farneſianæ, ab ea, in qua ille cubiculum habebat, ignem concepiſſent; & cum flamma cubiculum ipſum comprehendiſſet, bibliotheca amiſſa, vix vivus ex illa flamma incendioque evolavit.

LIII. OCTAVIUS PANCIROLA.

MAgna profecto, a rerum natura, hominum ingeniis tributa vis eſt, quæ ingenia plerumque neque a doctrina neque a cujuſquam præceptis exculta, multa ex ſe efferunt, quæ doctiſſimi homines, literarum ſtudiis & exercitationibus aſſuefacti, aſſequi nequeunt. Nonne, ab obſervatione naturæ, ea inventa ars eſt, quæ merito omnium maxima & excellentiſſima exiſtimatur, dicendi nimirum ars? etenim, quæ ſua ſponte homines eloquentes facerent, cum quidam obſervaſſent ac delegiſſent, eadem quibuſdam præceptis & in una inſtitutione formarunt. Nonne ii, quibus ſumma eruditionis ac poëticæ facultatis laus conceſſa ab omnibus eſt, ex

rudibus, ineptis, ac ridiculis simplicium virorum poëmatiis, multa sæpe excerpunt, quibus, tanquam stellis, sua scripta illuminentur, quæ sine illis futura fuissent minus elegantia ac minus illustria? Speronis Speroni, hoc est, qui cum semper ante ipsum, apertos haberet Damæ Rovensæ, Rinaldi ex amore se affligantis Trabisondæ, aliosque ejusmodi libros, homo omnium fere suæ ætatis doctissimus, interrogatus, cur id faceret, respondisse fertur, se furem esse literarium, & in primis cupere, sua furta esse occulta, idque sibi ex sententia eventurum esse putare, si pauperum tuguria persequeretur, unde si quid abstulisset, propter eorum, quos expilasset, obscuritatem, omnibus etiam futurum esset incognitum; longe secus oventurum esse, si furtificas, in locupletum & illustrium virorum domos, manus vellet afferre, quorum res, propter ipsorum nobilitatem & amplitudinem, omnium jam patent ad oculos, nam si quid mihi ex illis arrogare vellem ac proprium facere, quicunque aspicerent, continuo clamarent, furem manifestarium, qui ea pro meis venderem, quæ jamdiu in illius vel illius beatissimi hominis supellectile numerarentur. Hactenus sermo est de iis, qui furtum facere, atque ex pauperum bonis augere suam rem student. At sunt inopes aliqui, hoc est, quidam, nullis fere literis præditi, nulla eruditione ornati, adeo fortunati atque felices, ut ditiores omnes certatim in eos, quidquid sibi rei est, conferant, neque aliquem eos locupletandi finem faciunt, unde illorum nomen omnis posteritatis memoriæ consecratum existat. Id quod Ambrosio Calepino contigisse videmus, qui, cum Lexicon quoddam Latinarum vocum, plerarumque fortasse non bene intellectarum, edidisset, placuit inventum hominibus doctis; & quoniam non esset integrum, in illud invadere, quia prior ille occupasset. Relicto Calepini nomine, tantum unusquisque in illud, quantum poterat, contulit. Itaque jam liber ille, tanta rerum copia redundat, ut copiosa ipsa non æque sit copia, ut liber ille est copia, neque quidquam sit Calepini nomine illustrius. Hoc quidem nostra ætate, ut de aliis taceam, usu venit Octavio Pancirolæ Regiensi, & Cathedralis ejusdem Ecclesiæ Ca-

Canonico, quamquam fuit Calepino aliquanto felicior; ille enim suo inventu, hic est clarus alieno. Venit hoc in mentem Hippolyto Pancirolæ, fratri ejusdem germano, qui operæ pretium se esse facturum existimavit, si omnium, quæ sunt Romæ Ecclesiarum origines, ortus, auctores, nomina, eorumque, quæ illarum custodiis asservantur, Sanctorum Reliquias, præterea, Nosocomia, Xenodochia, aliasque hospitales domos, unum in libellum colligeret, quem Thesauros absconditos vocaret, idque anno Jubilæi jam appetente cIↃ IↃ C, ut qui Romam eo anno religionis ergo, venirent, haberent, unde breviter eorum locorum, quæ ipsi venerarentur, notitiam acciperent, quo majorem pietatis ac religionis suæ fructum erga loca illa perciperent, propter quæ patrias sibi sedes relinquendas, & ad Urbem veniendum (nam veniendi nulla alia erat causa) honestum ac gloriosum putassent. Tantum ille aliqua Octavii fratris opera usus est, ad earum Ecclesiarum hospitaliumque locorum memorias quoquo modo a rectoribus ac magistris eorum excipiendas; neque mea illi opera defuit, quod essem Octavii amicissimus. Verum, ipse totum librum Italico, neque ita eleganti, sermone conscripsit, & conatus est etiam edere; idque sibi facile ob ejus libri novitatem eventurum existimabat. Sed res aliter cecidit, atque opinatus fuerat. Nam cum nemini ex Societate Jesu liceat aliquid typis imprimendum mandare, nisi facta a superioribus potestate, illi vero, quibus hæ partes datæ fuerant, ut viderent, num quid ille liber luce dignum afferret, retulissent opus illud, luteum sibi negocium videri, nec satis dignum, quod in iis, quæ ex Sociis ejusdem Sodalitatis exissent, numeraretur, atque idem sibi videri, Cardinalis Bellarminus, quem ille appellaverat, affirmasset; sententia destitit. Nunquam enim apud suos aliquam ingenii habuit laudem; nulla in re Pancirolæ illi alteri similis, cujus opera, ob eximiam Juris civilis scientiam, magnis stipendiis conducta est ab omnibus Italiæ Gymnasiis, in eisque incredibili auditorum concursu, facultatem eam aliis tradidit, in qua erat princeps; quem etiam a Paulo Manutio laudatum in Epistolis suis invenio. Spem igitur immortalis nominis,

quam

quam cœperat, coactus adjicere, eam in Octavium fratrem transfudit, ac librum tradidit, ut editum, pro suo aliis obtruderet. Quem ille librum, non tam dulcedine gloriæ, quam spe aliqua lucelli quæsticulique commotus, accepit: sperabat enim, magnum emtorum numerum eam sibi mercem conciliaturam; sed spe illa dejectus, ne nummo quidem uno factus est ditior. Jacuit ille liber, fere usque ad alterum Jubilei annum cIↄ Iↄ C XXV tum viri quidam eruditi susceptum illum, delectati materia & titulo, ita auxerunt ornaruntque, ut, si Octavii Pancirolæ nomen & titulum demas, non agnoscas, eundem esse. Atque hodie nihil fere est libro illo celebrius, nihil, quod emtorem magis inveniat.

LIV. ANGELUS MOROSINUS.

SI natura, seu potius rerum omnium parens Deus, in tribuendis animi dotibus, generis cujusque splendorem & claritatem aspiceret, nemo generosissimus non etiam doctissimus inveniretur. Sed, cum sæpenumero summo genere nati, ob hebetudinem ac tarditatem ingenii, inscitia rerum omnium laborare, contra, infimæ sortis homines, ingenii bono, ad summam sive eloquentiæ sive Juris civilis sive Philosophiæ sive aliarum pulcerrimarum artium scientiæ laudem efflorescere; quid habet ea res argumenti, nisi, in nobilitate familiæ, vel in opum magnitudine, quæ homini extrinsecus accidat, in bonis animi comparandis nullam vim esse? quamnam enim in iis partem, quasi suo jure, fortuna sibi vendicet, quæ ad animum, quo præsertim hominis vis & ratio constat, ornandum perficiendumque pertineant? ideo ex iis rebus, quæ nullis adversis casibus subjiciuntur, sed perpetuo nobis inhærent, laudem, gloriam & famam esse expetendam, ex aliis quæ possunt amitti, quæque ejus sunt partis (corporis videlicet) propria, quod est nobis commune cum brutis, non item nisi ex recto ac laudabili earum usu aliquam nobis existimationem commendationemque quæramus; quod nimirum opes, divitias, nobilitatem, temperantiæ, modestiæ, ac liberalitatis materiem habuerimus, non autem

tem

tem instrumenta superbiæ, avaritiæ, atque libidinis. Atque, ut ad rem propius accedam, Angelus Morosinus, humili tenuique Etruriæ est ortus in pago, Prato veteri, nomine, ex obscurissimis summaque laborantibus inopia parentibus, qui, ruri opus faciendo, parce ac duriter vitam agebant: at ille, quum sublimis & egregius traditus sibi a Deo animus, ex paternæ vitæ sordibus cogebat emergere, & ad honestiora transire, simul ac per ætatem licuit, Florentiam se contulit, ut ibi rude ipsius ingenium, sed literarum gloriæ in primis appetens, disciplinis omnibus erudiretur, quarum instructu ornatuque referens, inanem eorum, qui divitiis atque opibus abundarent, ac fumosis majorum imaginibus gloriarentur, fastum atque superbiam obtereret, ac studiorum suorum fructibus, nomen suum clarius & illustrius, speciosis illorum cognomentis efficeret, quorum vita ac mors juxta æstimanda est, quoniam nihil ex se relinquunt, unde vixisse eos appareat. Florentiæ Thaddæo Clotino operam dedit; a quo liberalibus disciplinis, iis præsertim, quibus prima illa ætas institui solet, est eruditus; neque antea ab eo ludo discessit, quam ea, quæ a magistro didicerat, posset aliis tradere. Etenim, cum quid ab illo monstrabatur, statim intelligentiæ quasi pedem intro in illud ferebat; neque, ut ceteri condiscipulorum, in ejus aditu vestibuloque morabatur nec se longius inferebat, se celeritate ingenii in intimam ejus rationem penetrabat, atque inde, tanquam e fonte, adeo ejus rei cognitione se implebat, ut efflueret: quamobrem facile illi erat, quidquid ab ipso redundaret, in alios refundere. Id quod, rei familiaris angustiis oppressus, coactus est facere; atque Florentiæ cœpit se aliis ad docendum dare, & ex multis, qui, a propinquis parentibusque missi, in disciplinam convenerant, adolescentes nobilissimi quidam, ex Vecchietorum familia fuerunt; quos etiam, ut illis esset additus custos, tanquam pædagogus, comitabatur. Cui illi adeo dediti fuerunt, ut non quasi pædagogo, sed tanquam parenti alteri, honorem benevolentiamque præstarent, eundemque eo amoris vinculo sibi conjungerent, quod nulla vis temporis posset abrumpere: erat enim in illo, non solum

lum sanctitas merum atque integritas, verum summa etiam comitas, atque, ad promerendos sibi hominum animos, sermonis venustas atque amœnitas. Sed tantus magister majore dignus erat theatro, quam ut paucis hæreret. Lucem conventumque honestissimum sibi quærebat, non autem solitudinem tenebrasque poscebat. Ideo ereptus ex unius domus angustiis, & a paucis erudiendis traductus est in amplissimum Pisarum urbis Gymnasium, & in frequentem discipulorum celebritatem, ut ibi mollissima adolescentium ingenia ad pulcerrimas artes & ad omnem humanitatem informaret. At humanissimæ hæ literæ elegantissimæque, si cui sit in animo, in illis commorari, & quasi tabernaculum vitæ constituere, neque progredi longius, non tam illum perficiunt quam ornant, non tam augent quam delectant, non tam ad publicam utilitatem quam ad privatà commoda formant ac fingunt. Ideo ille, qui non ignoraret, hominem non sibi soli, sed multo magis esse Reipublicæ natum, præstantissimum ingenium ad eas disciplinas contulit, quibus ea administrari aliquo modo posset: atque juris Civilis, Pontificii præsertim, & moralis Theologiæ, studia complexus est. In quibus quos fecerit progressus, si Roberti Card. Ubaldini testimonium proferre possimus, tanti viri judicio contenti esse debeamus. Eum enim ex omnibus unum elegit, quem quamdiu Montis Politiani Ecclesiæ Episcopus præfuit, sui sibi muneris vicarium haberet. Nec vir ille sapientissimus ac suis omnibus in rebus mirum in modum certus ac diligens, suam ab eo assiduitatem, prudentiam, æquitatem, ac justitiam desideravit; sed, postquam Cardinalis grave illius muneris onus a se rejecit & in alterum transtulit, reversus est Florentiam; ubi Ecclesiam S. Donati, in foro Vecchiettarum, Parocho suo, qui mortem obierat, orbatam invenit; & quoniam penes Vecchiettos, quorum majores eam ecclesiam fundaverant, novi rectoris eligendi jus atque potestas erat, in veteris Parochi locum illi Angelum, cujus memoria in illorum animis nunquam exoleverat, substituendum subrogandumque curarunt. Qui denique in ea provincia rite ac fideliter administranda vitam amisit. Quantum au-

autem vir ille Latinis ac Græcis in primis literis præstiterit, præsertim declarat ille ejus verissimis ac justissimis elatus in cælum laudibus liber, quem Flores Italicæ linguæ inscriptum edidit. Aliquot etiam, Etrusco sermone, tum soluta oratione, tum versibus, ab eo scripta narrantur; unde liceat intelligere, summum illud ingenium, quamcunque in partem se dedisset, sui semper simile extitisse.

LV. SALUSTIUS SALVIANUS.

Celebratur illa Hippocratis, medicorum longe præstantissimi, sententia, quod natura hominibus, ad rerum artes, quæ sunt longissimæ, intelligentia usuque comprehendendas, vitæ spatium, qua fruerentur, in exiguum gyrum cursumque compulerit. Atqui, hanc Hippocratis de naturæ, in tradenda hominibus vita, tenacitate sententiam si quisquam alius, profecto Salustius Salvianus usurpare cum dolore ac querimonia potest. Qui, cum se ad artis medicæ studia contulisset, quæ longam exercitationem usumque requirunt, ingenii augendi declarandique tempus obtinuit: celeriter enim est mortuus. Sed quamquam ævi brevis, magnitudine tamen industriæ, qua ceteros superabat, est assecutus, ut diutius vixisse videretur, quam illi, quibus longissimum vitæ curriculum obtigit. Ut magis, naturam industriæ, quam industriam naturæ, defuisse, dici verissime possit. Etenim mature in summorum medicorum numerum venit, atque in Gymnasio Romano eam medicinæ partem est interpretatus, quæ morborum naturas & causas acute subtiliterque vestigat. Patrem habuit doctissimum, Tifernatem, qui Romæ, ubi Salustium filium genuit, in principibus medicis numerabatur; fuitque Gasparis illius Salviani frater, qui in ædibus Pauli Mancini, Humoristarum academiam instituit, eamque, quoad vixit, incredibili labore ac diligentia, summorum ingeniorum nobilitate, atque auditorum frequentia, florentissimam reddidit; qui omnes, quotquot erant Romæ, cujusvis ætatis atque ordinis homines, comprehensos amicitia habebat, obsequio retinebat, cum eis-

que

que sua omnia communicabat. At Salustius simultates cum Alexandro Petronio, civitatis Castellanæ medicorum nobilissimo, gessit, ob sententiarum, de quibusdam præcipuis medicæ facultatis capitibus, diversitates dissimilitudinesque susceptas; ac paratus erat, quemadmodum Gaspar ejus frater mihi narrabat, nisi mors intercessisset, ea fere omnia confutare atque refellere, quæ Alexander, in libris, de victu Romanorum, ad tuendam sanitatem, firma ac fixa debere esse tradiderat. Discipulorum suorum hortatu, ac precibus, atque adeo vi coactus est typis impressos libros duos edere, de Vrinarum differentiis, causis & judiciis, doctissime & eruditissime scriptos; qui libri, cum multa contineant, quæ ille, receptas aliorum sententias, quod cum experientia, rerum omnium magistra pugnent, est convellere, & labefactare conatus; & quia multa pro experientia, contra vulgarem doctrinam afferant, quæ neque ipse, si maxime velit, neque alii dissolvere queant; magnam in se sui ævi medicorum invidiam concitavit; quam ille, veritatis præsidio munitus, nihil est veritus. Ita enim ille, in epistola, quam ad Hippolytum Cardinalem Rubeum, cujus nomini dicavit illud opus, scripsit, aperte fatetur. Ob quarum dissimilitudiues opinionum, quas etiam, tum in publicis tum in privatis disputationibus, magna vi animi ac vocis tuebatur, omnes fere suæ ætatis medicos parum sibi æquos ac benevolentes habebat. Edidit etiam insigne volumen, de variis insaniæ generibus, eorumque curationibus. Nam Romanum valetudinarium dementium, aliquot annos, eo usus est medico. His adjecit, Variarum lectionum de re medica libros, non minore doctrina scriptos, quam superiores.

LVI. DEMETRIUS CANEVARIUS.

EX omnibus præclaris artibus ac disciplinis duæ in primis, studiosis hominibus fructuosæ quæstuosæque habentur, Medicina, ac Juris civilis scientia; elegantissimæ vero pulcerrimæque literæ, ut poësis & eloquentia, non modo nihil cultores suos quantumvis egregios competant & augent, verum etiam, nisi interea

ea aliquid prospectum illis fit, vel aliquo alio artificio tueri se properent, ad inopiam ac mendicitatem impellunt. Itaque illis omnes decedunt, honorem habent, divitias congerunt; hos vero omnes prætereunt, despiciunt, in pannis & inopia sordido vitam pane oblectare patiuntur; denique, nemo dignos eos existimat, in quos semel oculorum aciem adjiciant. Cujus rei ea in primis ratio potest afferri, quod illi corporum valetudini, vel patrimoniorum incolumitati, quæ prima apud mortales putantur, isti animum, quem plerique negligunt, excolere & ornare dicantur. Quod animadvertens Demetrius Canevarius, Therami filius, cum non solum doctrinæ adipiscendæ, verum etiam pecuniæ in primis faciendæ, cupidus esset, ac videret, medicos quosdam, mediocriter ejus artis instrumento instructos, intra paucos annos ad summas divitias pervenisse, quantumvis Genuæ nobili loco natus, ad medicinæ studia animum appulit, ad eamque, non ut quidam faciunt, nudus venit atque inermis, nulla cognitione rerum, nulla fere scientia ornatus, sed præclare a Latinis literis, ab exquisita rerum multarum eruditione, ac præsertim a Philosophia, in qua fere sunt omnia, instructus accessit; cujus præsidio ad intima medicæ artis cubilia penetravit, ac brevi in ea perfectus evasit. Nam primum Genuæ, in medicorum, nobilissimæ illius urbis, collegium cooptatus est; ad quod nemini adspirare licet, nisi, ad medicinæ scientiam, multarum etiam bonarum artium virtutumque societatem adjunxerit. Et quamvis urbs Genuæ, satis illi amplus atque honestus, gloriæ, quam sibi pepererat, alendæ augendæque, & pecuniæ sitis, qua æstuabat, explendæ, campus esse potuisset; tamen, sive quia audierat, quidquid ubique terrarum esset laudabile & honestum, quidquid ubique divitiarum contineretur, Romam, tanquam unum in locum, confluere, sive quia existimabat, minus eam laudem esse illustrem, quam non aulæ Romanæ judicium, quasi lumen accenderet, statuit arcem orbis omnium terrarum. Uni illius parti, coactum ex omnibus omnium divitiarum quasi fluminibus mare, unius illarum flumini, denique Romam Genuæ, anteponere. Itaque eo se contulit, & in urbe

Leonina, quæ, ponte, Romanæ adjungitur, apud Apostolorum Principis Ædem domicilium sibi constituit, in eoque annis quadraginta, hoc est, quoad vita suppeditavit, perpetuo mansit. At Romæ hominis ingenium simul aspectum & probatum est; itaque ille statim ad difficilium morborum curationes cœptus est adhiberi; in quibus fuit felix: nam plures, quorum salutis spes nulla supererat, pene ab orco reduxit. Quapropter multis summis Pont. multis Cardinalibus, carus extitit; sed Hieronymo de Ruere, Philippo Spinulæ, & Evangelistæ Pallottæ longe carissimus; qui Cardinales non alteri medico, quam illi, salutem suam tutius se credere posse existimabant. Secutus est deinde populi totius consensus; a quo certatim opera ipsius expetebatur. Unde magna illi dabatur faciendæ cogendæque pecuniæ facultas. Quam non ociosam domi habebat, sed statim fœnori locabat; neque id, quod ex fœnore collegerat, in usibus domesticis consumebat: sed rursus fœnori dabat; atque ita deinceps perpetuo faciebat. Et ad hanc tam exactam conficiendæ pecuniæ rationem, adjungebat incredibilem in omni victu parsimoniam. Vix enim tantum cibi adhibebat, quantum esset ad reficiendas vires satis. Sed cibus erat talis, ut intra angustissimos frugalitatis & abstinentiæ fines contineretur. Nullus apud eum erat cupedinariis, nullus aucupibus, nullus piscatoribus quæstus; nullum ejus mensam extruebat obsonium paulo unctius aut nitidius; nihil in eam inferebatur, quod lex Orchia vel Fannia, vel quævis alia sumtuaria posset reprehendere aut in crimen vocare; sed tantum quotidie ab anicula quadam, quæ habitabat ibi viciniæ, in prandium ac cœnam, panis ex jure & frustulum carnis illi parabatur; quæ canistro imposita, ipse per fenestram sursum subducebat corbulis. Cum erat illi opus vestibus, eas ex taberna aliqua vestiaria novas petebat, sed parvo sumtu; ab Hebræis, obsoletas & attritas emebat. Cum igitur ad lucrum illud, quod quotidie ab ægris curandis referebat, illud etiam, quod ex quotidiano victu, suum defraudans genium, comparserat, influeret, eam vim pecuniarum conflavit, ut medicorum omnium, qui erant Romæ, longe ditissimus ac locupletis-

tiffimus haberetur. Verum hujus tam parce parci parsimonia passa est se vinci ab ingenti quadam gloriæ cupiditate ac nominis; quod se adepturum existimabat, si nobilem Genuæ bibliothecam instituisset, omni librorum optimorum copia refertam, quæ generi esset monumentum ac sibi. Rem miram; cum pumex non æque sit aridus, atque ille erat, ut nullam, nisi in res oppido necessarias, argenti guttam expueret, in libris tamen comparandis, quibus bibliothecam, quam excitarat, extrueret, non parcissimus ut in ceteris rebus, sed effusissimus inveniebatur; non tamen, ut nummos, libros carius emendo, profunderet, immo eos sæpe multo minoris quam essent, bibliopolis querentibus, & injuriam sibi fieri clamantibus, auferret. Qui bibliopolæ, quamvis inviti, ideo ad ejus pactiones conditionesque veniebant, quia ille non credita sed præsenti pecunia, qua illis erat opus, emebat. In qua bibliotheca tantum sibi, apud posteros, decoris ornamentique fore existimabat, ut ducentena illi scuta quotannis testamento legaverit, qui summam daret operam in ea custodienda expoliendaque, ne videlicet libri mures aut blattas pascerent, neve ab aranearum telis, vel a pulvere, detrimenti quidquam acciperent. Cujus testamentum, ob numerum legatorum, ac rerum multitudinem quas post suam mortem fieri mandabat, tam multas paginas complectebatur, ut voluminis cujusdam instar habere videretur. Secundissima semper fuit valetudine; nihil enim in eo erat, nisi siccum & sanum; nam, quæ, in tam tenui parcoque victu, vitiosi cujuspiam humoris exuperantia poterat, ad creandos alendosque morbos, oriri? tamen ajunt (si vera est fama, neque id illi, falso, ridiculi jocique causa, ut mihi videtur, affingitur) valetudinem illum suam, quasi navem, ad morbum nescio quem, tanquam ad aliquem scopulum, offendisse. At ego, ut dixi, falso ad illud dedecus injectum eum fuisse existimo, idque, vel ab urbano facetoque aliquo homine excogitatum, ut risum moveret, si ea, quæ in ea illius parsimonia & in iis moribus incredibilia essent, salse ridiculeque narrasset, vel ab invido malevoloque quopiam effictum ac divulgatum, cui insignis illius virtus & industria esset

odio atque molestiæ. Multa scripsit ediditque, in quibus manifesto appareat, quantum vir ille ingenio, eruditione, doctrinaque præstiterit: ut sunt, de rerum naturalium ortu atque interitu, ad Octavianum fratrem; de primis rerum a natura factarum principiis; de hominis procreatione; ars medica, seu methodus curandorum morborum, affectuumque præter naturam, qui corpus humanum affligunt; agnoscendarum, præsagiendarum curandarumque febrium omnium methodus rationalis, artis medicæ præceptis instituta; de ligno sancto, adversus pseudolignum sanctum, nuper in Italiam delatum; quam disputationem tum ab eo institutam fuisse ajunt ii, qui ejus laudibus detrahere quoquo modo conantur, cum eo implicitus, quem diximus, morbo decubuit. Quod, quam alienum sit, superfluum est ac non necessarium, exponere; neque hujus tam manifestæ calumniæ aliqua a nobis mentio facta esset, nisi nobis propositum ab initio fuisset, omnia persequi, quæ ad veram cujusque ingenii formam exprimendam pertinerent, eaque refellere, quæ, illi falso objecta, ejus pulcritudinem deturparent. Non fuit in illo Latine scribendi accurata ac diligens elegantia; sed neque est admodum inquinate locutus. At mirum fuit in differendo acumen, in re explicanda perspicuitas, in judicando prudentia. Longa ac lenta demum est febri Romæ consumtus. Illud etiam memoratur admirandum ejusdem parsimoniæ exemplum, quod biduo, antequam animam efflaret, quum vetula quædam, quæ ipsi ægrotanti operam dabat, ovum recens exsorbendum præbebat, novam ex armario mappam exprompsisset, qua os abstergeret, hoc ille animadvertens, continuo, Quænam, inquit, te mala crux agitat, ut mappam, nullius adhuc usu deteriorem factam, mihi contaminandam præbeas? numne aliæ veteres & obtritæ deerant? abi hinc in malam rem, pessima.

LVII.

LVII. FULVIUS TESTA.

STyli novitas, tum in soluto sermone tum in versibus, si adsit ratio judiciumque, quemadmodum hominum sibi favorem studiumque concilict, & quam magnam imitatorum familiam secum adducat, Fulvius Testa Mutinensis ostendit. Hic enim, quod ante ipsum pauci tentare sunt ausi, ex Græcis ac Latinis poëtis, Odas, ad Etrusci sermonis elegantiam, est transferre conatus: & res illi bene ac feliciter cecidit. Ac mihi videtur Statium in primis imitatus, orationis gravitate, verborum splendore, & ornata sententiarum concinnitate. Eum igitur, ad summam poëticæ facultatis gloriam properantem, incredibilis quædam, ac prope divina, vis ingenii, a communi atque omnium fere contrita itineribus via abreptum, eo abstraxit, ubi nemo, ante ipsum, vestigium impresserat, ac novam, & in primis laudabilem, sibi scribendi rationem invenit. Quod ubi ex ejus scriptis palam est factum, rei novitate, non minus omnium in se oculos atque ora convertit, veluti lumen aliquod, quod, quamvis ex vaporibus & exhalationibus terræ conflatum, in cælo novum apparet: ita ut in Gymnasiis, in Academiis, in eruditorum conventibus, quidquid emanasset ab ipso, si legeretur, continuo clamores & admirationes efficeret, & adolescentium præsertim studia, ad illius imitationem incenderet, ut nimirum, ipso duce, eo venire contenderent, quo sine duce ille pervenisset; atque sibi beatus esse videretur, qui quam maxime illum imitando posset effingere. Quæ scribendi novitas, cum omnibus, quemadmodum dixi, plausibilis esset, tum iis in primis admirabilis visa est, quos eadem, atque illum, cupido ac voluntas incesserat. Erant tum quidam, summo a natura ingenio, ad omnia præstantissimarum artium studia facti; hi, tanquam fœdere quodam inter se icto, in id coierant, ut illud, tum recentiorum tum veterum scriptorum, tanquam vulgare, obsoletum, ac vile, repudiarent atque respuerent, in quo purus, incorruptus, nullaque insolentiæ & obscuritatis fæce inquinatus sermonis can-

dor ac nitor elucesceret, illudque tantum probaretur, quod ex ipsorum officinis prodiisset. Ac principem in eis locum obtinebant, Virginius Cæsarinus, Jo. Ciampolus, aliique, qui cum adhuc superstites sint, a nobis prætermittuntur. Ac Ciampolus, cum die quodam, una cum eruditis quibusdam, animi causa, tota urbe circumferretur, incidissetque sermo de scriptoribus Latinis, qui Ciceronis seculo floruissent, cœpit, joci & amœnitatis gratia, Catullianum illum hendecasyllabum recitare:

Cui dono lepidum novum libellum,
Arido modo pumice expolitum,
Corneli?

ac, postquam effusissimos risus edidisset: Si quempiam, inquit, e triviis & e foro, plebejum arriperetis, possetne humilius atque obsoletius loqui? Id cum quidam, qui eadem rheda vehebatur, audiisset, usque adeo elatus est ira stomachoque, ut se præcipitem e rheda in terram ejecerit, sermonem segregaverit, ac domum abierit. Referebant illi, in suum ipsorum numerum, Urbanum VIII; credo, ut ab illo gratiam inirent, non autem quod re vera ita existimarent. Etenim nihil in ejus scriptis offendi, nisi purum, dilucidum, perspicuum; nihil, quod a veterum, eruditissimi illius Ciceronis seculi, scriptorum exemplo ac sanitate abhorreret: immo, cum quidam carmen, nescio quod, ad Virgilii similitudinem scriptum, attulisset, lectum laudavit, &, Gratiæ sunt, inquit, Deo habendæ, quod aliquis inveniatur, apud quem vetus illa & sana scribendi ratio non exoleverit. Illi igitur ceteris spretis ac repudiatis, novum sibi ad Parnassi verticem iter invenerunt, sed non eadem felicitate qua Fulvius. Hic enim pulcram, facilem, amœnam, jucundam, omni florum herbarumque varietate conspersam viam sibi constravit; illi vero scruposam, salebrosam, arduo ac difficili ascensu semitam, in qua vix liceat consistere, aperuerunt. Quocirca istorum poëmata, quamvis egregia, paucos amatores & imitatores inveniunt: constant enim ex constructis abditisque sententiis, multorum interpretum opera eruendis, paucorum approbatione, denique Clarii, Græci illius poëtæ, operis similia, quod illum, opus in magna audito-

torum corona legentem, omnes deseruerunt, præter Platonem, neque tamen, a corona desertus, deterritus est, legitque nihilominus; quod diceret, Platonem sibi instar omnium esse. At vero Testæ opera ab omnibus amantur, expetuntur, leguntur, discuntur; ac beatus sibi videtur, qui, apta ac diligenti imitatione, ad illius scribendi venustatem majestatemque propius possit accedere. Multa scripsit graviter atque severe; ut, virorum principum, & illustrium amicorum laudes, de inconstantia ac varietate fortunæ, de rerum humanarum brevitate fragilitateque; ita tamen, ut ad illam severitatem gravitatemque, suavitatis ac leporis multum influeret. Multa etiam jocose & hilariter edidit; ut, mulierum quarundam formosarum laudes, amores, atque alia ejusmodi; a quorum tamen amœnitate jucunditateque gravitas ac majestas omnino non abest. At hic vir summus, quemadmodum in tribuendis sibi animi ingeniique dotibus, naturam habuit, ut ita dicam, prodigam atque profusam, ita etiam ceteris in rebus ea usus est parca, neque ita commoda ac benigna. Etenim neque summo nec illustri ortus est genere, sed primus ipse, sua virtute, splendorem ac claritatem in illud intulit. Quamvis non adeo humili obscuroque natus sit loco: patrem enim habuit vestiarium, &, ut in ea civitate, ditem. At Fulvium animi, qua præstabat, magnitudo atque nobilitas taberna pannaria, atque ex ea parum liberali pecuniæ faciendæ ratione, foras ejecit, & ad literarum studia transtulit. In quibus quos progressus fecerit, sine mea vel alterius cujuspiam oratione, ex scriptis quæ reliquit, & ex fama quam sibi peperit, patet. Ac primo, in aula Ducis Estensis, illi, qui erat Duci a secretis, in exscribendis epistolis operam navavit. Itaque eum ille habuit ad manum, scribæ loco. Verum ejus virtus clarius explendescebat, quam ut loci illius, quem tenebat, humilitas pateretur. Ideo majore habitus est provincia dignus; simulque ejus rei occasio se dedit, ex amanuensi in ejus locum suffectus est, cui arcanorum omnium summa imminet, & imperium in ceteros amanuenses habet. Neque hoc Duci visum est satis: nam in concilium eorum consiliariorum, etiam admitti eum placuit,

cuit, ad quos de pace, de bello, deque universa Republ. refertur, ut togati suam iis de rebus sententiam & consilium exponant. Quas ille partes, fide, integritate, prudentia, est egregie tutatus. Regnabat ea tempestate in Ecclesia Romana Urbanus VIII Pont. max. qui poëta & ipse summus, Fulvii ingenio plurimum delectatus, eum, propter virtutem, in amicorum suorum numerum admiserat; cumque mittendus esset aliquis Romam, qui, Residentis auctoritate ac nomine, Ducis negocia procuraret, nemo visus est magis idoneus ad id munus, quam Fulvius; quod spes erat, ob eum amicitiæ locum, quem apud Pontificem teneret, omnia illi, quæ ageret, ex sententia successura. Neque spem, quæ de ipso erat, fefellit. Nam ita Romæ se gessit, ut magni ejus opera æstimata sit. Tum, eodem etiam cum honore ac munere, Ducis jussu profectus est in Germaniam ad Ferdinandum Cæsarem, magnis de rebus, in quibus agendis nihilo magis passus est desiderari a se fidem, diligentiam, integritatem, atque prudentiam suam; sed munus sibi delatum, iis quas diximus virtutibus, sed eundo, ita se præstitit, ut pulcre Dux ille, quanto sibi istu esset ornamento, sentiret. Sed virtutum earum splendore in Hispania, quo fuerat missus, magis enituit. Quem Rex ille ita suscepit, ut vehementer sit admiratus, & honoribus officiisque pluribus prosecutus. Etenim Comitis titulo affecit, & honorariæ, S. Jacobi militiæ insignibus eum cohonestavit, &, quod raro vel numquam Italis hominibus contigit, Commenda, quam vocant, donavit, unde centena quotannis & plura scuta perciperet. Non minimam etiam Mutinensis Imperii partem, a Duce sibi traditam, prætor obtinuit; eam in primis, quæ Lucensium, aliorumque finitimorum Principum regiones attingit. Quam etiam, magna fidelitatis justitiæque cum laude administravit. Denique, ita delatos sibi honores potestatesque, quæ dabantur a Principe, in cujus ille ditione atque imperio erat, gessit, ut suam semper eidem fidem, studium, diligentiamque præstiterit. Sed nescio, quo modo, extremis temporibus, ab officio, a fide, a pietate, atque adeo a se ipso discessisse visus est. Etenim in suspicionem proditionis ve-

venit, quod nimirum arcem quandam, loci natura manuque munitam, Hispanis tradere constituisset. Augebant suspicionem plurima in ipsum Hispanorum merita; studium ac diligentia, qua illorum amicitiam coluisset, a quibus, iis etiam quæ accepisset, majora speraret. Id Romæ Cardinali Estensi, Ducis fratri, primum oboluit; tum leviter pressis vestigiis, ad intima ejus rei cubilia licuit pervenire. At Cardinalis tale periculum haud occultum habuit, sed citatis equis Mutinam se contulit, atque de arce Hispanis a Fulvio tradenda, quæ & quomodo audierat, fratri narravit. Qui, quemadmodum æquum erat, eum, cujus consilia incertum utrum falsa an vera prodita essent, in custodiam dari mandavit; ubi de eo habita quæstio dicitur. Quem autem res eventum habuerit, nobis ea res, pro magnitudine, parum comperta est. Illud quidem pro certo traditur, hominem in vinculis finem vitæ fecisse; non item vero, proclamatum ipsum proditionis reum.

LVIII. BERNARDUS DE AVANZATIS.

MAximum atque firmissimum eloquentiæ fundamentum illud semper est habitum, quod in verborum optimorum electione constitueretur. Itaque illi melius ceteris loqui ac scribere dicuntur, qui verbis quam lectissimis utantur. Verba autem omnia, quibus formatur oratio, in quadruplici ratione versari, docent ii, qui recte loquendi scribendique præcepta literis consignata mandarunt. Nam quædam sunt usitata, ea nimirum, quibus consuetudo nostra utitur; quædam prisca & vetusta, & ab usu quotidiani sermonis jam diu intermissa; quædam nova, quæ a nobis ipsis gignuntur ac fiunt; postremo translata, quæ inopiæ primum causa, cum verbum alicujus rei proprium non sit, tum delectationis jucunditatisque gratia, aliunde sumuntur. Atque, omissis ceteris, verba inusitata, tanquam obsoleta, atque a communi usu remota, ab oratione nostra rejicienda esse docemur, neque iis uti, nisi in longo carmine. Nam sunt licentiæ poëtarum liberiores quam oratorum; ac raro habet in soluta oratione priscum ali-

quod verbum dignitatem. Atque ab his sapientibus Rhetorum præceptis institutisque non minimum mihi aberrasse videtur Bernardus de Avanzatis Florentinus, magno vir ingenio, exquisitaque eruditione, qui Cornelium Tacitum, summum historicum, ex Latino in vernaculum sermonem convertit. Ita enim est frequens in verbis jam pridem a communi usu loquendi relictis atque sepositis usurpandis, ut facilius ab eis, qui Latinis literis vel leviter sint imbuti, Cornelius intelligatur, quam ipse Bernardus. Etenim in Cornelio, præter insignem quandam brevitatem, quæ interdum orationi tenebras affert, nullum verbum invenias, nisi usitatum, nisi Ciceronis ætate, in qua Latine scribendi maturitas extitit, celebratum, nullum, nisi longe remotum ab iis versibus, quos olim Fauni vatesque canebant, ut sapienter mihi factum videatur ab iis, qui Bernardi opus post ejus e vita discessum, imprimendum curarunt, ut Latina Cornelii verba cum Etrusca illius interpretatione conjungerent. Funguntur enim interpretis cujusdam vice illis, quibus Bernardi verba minus sunt nota. Et in his non Italos solum, cujusvis illi sunt civitatis, sed Florentinos etiam enumero. Audivi ego Franciscum Nicolinum, Florentiæ summo genere natum, qui multos annos hic Romæ, magni Ducis, oratoris functus est munere, a quo etiam Avanzati librum dono mihi datum accepi; audivi, inquam, cum diceret, se, quoties in aliquo illius auctoris verbo, quod nunquam ipsius aures accepissent, hæreret; quod sæpissime contingeret, continuo ad Latinam ipsius Taciti historiam confugere, ejusque auxilio, saltem suspicione, assequi, quid verbum illud significaret. Quod ego duabus, ni fallor, de causis ab Avanzato factum existimo: primum, ut Taciti in scribendo brevitatem imitaretur; existimavit enim, se eam aptius expressurum priscis & obscuris verbis, quam usitatis & illustribus: deinde, quod arbitraretur, sermonem Etruscum, non eadem, qua ceteræ sunt res mortales, conditione præditum esse; quarum ea natura est, ut ex iis mors aliquid quotidie decerpat, vel saltem senectus quodam eas situ obducat, ac deteriorem earum usum efficiat; itaque quæcunque ab ejusdem exorientis quasi

quasi incunabilis peperit usus, integra, inviolata, incorrupta manere, nullum ab ea verbum, tanquam ab arbore folium, suo destitutum ab humore, decidisse, nullum mortis, omnia intercipientis, imperio datum orco fuisse, nullum venustate saltem obsolevisse. Quorum neutrum mihi probari aliquo modo potest. Primum, cur non potuisset Taciti sententias, ea qua ille usus est brevitate, usitatis verbis, quemadmodum ille fecit, amplecti? ac tum fuisset, Tacitum imitari, vel, ut ejusdem Bernardi laudatores asserunt, vincere. Tum, si Tacitus honestum & gloriosum sibi putasset, nullum Latinum verbum, jam inde ab ejus linguæ ortu usque ad sua tempora natum, a se rejicere, vel potius, studiose ex vetustatis quasi ruderibus erutum, suis scriptis inserere, nullum profecto verbum reliquisset ex iis, quæ in duodecim tabulis reperiebantur, vel quibus M. Valerius Dictator plebem prope ripam Anienis, ad tertium milliarium considentem, sedavit, vel quibus Appius Claudius senatum jam inclinatum, a Pyrrhi pace revocavit: quamobrem, non ad Italos, non ad Romanos, sui temporis, a quorum intelligentia verba illa penitus aberant, sed ad pastores Romuli, sed ad Aborigines scripsisset, atque Bernardum, ejus in Etruscum sermonem vertendi, labore levasset, cum verbum prorsus in eo nullum intelligeret, qui similiter mihi videtur, cum tantopere antiquitatem imitari studeat, suam Cornelii Etruscam interpretationem, non Italis, non Etruscis, non Florentinis, qui aperte, eam se linguam non nosse, fatentur, concinnasse, sed iis, qui longo intervallo, ante Dantis Aldigherii ætatem vixissent, commendare voluisse. At Jo. Boccatius & Franciscus Petrarcha, quorum præstantissimis ac prope divinis ingeniis sermo Etruscus, ea verborum elegantia, iis ornamentis auctus ac locupletatus est, ut supra addi nihil possit, propius ab antiquitate aberant; annis enim plus quam trecentis ante nos fuerunt; & tamen nulla major ab eis opera data fuisse videtur, quam ut omnem priscorum verborum fæcem a suis scriptis removerent, ne purum ac limpidum ipsorum orationis flumen aliqua ex parte infuscarent. Quibus præsertim ob hanc causam arbitror primas ab omnibus

bus sine controversia deferri. Inferunt se quidem interdum in ipsorum sermonem verba aliqua paulo antiquiora; sed ea miram habent venustatem; &, quia loco sunt posita, adeo omnium intelligentiæ sunt obvia atque aperta, ut nulla fere interpretis cujusquam ope auxilioque indigeant. Ideo nulla est in Italia civitas, quæ ita barbare, ita inquinate loquatur, quin eos legat, intelligat, admiretur, ediscat. Ideo, qui post istos venustissimos politissimosque scriptores, se ad scribendum contulerunt, tum id elegantius & laudabilius se esse facturos existimarunt, si proxime ad illorum imitationem accederent. Ex hoc numero fuerunt, Petrus Bembus, & is quem Florentini ipsi summis in cælum laudibus efferunt, Jo. Casa, quod sit præclare locutus, & plusquam ceteri, Franciscus Guicciardinus, scriptor historiarum eximius, & cum Thucydide & Herodoto conferendus, qui a suis annalibus, gravitate prudentiaque plenissimis, omnem vetustatis rubiginem situmque procul esse quam longissime voluit, neque verbum ad eos quodpiam accedere, quod putridam illam ac rancidam antiquitatem redoleret. Cui etiam illi, qui eidem sunt iniquissimi, in primis quinque libris, quos eruditi cujuspiam viri lima perpolitæ fuisse contendunt, omnem Florentini sermonis elegantiam, concinnitatemque concedunt; in ceteris libris non item, quos, nullius censuræ, ut priores quinque, subjecerat. Vere, an secus, nihil ad hoc tempus. Atque illius potissimum scribendi rationem, utpote prudentem, severam, gravem, & ab ineptiis in primis abhorrentem, mihi videntur, in Italia, omnium virorum principum aulæ fuisse secutæ, tum literis dandis, tum in rebus maximis atque gravissimis explicandis. Sed per Deum immortalem, quænam hæc est ratio, quod consilium, ut, quæ tanto cum labore ad pubertatem, vel potius maturitatem perfectionemque perduximus, ea rursus velimus ad infantiæ annos, suaque ad initia rudia atque impolita, reducere? vel quænam est tanta, ut Tullius inquit, in hominibus perversitas, ut, inventis frugibus, glande vescantur? At Bernardum aliosque video, qui in hac eadem, qua ille, sunt hæresi, studio ac caritate patriæ adductos, extincta jam vo-

vocabula ab orco reducere, ut linguam suam locupletiorem efficiant; ut ejusdem, ut ita dicam, ærarium nummis, hoc est, vocibus quam plurimis, impleant. Laudo pietatem; sed habet ea quoque res rationem modumque. Etenim, ii primum nummi sunt cogendi, quos communis usus in emtionibus ac venditionibus admittat; videlicet, ut vocabula sint ejusmodi, quibus nostra vendere valeamus, neque rejiciantur, eo quod non sint præsenti, ut inquit Horatius, nota signata. Deinde cavendum est, ne videamur nummulos plumbeos, quibusque nullum est pretium, velle pro aureis ac pretiosis obtrudere.

LIX. TRAJANUS BOCCALINUS.

EA Philosophia, quæ est de moribus, variis elegantissimisque rationibus ab ejus magistris & inventoribus introducta est in hominum cœtus, quibus maxime erat necessaria. Nam cum antea ii, quibus præstantissimum a natura ingenium tributum fuerat, illud a communi hominum vita, & a recta vivendi ratione, cui in primis hærere æquum fuerat, abductum, in cœlum traduxissent, toti in variis astrorum atque orbium cælestium motibus observandis contemplandisque versabantur; quæ res nihil plane ad extrahendum e vitiorum sordibus animum, atque ad virtutis studium traducendum, in quo sunt omnia, pertinet. Quo fiebat, ut, cum in iis rebus, quæ supra ipsos erant, defixos oculos & intentam cogitationem haberent, non aspicerent ea, quæ ante pedes essent; ac fœde turpiterque prolabentes, variis se erroribus inquinarent inficerentque. Princeps ex omnibus Socrates, Philosophiam e cælo deduxit, & variis doctissimisque sermonibus, in civitatibus collocavit. Quos sermones Plato, ea quæ præditus erat eloquentia, literis consignatos, omnium seculorum posteritati mandavit. Etenim cum se fingeret eum esse qui non erat, videlicet rerum omnium ignarum ac rudem, omnemque iis sapientiam, qui eam sibi arrogabant, attribueret atque concederet, hac ironia, multa percontando interrogandoque, quanto illi in errore versarentur,

tur, aperiebat, &, quid in unoquoque verissimum esset, eliciebat. Consecutus deinde est Aristoteles, qui, quo ingenii acumine rerum naturalium causas naturasque perspexerat, eodem, quæ ad mores hominum spectant, aspexit, totamque hanc de moribus disciplinam, methodo ac ratione disposuit. Inventi sunt etiam ii, qui rudibus fabularum corticibus magnam sapientiæ vim includerent; quibus corticibus (ut in juglandibus & avellanis nucibus accidit) quasi fractis remotisque, nucleum essent, hoc est, quasi per ludum jocumque, quod ipsis esset ex usu, perciperent. Principem in ejusmodi philosophantium genere locum obtinuit Æsopus Phrygius. Hic quum animantibus, ratione carentibus, fandi disserendique facultatem attribuit, ex iis, quæ inter ipsos acta finguntur, aliorum exemplo, homines docti, paratiores ad sibi cavendum evadunt, & inprimis cavent, ne quid a rationis imperio discedentes admittant, cujus eos postea pœniteat. At temporibus istis, in quibus versamur, ortus est alius non inelegans neque invenustus vitæ morumque magister Trajanus Boccalinus, vir acri ingenio, ad jocandum cum aliquo maledicto facetus, omni elegantia doctrinæ excultus. Hic librum scripsit, in quem omnia in monte Parnasso acta, ac Romam perlata, referuntur, nempe sententiæ ab Apolline, poëtarum ac literatorum principe latæ, decreta interposita, præmia viris bene de Republ. meritis decreta, pœnæ in improbos constitutæ; aliaque varii generis multa, quibus vitia designabantur, quorum invidia tum civitas flagrabat, iniqua judicia, quibus insontes circumveniebantur, aperiri constabat, supplicia, quibus hominum fraus & improbitas ad perniciem, virtus vero ac probitas ad laudem & præmia, vocanda essent, ostendebatur; denique, multorum contumacia, superbia, avaritia, luxuria, atque alii pessimi mores in odium contemtionemque adducebantur. Sed, quemadmodum Terentio malevoli objiciebant, ipsum, in fabulis faciendis, Scipionis Africani, Lælii qui dictus est sapiens, & Furii Pii, opera uti, assidueque cum illis una scribere; ita etiam de Trajano fama distulerat, in his actis referendis homines nobilissimos socios & adjutores habere. Verum id sibi non

mi-

minus laudi ducebat, quam Terentius, qui gloriosum sibi putabat, id quod malevoli quasi maledictum vehemens existimabant, ac fit verisimile hæc cum illis eum communicasse, quibus, ad notanda & animadvertenda aliorum vitia, eadem esset voluntas atque propensio. Sed eatenus hæc ejus in notandis animadvertendisque hominum moribus libertas ferri tolerarique potuit, quoad ille in iis tecte ac leviter sub illis ambagibus perstringendis sese continuit, neque certorum hominum conditionem & statum expressit: verum, ubi acumen styli, ad verberandam violendamque Regum maximorum majestatem, aperte convertit, dignus visus est habitus, cujus audacia atque temeritas gravioribus pœnis coërceretur. Scripserat enim librum, cui Lydii lapidis nomen indiderat; ubi conabatur ostendere, Regis tum omnium maximi ac potentissimi opes ac vires non esse ita magnas, ut hominum ferret opinio, sed facile deleri posse, si quis alius Rex ad eas infringendas ac labefactandas accederet; & simul rationem, quamobrem id fieri posset, aperiebat. Itaque die quodam, Venetiis, ubi se maxime tutum fore sperabat, a quatuor vel sex militibus, ut ajunt, circumventus, ad pulsandos verberandosque homines validissimis, & adeo ab illis, sacculis plenis arena, contusus commitigatusque est, ut ex ea verberatione supremum vitæ diem obierit, nec Apollo potuerit, cui somnum rerum omnium arbitrium tribuebat, ab eo infortunio incolumem eum præstare, nec perficere, quin styli pœnas daret: ac fortasse eam ab illius capite pestem avertisset, si res acta fuisset in monte Parnasso, ubi ille regnum obtinere dicitur. Sed quia Venetiis, quo Apollinis imperii fines non pertinebant, ea ille affectus contumelia fuerat, ideo nullam ab eo opem auxiliumque potuit accipere.

LX. ALEXIUS DE ALEXIIS.

ADmodum raro, vel nunquam, ut Petronius ait, præclara ingenia ab aliqua stultitiæ admistione sejuncta cernuntur, stultitiæ autem nomine, non solum hominum ineptias, eorumque omnia dicta vel facta, quæ

quæ ob deformitatem aliquam rideantur, intelligo, verum etiam vitia atque peccata complector. Nam sapiens, qui opponitur stulto, nunquam a recta rationis via deflectit; quod faciunt ii, qui vitiis possidendos se tradunt. Quemnam enim præstanti ingenio virum invenias, ex poëtis præsertim, in quibus ingenii vis major elucet, qui turpissimis plerumque vitiis obligatus constrictusque non detineatur? ut, non immerito Ludovicus Areostus in quadam satyra, deplorans miseram temporum suorum conditionem, dixerit, raro virtutem a vitiorum flagitiorumque societate distractam inveniri. Verum hæc querela non magis suorum erat temporum, quam nostrorum, atque ætatum fere omnium. Hac vero ætate, in qua versamur, haud scio, an quisquam ex iis, qui ab ingenii præstantia commendantur, vel cerebrosior extiterit, vel ad majores ineptias stultitiasque descenderit, quam Alexius de Alexiis, Romanus. Hic, ab ineunte ætate, elegantibus literis excultus, Philosophis ac Medicis instituendum erudiendumque se dedit, atque a Marsilio Cagnato, doctore eximio, medendi artem accepit; tum, in eadem se exercendi, a Collegio Medicorum, potestatem obtinuit; jamque medici partes, ægrotis curandis & ad sanitatem perducendis, exequebatur; cum ab equite quodam levis armaturæ, ex prætoriana Pauli V Pont. max. militia, gravi est affectus injuria; qua vehementer offensus, medici habitum, una cum ægris medendi exercitatione, abjecit, &, quo injuriam sibi factam persequeretur, latus ferro præcinxit, ac militari propemodum ornatu incedens, perditissimis adolescentes moribus arcta sibi familiaritate devinxit; quorum consuetudine assuefactus, eatenus progressus est, ut congerronum illorum quasi grege coacto, quorum erat ille princeps, utpote nugator in primis, Roma discederet, ac totam Sabinam ac Latium, circulatoris more, lustraret, &, simul ac urbem aliquam ingrediebatur, continuo populum ad coronam vocabat, atque ea, qua valebat, eloquentia, quam vulgus in verborum cursu nusquam insistente, tanquam amne præcipitante, positam esse putat, tantam ejusdem ad se multitudinem attrahebat, ut eam forum, in quo nugabatur, non caperet;

ret; tum, ridiculis atque facetiis, quibus abundabat, ita hominum cœtus, qui convenerant, detinebat, ut nemo, nisi ipso abeunte, discederet. Ac ridiculam in primis Neapolitani ex plebe personam agebat, quam vel Pascharellum vel Coviellum appellaret; quam ita scite, ita venuste, ita ad similitudinem veri, repræsentabat, ut Throuum ac Cucumerùm, qui tum in circulatoribus primi numerabantur, & sermonis proprietate & facetiis, & ridiculorum copia dictorum, superaret. Memoria vero erat tanta, ut in hac parte animi, quæ custos est ceterarum ingenii partium, adeo studiosis hominibus necessaria, neminem ejusdem ætatis cum illo conferendum putem; quo fiebat, ut, cum concionatorem aliquem attentius audisset, statim cunctas ejus orationis non modo sententias, verum etiam verba, ad unum omnia repeteret. Id quod die quodam ostendit in cœnobio Fratrum Capuccinorum, quorum ille ægrotantium morbis medebatur. Conciones, eo anno Romæ ad populum habebat F. Capuccinus quidam Aquitanus, magno hominum omnis ætatis atque ordinis concursu; quem concursum & dicendi ridiculum genus, & gestus ab scena & histrionibus, faciebat. Hujus cum insignem quandam concionem auribus accepisset, paulo post, joci & hilaritatis causa, eandem Patribus illis habuit; in qua referenda non solum rerum ordinem ac numerum, iisdem plane verbis quibus ille, servavit, verum etiam ita Aquilanum ipsum, oculis, voce, gestu, imitando effinxit, atque ita expressit, ut memoriam admirarentur omnes, ingenium agnoscerent. Sed cum jam ille ab eo ætatis ludo & ab improborum hominum familiaritatibus discessisset, seque ad ingenium bonum recepisset, eo animi ardore & alacritate, ad intermissa medicinæ artis studia rediit, ut, quantum eidem penitus cognoscendæ detraxerat temporis ludus ætatis, tantundem etiam laboris industriæque tribuerit discendi studium, ut doctissimus atque in Hippocratis disciplina perfectus evaserit, ex ejusque quasi ludo plures egregii in hoc artis genere exirent discipuli, vel summi potius artifices atque magistri; quorum ego singulorum laudes libenter exponerem, nisi vellem mihi constare, ut

de iis, qui nunc sunt, nihil, nisi coactus propemodum, dicam; quemadmodum nunc mihi usu venit in Petro Servio Spoletino, cujus laudem summam & vicinitatis ratio, & amicitiæ necessitudo, ejusdemque summa erga me merita, cogunt me, breviter ac strictim attingere. Hic medendi artem ab illo didicit, sed quæ ab illo didicisset, ad usum, qui omnium magistrorum præcepta superat, transferendi, in nosocomio S. Spiritus in Saxia, ubi, multis abhinc annis, ægrotos curat, quotidianis exercitationibus summoque studio & diligentia est consecutus; præstat judicio, quod fere continet omnia. Nam cum genera morborum, causas, eorumque remedia, pulcre noverit, curationes, singulis morborum generibus opportunas, loco ac tempore adhibet. Ejus eruditio non exiguis facultatis unius terminis definitur, sed longe lateque excurrens, varias artium pulcerrimarum quasi regiones amplectitur. Itaque ejus oratio, quamcunque in oram disputationis delata est, in ea docte scienterque versatur. Plures, variis temporibus, libros edidit, in quibus, præter exquisitam elegantemque doctrinam, puri atque incorrupti Latini sermonis cultus ac nitor elucet: utinam secunda uti valetudine posset (nam cum adversa eum sæpius conflictari contingit,) profecto multa, quæ egregie habet inchoata, perficeret; unde liceret intelligere, quantum ille pluribus sui ævi, ingenio, doctrina, prudentia, ac rerum experientia, usuque, anteierit. Sed redeamus ad Alexium, qui, postquam rediit ad sese, splendido atque eleganti vitæ usus est genere. Etenim nihil unquam de eo, quod sua industria pepererat, comparsit, suum defraudans genium, sed totum, ad se nitide lepideque curandum, large fundebat; contra vulgarem atque usitatum medicorum morem, qui naturæ ac necessitati fere omnia denegantes, præterquam eorum dignitas conditioque patiatur, parsimoniæ student, ut amplum hæredibus patrimonium relinquant, qui, longe diverso ab ipsis animo, suis sumtibus, illorum alant expleantque luxuriem. Discipulorum gregem ducebat secum, ut artis, quam ab ipso didicerant, præcepta, ægrotantium cubilibus obeundis, ad usum exercitationemque conferrent, & tanquam

ex umbra in pulverem solemque perducerent. Etenim multos annos valetudinarium familiæ Fratrum Joannis Dei, in insula Tiberina, suæ solicitudini curæque commissum habuit, ex cujus exercitationis quasi palæstra, complures egregii ac præstantes medici prodierunt. In his Benedictus Aquilanus. Erat comis, benignus, humanus, liberalis, in communi amicorum vita, hilaris, festivus, jucundus, & amœnitatem omnem exercens. Narrat vir quidam, genere, opibus, divitiis, ac præstantia dignitatis, longe multis excellens, nocte quadam, domum suam, multas mulieres nobiles, ac præstantes dignitate viros, animi scilicet causa, convenisse, adfuisse etiam Alexium, qui aliquandiu; credo, ob eorum, qui aderant, dignitatem; non erat ausus sermones cum illis miscere, neque ullam partem orationis persequi ea libertate, qua solitus erat; sed tandem, provocatum illum, vel potius coactum, ex tempore, ea facundia, ea venustate atque lepore, cœpisse dicere, ut omnium, qui audierant, admiratio consequeretur, ac nobilissimus ille conventus, redundaret hilaritate & joco. Omnes Hippocratis sententias intelligentia perceptas & memoria comprehensas habebat, neque, in curandis corporum morbis, ab illius disciplina, ne minimum quidem, aberrabat, ut vix alter inveniretur, in quem melius Hippocratici nomen conveniret. Habebat etiam hoc, sive a natura sive ab arte, ut nunquam ingravescentem morbum, sine ratione provideret, neque, sine aliqua probabili conjectura, de illius eventu præsentiret atque prædiceret. Quamquam adeo erat felix, ut neminem fere ægrum curandum susceperit, quem non etiam a periculo tutum sua curatione reddiderit. Vixit annos quadraginta duos, quibus expletis, in morbum incidit; quem non potuit ea felicitate a se depellere, qua in aliis facere consueverat. Itaque necessario illi succubuit.

LXI. ANGELUS COLI.

Vidi ego sæpenumero duos, qui altercarent inter se litigarentque, num alter alteri esset in ea, de qua lis erat, arte superior; & utrumque constantissime in ea sibi principatum arrogare. Magna est, ingenii præsertim, pulcritudo laudis & gloriæ, ideo unusquisque eandem avidissime expetit; &, quamquam aliis in rebus, æquo animo se a ceteris vinci patiatur, tamen, ut inquit ille, *qui velit ingenio cedere, rarus erit*. Verum, cui omnium, qui ejusdem sunt artificii, concessu, primæ sint delatæ dum vixit, plane neminem, cujus quidem meminerim, scio, præter Angelum Coli, Senensem, longe clarissimum, sua ætate, medicinæ artis antistitem. Hujus virtuti ingenioque tantum, quidquid Romæ esset medicorum, tribuebat, ut nemo inveniretur, quantumvis doctus, quantumvis, sua ipsius opinione, excellens, qui auderet se illi anteferre, quique non eidem cederet fastigiumque summitteret. Hic in nosocomio S. Spiritus in Saxia, quatuordecim annis, Assistentis, quem vocant, functus est munere; ubi tantam doctrinæ atque experientiæ vim sibi paravit, tum in ea facultate, & remediis quæ morbis, tum in ea quæ vulneribus manet, medetur; quam facultatem, mortuorum hominum alvum & præcordia sæpius incidendo tractandoque, fuerat adeptus, ut in magnam totius urbis existimationem honoremque perveniret, atque a Petro Card. Aldobrandino accitus sit medicus; nemini enim tutius salutem suam posse committi existimavit, quam si eam Angeli solicitudini curæque permitteret. Hujus tam excellentis tamque præstantis in eo facultatis causa erat, absoluta atque perfecta Hippocratis doctrinæ notitia; ad cujus intima penetralia, ingenii lumine, ac studio diligentiaque, pervenerat, ut nihil in ea esset ita reconditum, quod ingenii ipsius acumen effugeret. Tanta in illius auctoritate vis inest; ad medicos præ ceteris constituendos. Sed, quemadmodum Romanæ urbis medici Hippocratis intelligentia studioque Europæos omnes medicos anteeunt; ita etiam ipse Romanos, in indagan-

ganda ac subtiliter perscrutanda illius auctoris sententia, infra se longo intervallo reliquit. Hospitali insanabilium domui, complures annos, egregiam ac laudabilem operam præstitit. Erat illi palatium, ut ita dicam, cordis fastidiosissimum, adeo ut multa, quamvis egregia, respueret, multaque improbaret, quæ præceptis medicinæ traduntur. Erat frigidus ac parcus in laudando, acer ac multus in reprehendendo, ac censor plane metuendus; sed in communi vitæ consuetudine jucundus ac lepidus ad res omnes; liberæ erant ejus ædes, & amicis tum literatis tum facetis hominibus apertæ; amabat enim ipse multum facetias, tum eas quæ re, tum illas quæ dicto tractantur; neque, in jaciendo mittendoque ridiculo, cum quisquam argutiis ac sale vincebat. Adeo animi sui motus habebat in potestate, ut Petrus Servius, de quo antea commemoravimus, affirmare non dubitet, totos quinque & viginti annos, quibus eo usus est familiarissime, nunquam eum vidisse vel iracundia elatum vel ægritudine, vel metu, vel inani alacritate, hoc est, lætitia gestiente, commotum, sed semper eandem in vultu animi æquitatem constantiamque servasse; quæ constantia, non modo in retinendis animi perturbationibus, ne longius evagarentur, eluxit, verum etiam in statu, incessu, sessione, ac ceteris aliis in rebus: & ad incessum quod attinet, jam inde ab ineunte ætate tarditatibus usus est ingressu mollissimis, ut non minus dici posset, movere formicinum gradum, quam dictus est olim medicus ille, in Menæchmis, a socero ad generum curandum adductus. Neque unquam, quamvis ægri cujusquam necessitate, qui præsentem ab eo operam auxiliumque poscebat, potuit adduci, ut festinationes ingressu majores exciperet. Quid multa? etiam in vultu, constanter quendam quasi florem ætatis retinere videbatur. Nam si ex oris habitu existimare de hominum ætatibus liceat, vix quinquaginta cum annos natum, ausus esses affirmare, cum ad quatuor & septuaginta pervenisset; quo anno est mortuus.

LXII. BALDUS BALDUS.

NOn minor medicinæ usus, nec minor ejus artis notitia, in Baldo fuit, quam apud eos, de quibus antea commemoravimus. Etenim ingenium in eo vigebat acutum & acre, in reperiendis investigandisque latentium morborum caussis sagax, in adhibendis remediis, quibus illis possit occurri, promtum ac celer, mira in consultationibus & in disserendo facundia; quamquam in hoc genere multos habuit superiores; qui tamen doctrina usuque, longo intervallo, infra ipsum invenirentur, eo quod morbi, non eloquentia, sed remediis, ab ægris corporibus propulsentur; quorum perfectam notitiam si quis elinguis obtineat, longe præstantior medicus est futurus quam ille, qui sine ea, lingua celeri & incitata utatur. Sed Baldo felicitas infortunio, rerum copia exitio fuit. Nam, cum ad id honoris & commodi pervenisset, quo non altius vota medicorum ascendunt, nimirum ut summi Pont. medicus fieret, non ita multos post menses est mortuus, morbi cujusdam malignitate, cui non potuit obsisti, ex eo, ut tum erat fama, contracti, quod nova illi vitæ ratio fuerat ineunda, & vetus, cui assueverat, relinquenda. Necesse enim erat ei, qui certum vitæ genus sequebatur, quotidie ad medias noctes evigilare & cœnare, & interdiu, vespere jam appetente, prandere, atque alia insuper incommoda, quæ fert aula, subire. Magna erat apud medicos, suos æquales, doctrinæ & ingenii existimatione ac laude, & eximie ab omnibus laudabatur; quibus ego laudibus impulsus ante annos ferme duodecim, gravi implicitus morbo, medicum mihi accivi; sed nihil propius est factum, quam ut ejus medendi ratio, quæ ceteris salutaris esse consueverat, mihi exitium ac pestem afferret. Etenim, cum pituita, quæ pectori acriter adhæserat, laborarem, quæ pituita, quantum poterat, extrahenda ex pectore erat; ille eam curationem adhibebat, qua ea pectori altius ac pertinacius adhæresceret, & sane me ad interitum dedisset, nisi Ludovici Mannucii opera subvenisset; qui, mutata curatione, me, omni-

omnium opinione celerius, sanitati restituit. Quam ego rem, cum, in Manuccii laudem & gloriam, medico cuidam non in postremis exponerem, ille quasi stomachans, satius mihi fuisse ait, Baldo perperam curante interire, quam secunda Mannucii curantis opera convalescere; idque pluribus verbis conabatur ostendere. Cui ego ita me respondisse memini, nunquam se tam commode dicturum, ut id mihi, vel cuipiam alteri (nisi si illa vita odio esset) persuaderet; nemo enim, nisi stultus, longe multumque præstare non videat, imperita ac temeraria inscitissimi cujusquam manu ad sanitatem perduci, quam docta atque industria alterius vel sapientissimi opera ad interitum tradi; immo, ad salutis meæ rationem quod attinet, multo ille major, quam hic, apud me futurus est medicus.

LXIII. JO. FRANCISCUS GROPALUS.

NEmo adeo disertus, adeo eloquens, invenietur, qui potis sit verbis explicare, quibus gaudiis, quibusque oblectationibus afficiatur mens hominis, vitiis exuti, (nam voluptati obsequentibus virtus non facile se committit,) qui totus in studiis versetur, & cognitione rerum pulcerrimarum, quæ pastus suavissimus est animorum, alatur. Etenim tanta tamque admirabilis ex iis oblectatio suavitasque percipitur, ut animus pene a societate corporis avocetur, atque in iis rebus peregrinetur, ad quarum se cognitionem intelligentiamque converterit. Nonne eos sæpenumero videmus, qui sint in acerrima attentissimaque rei cujuspiam meditatione defixi, ita a se ipsis abesse, ut vocem ac sonitum prætereuntium non audiant, ut ea, quæ sunt ante oculos, plane non videant? Notum est illud de Archimede, quem neque armorum strepitus, qui totam Siciliam concusserat, neque captæ a M. Marcello Syracusæ, ex qua urbe humilis erat homunculus, neque civium captorum clamor, gemitus, stridor, neque militum, a quibus interfectus est, gladii, a pulvere ac radio, quibus erat omni mente ac cogitatione intentus, potuerunt avertere. Ex hoc genere fuit ille, de quo dicere instituimus, Jo. Franci-

ciſcus Gropalus, patricius Genuenſis, qui, ab ineunte ætate, ea virtutis indole fuit, ut omnem vitæ ſuæ curſum in ſtudiis literarum conſecerit; atque adeo perpetuo in hac ratione vitæ habitavit, ut ab ea nunquam, neque ludis neque conviviis, neque æqualium ſtudiis, abſtraheretur; omnino voluptatibus omnibus bellum habuit indictum; vias adoleſcentiæ lubricas, quibus illa inſiſtere ſine caſu ac prolapſione vix poteſt, nunquam eſt ingreſſus; ſed ſemper directum illud ad virtutem iter incredibili animi robore tenuit; nulla rerum jucundiſſimarum varietate, qua ætas etiam corroborata capitur, eſt abductus a ſtudiis, ſaltem brevi aliquo tempore; videlicet ad quietem ac remiſſionem ſibi quampiam comparandam nulli ab eo ſumtus in re minus honeſta facti reperiuntur; immo, quos a parente nummulos accipiebat, ut ex libidine ſua conſumeret, non alibi niſi in libris coëmendis collocabat. Itaque paulatim bibliothecam extruxit, in qua mille, & eo amplius, omnium elegantiſſimarum artium volumina numerabantur; ac ſtudium in primis ſuum mathematicis diſciplinis deditum habuit, quæ nemo ignorat quanta in obſcuritate rerum, & quam recondita in arte, & multiplici ſubtilique verſentur; atque adeo in ſtudio metiendi cæli & terræ continebatur, ut ſua etiam manu aſtrolabia, ſphæras, aliaque ejuſmodi mathematica inſtrumenta fabricaretur, ea elegantia ac venuſtate, ut artificum quorumcumque induſtriam ſuperaret. Neque minor ejus erat in illis cuſtodiendis ſolicitudo ac diligentia; etenim iis ea cuſtodiis ſepta atque munita habebat, ut nemini ad ea fas eſſet accedere; quod ſi quis forte interdum, cum non ſatis cautus ad ea tuenda eſſe poſſet, eadem indiligentius tractando, fregiſſet, vel deteriora in uſum reddidiſſet, vel ſaltem digitulo uno contigiſſet, adeo iracundia, cum ceteroqui eſſet mitiſſimus ac placidiſſimus, efferebatur, ut inſanire eum ac furere prope dixiſſes. Nullarum fere erat linguarum expers, quibus aliquis in Europa honor habetur. Latina primum lingua ita eleganter accurateque loquebatur atque ſcribebat, ut non a libris neque a magiſtris eam accepiſſe, ſed una cum nutricis lacte ſuxiſſe videretur: Hiſpanica vero

ro ita, cum erat opus, utebatur, ut, si ortus, altus, educatusque in ea esset. Gallicus sermo supererat, cujus illi facultas nondum addiscendi suppeditaverat. Itaque, ejus agnoscendi, præter modum, cupidus erat. Sed hanc etiam sitim, uno minus mense, explevit. Cumque nullus illi nomenclator, seu vocabularium, ut ajunt, satisfaceret, scripsit Antuerpiam, ut aliquod inde sibi, ad id, quod cupierat, aptum mitteretur. Sed interea dum, donec illud afferatur, expectat, unum sibi ipse confecerat, in quo difficillima vocabula, & paulo reconditiores voces, suis interpretationibus explicatæ inveniebantur. Continebat se in suis perennibus studiis, ut cum maxime, tum Jo. Franciscus, cum acerbum quoddam in Genuenses odium, Carolum Emanuelem Sabaudiæ ducem ad evertendam Rempubl. illorum impulit, instruxit, armavit; suas enim copias, cum iis conjunctas quibus Aldigherius, magnus Galliarum Regis copiarum præfectus imperabat, Genuam versus adduxit, ubi perterritis civium animis, qui, ex longa sæculi unius pace, non alia arma tractare consueverant, nisi calamum, atramentum, & chartam, plena erant omnia solicitudinis, formidinis, atque tumultus; & tum cives illi, si salvam esse patriam vellent, arma cogebantur arripere, quorum aliqua ne quo nomine quidem appellarentur, agnoverant, atque hostem a portis & a mœnibus urbis propulsare atque repellere. Verum hæc res tam insolita, tam improvisa, tam nova, eatenus Jo. Franciscum, qui, ab initio ætatis usque ad id tempus, suis in studiis, tanquam in hortulis, recubans molliter ac delicate, quieverat, percussit, prostravit, afflixit, ut propinqui illius, quibus, ob morum ejusdem sanctitatem & egregiam eruditionem ac doctrinam, erat eximie carus, veriti sint, ne ex ægritudine, cui totum possidendum se dederat, mortem obiret; eoque magis, quod venerat illi nuncius ab eo, cui exercitus totius ordinandi munus incumbebat, ut proxima nocte, in quandam urbis partem, in armis, hora quinta veniret, ut inde hostem, si auderet illuc accedere, fortiter feriret, & interficeret, cui, cum non posset bilem continere, respondisse dicitur, se quidem, ex præscripto, eo quo imperabatur, esse venturum, sed non

cum aliis armis, quam cum libro; eo enim se armorum genere uti didicisse, non alio. Verum, cum ejus ægritudo, una cum periculis Reipubl. fiebat in dies amplior, ceperunt propinqui consilium, ut eum extra urbis mœnia, atque adeo extra Genuensium imperii fines educerent. Quod non sine aliquo periculo factum ab illis est. Sed jam Respubl. ex iis malis, quibus fluctuabat, ac pene obruebatur, emerserat, cum rediit in patriam, revocatus a suis, ubi mense Julio anni cIↄ Iↄ C XXV. lethali consumtus est morbo, tum ex ægritudine, tum ex varia cæli, quod mutaverat, temperatione contracto. Illud autem animadversione dignum est, quod ejus tum natalis tum emortualis dies, in difficillima & calamitosissima Reipubl. Genuensis tempora incidit. Etenim natus est anno cIↄ Iↄ LXXX, qui annus, pestilentia insignis, orco septuaginta & eo amplius hominum millia dedit; anno autem cIↄ Iↄ C XXV decessit, qui itidem annus inprimis est memorabilis, ejus, de quo diximus, belli periculo, quo nullo fortasse major illa est perfuncta Respublica.

LXIV. MARTHA MARCHINA.

MAgnum ingenium atque amœnum, singularis eruditio, omnisque elegantia doctrinæ, in muliere si adsit, magnam sibi omnium admirationem benevolentiamque conciliat; quæ etiam eo admirabilior videatur, quo literarum laus ab eo sexu non expectatur, qui, ob ejus imbecillitatem, a studiis avocetur, atque, communi omnium sententia, ad acum, ad colum, ad lanam impellatur, & tanquam in pristinum aliquod dedatur ac detrudatur. Verum, hac ætate, ea vis ingenii, ea magnitudo poëticæ facultatis, ea omnium bonarum artium scientia, in una virgine, Martha Marchina nomine, enituit, ut, si in viro aliquo reperiretur, maximas admirationes & plausus excitaret. Hoc ornamentum, hoc decus, tam egregium, tam admirabile, urbs Neapolis Romam, quo fere confluit, quidquid est ubique bellissimum, misit. Infans tum etiam erat ea, cum parentum in gremio est delata in Urbem. Erat quidem ex parenti-

tibus, optimis ac sanctissimis moribus præditis, opera, sed humili obscuroque loco, nec ulla generis nobilitate conspicua. Sed quid ab externæ & adventiciæ claritatis lumine, ad se illustrandam, opis auxiliique egeret ea, quæ, sua ipsius luce, a propriæ virtutis splendore profecta, illuminaretur? illi genus & majorum decora jacent, in quibus præter fumosas imagines nihil inveniatur, nisi superbia, arrogantia, & maxima vitia atque peccata. Una est atque communis omnium natura; sed ille generosissimus, qui sit virtutum ornamentis refertissimus. At parens, cui non magis nobilitas generis, quam omnia ad vitam necessaria deerant, quo sibi familiæque suæ illa suppeditaret, haud procul ab Æde Deiparæ Virginis de pace, quam vocant, officinam orbiculorum ex odorato sapone, & scopularum, instituit, eoque artificio se suosque tuebatur. Verum puella, annos vix septem nata, incredibili discendi cupiditate studioque flagrare cœpit; quam cupiditatem, ut posset explere, matris mors fecit. Ea enim defuncta, omnis ad ipsam, fratrum regendorum, cura solicitudoque redierat. Ibant illi quotidie, disciplinæ causa, in Gymnasium Soc. Jesu, a quo redeuntes, tum manè, tum vesperi, cogebat eos repetere, quæ a magistris didicissent. Qua necessitate compulsi, attentius, quæ tradebantur, accipiebant, ac diligentius memoria custodiebant. Ea vero, quo erat ingenii acumine, ex hac illorum repetitione, multo plus intelligebat, quam quantum monstraretur; adeo ut magistros ipsos, eadem illa, posse docere videretur. Erat etiam tum parvula, cum ab eo, qui sibi erat a confessionibus, summa vi petere cœpit, ut liceret Latinos nescio quos libros perlegere. At ille irato similis, id illius postulatum, inclementi oratione, rejecit; &: Quidnam tibi, inquit, rei est cum literis? abi, atque ea perfice, quæ sunt propria mulierum; quæ autem viris sunt apta, relinque; mulierum autem sunt munia, subtegmen tenue nere, telas texere, opus aliquod Phrygium vel simile quidpiam efficere. Cui illa, non sine animi dolore, dicto audiens fuit, atque aliquandiu a libris abstinuit. Sed non sine ratione id tum puellæ interdictum ab illo fuisse existimo. Nihil enim est,

quod

quod minus mulieri expediat, nihil, quod magis inutile ad tutandam pudicitiam sit, quam posse unum ex his tribus facere, aut pingere vel fingere, aut versus facere, aut citharizare, & cantare ad chordarum sonum, plus quam necesse sit probæ: his enim illecebris, spectandi audiendique cupidos ad se viros alliciunt atque attrahunt; a quibus deinde ex pugnæ dantur, quibus vix possit obsisti, atque (ut illæ salvam suam pudicitiam servent) sermones tamen hominum non possunt effugere. Quamquam nihil horum metuendum erat ab ea, quæ nihil æque studeret, quam ut ejus virtus ab omnibus ignoraretur, nihilque tam laboraret, quam ut non solum virorum, verum etiam mulierum, sermones conventusque vitaret. Verum ille, qui nondum probe eam nosset, quique, quantum sit in literarum studiis vitii, si ad mulieres transferantur, intelligeret, ideo hanc illi interdictionem habebat. Sed, ab hoc ejus sermone, anni jam sex intercesserant, & eo amplius, cum virginis parenti fuit ille auctor, ut liberis, virilis sexus, magistrum aliquem mercede conduceret, qui eos doceret scribere, hoc est, literarum notas scite & eleganter effingere; cui parens: Est, inquit, domi Martha, quæ id præstare sine aliquo sumtu possit. Cui ille: Quid audio? ait: Martha scit scribere? Quidni? respondit parens; ac postridie attulit ille epigramma, Marthæ manu conscriptum. Quod cum legisset, quæsivit, ex quonam libro illud exceptum descripsisset. Qui; A nullo, respondit; sed suo marte confecit. Quo audito, tum demum intellexit, id quod minus antea cognoverat, eam esse Latinis literis eruditam, ac posse versus, vel quam optimos, facere; oblitusque id, quod illi ante sex annos denegaverat, plura quam ipsa vellet epigrammatum scribendorum argumenta præbebat, neque, quoscunque libros posceret, lectitandi potestatem, ut antea, eripiebat. Erant ea epigrammata adeo eleganti stylo confecta, adeo venustis argutisque conclusa sententiis, ut Antonio Quærengo, qui ea legerat, fides fieri non posset, fuisse ab ipsa elaborata atque perfecta. Etenim vir ille doctissimus, & carminum in primis conficiendorum artifex summus, non putabat, esse verisimilem, tantam

tam-

tamque egregiam in una muliercula facultatem atque industriam. Quamobrem petiit a Jacobo Volpono, Congreg. Oratorii Presbytero, qui in Æde D. Mariæ in Vallicella adeuntium confessiones excipiebat, ut traderet illi argumentum aliquod, ipso præsente, versibus explicandum, quod est factum ab ipso diligenter; nam, die quodam, transeuntem illam, ante sellam, ubi peccata confitentes sua audiebat; accersivit, jussitque, in chartula quam ei dedit, lapideo stylo, Jacobi atque Angeli luctam unico epigrammate, lepida ac vibranti sententiola concluso ante se complecti. Paruit illa, & confestim commissum sibi epigramma eleganter atque ex argumento confecit. Quod, ita ut erat rudi penicillo exaratum, missum est ad Quærengum. Qui, virginis ingenio ac scribendi celeritate compulsus, dicitur, ad incredibilem admirationem fuisse traductus. Omnino erat illa ingenio magno, memoria summa, judicio peracri; verum is, cui animæ suæ regendæ tanquam habenas crediderat, quamvis in Deum pietate ac religione præstaret, ad humanam prudentiam quod attinet, parum a natura adjumenti habebat, sed adeo sui erat juris sententiæque, ut ab eo, quod decrevisset, dimoveri vix posset, immo illud alacriter exequeretur, præterea, vitio senectutis, memoriam ferme perdiderat. Hic, cum existimaret, virginem Romæ frustra tempus conterere, nullique rei usui esse, persuasit illi, vel potius præcepit, ut sanctam Sophiam, quod est oppidum in Alpibus, Æmiliam inter atque Etruriam, illius patriam, peteret, ibique linguæ Latinæ ludum aperiret. Infelix mulier, quamvis intelligeret, quam sibi acerbe ac duriter ab illo imperaretur, ejus tamen imperio præsto fuit, ac pedibus ducentorum & eo amplius militum iter, una cum fratre natu minore, suscepit; qui frater itineris incommodum ferre non potuit, ac Fulginæ gravi morbo cœpit urgeri: itaque coacta est ibi subsistere. Sed cum non ita celeriter a fratre morbus absccederet, sed longum spatium ac moram poscere videretur, ne ipsa ab obedientia discederet, ac fructus, qui ab ea percipiuntur, amitteret, fratris salute, alterius solicitudini curæque relicta, voluit cœptum iter persequi: sed Laureti redi-

ditæ sunt ei literæ ab eo, cujus jussu viæ illi se dederat; quibus admonebatur, ut regrederetur, Urbemque repeteret: Quæ statim venit ad eum, qui, duris acerbisque jussis & imperiis suis, pluribus ipsam annis miseram habuit. Debachabatur, per id tempus, tota ferme Italia, pestilentiæ vis maxima, Bononiæ præsertim, ubi Legati jure ac nomine imperabat Bernardinus Spada Cardinalis. Hic, quo animum a curis avocaret, nocte quadam epistolam ad P. Virginium Spadam, fratrem suum, & Congregationis Oratorii sacerdotem, una cum epigrammate, de eadem pestilentia, scripsit. Quod ille postea Patribus omnibus legit, ea hora, qua a continuis totius diei laboribus feriati, festivis ac jucundis inter se colloquiis paululum hilaritati se tradunt; & conversus ad P. Ludovicum Santolinum, qui omnium ejus Congregationis, ac Marthæ etiam, confessiones excipiebat: A te, inquit, huic Epigrammati respondendi partes poëtriæ illi tutæ sunt demandandæ; nam ego alienus a Musis, nunquam didici versus facere. Cui P. Ludovicus postridie epistolam Latinam alteram, & epigramma alterum, retulit, ejus nomine, Cardinali ab ipsa rescriptum; in quibus duobus omnes de pestilentia sententias, in eum, qui scripserat, retortas, ita apte sciteque illigabat concludebatque, ut Cardinalis, a fratre de illa, quæ in scribendo ipsius vices implesset, edoctus, ad incredibilem admirationem sit elatus, fratrique rescripserit, indignum sibi videri, in media ejus Urbis luce, tantum ingenii lumen, omnium ignoratione, tanquam tenebris, opprimi, ne radios suos late diffunderet; in qua Urbe cantrices ac fidicinæ tam magnis præmiis afficerentur; proinde daret operam (quod magnus aliquis Princeps ex suis eam virtutibus ornaret,) ut diaria, quemadmodum ceteri sui familiares, si dignaretur, acciperet. Quæ primo illa constanter recusavit, sed postea ejus, cui ut diximus, peccata confitebatur, jussu coacta, de sententia decessit, & Cardinalis beneficio decem annis contenta fuit. Quibus elapsis, cum fratres ad id ætatis pervenissent, ut alterius auxilio non indigerent, sed sua possent industria sibi consulere, eo uti amplius noluit. Ardebat cupiditate incredibili, nomen ut suum re-

religiosæ cuipiam sacrarum Virginum familiæ daret; nec quidquam propius est factum, quam ut Brexighellæ, in Cœnobium, juris patronatus familiæ Spadæ reciperetur; ubi severissima vitæ disciplina vigebat; postremo ut Romæ in illud alterum admitteretur, in quo Cardinalis Barberini sorores continebantur. Summa Cardinalis illius voluntate, sed divino consilio factum est, ne res eum, quem illa optabat, eventum haberet; quo videlicet ostenderetur, posse etiam virgines in media urbium, omnium maximarum, frequentia sibi secretum facere, atque ad summum sanctitatis fastigium ascendere. Erat illi ingenium versatile, & ad quascunque res, quibus illa se daret, obeundas aptissimum. Habebat, domi suæ contubernales puerulos duos, Cardinalis Spadæ fratris filios, quos ipsi idemmet Cardinalis in disciplinam tradiderat, quo, a tanta muliere, indolis illius nonnihil arriperent. Ad quos accedebat quotidie Symphoniacus quidam, qui eos doceret clavicymbalo canere; at eo discedente, adeo, quod illi ab eo acceperant, referebat, ut si traditum sibi soli fuisset. Quæ autem mulierum propria sunt munia, ut suere, nere, aut acu aliquid pingere, quamquam, generosa quadam contumacia, a magnitudine animi ducta, contemneret, tamen, si usus veniret, ita præstabat, ut nemo melius. Audierat, Phrygium quoddam opus, ad usum Ecclesiæ Congregationis Oratorii, elaborari; voluit ipsa ad illorum, qui in id opus incumbebant, operas suas etiam pluribus diebus adjungere, quo una cum illis apud Deum veniret in societatem meritorum atque præmiorum; &, quamvis ejus artificii esset propemodum rudis, nemini tamen est inventa inferior, qui ætatem ea in arte contriverant. Ex omnibus autem anni mensibus, unum tantum orbiculis ex sapone conficiendis dabat, quos per eum vendendos curabat, qui ante domi suæ fores, totos dies, spiras venales habebat; ex quorum pretio tantum illi nummorum conveniebat, quantum esset ad vitam, uno anno commode agendam, satis, neque emtorum turba deerat: quamvis multi, quo illud donum suam lucrum averterent, conarentur orbiculos illos delicatiores & odoratiores efficere. Ea erat omnium de illius mercimo-

monii probitate opinio. Sed cum, ad vitam parce agendam rerum fere omnium expers, extremis vitæ suæ temporibus, non aliunde, nisi a propriis manibus auxilium petere voluerit, suis Paulum Apostolum vestigiis persecuta esse mihi videtur, cui, ut de se ipse fatetur, nihil habent, naturæ necessaria omnia, suæ ipsius manus suffecere. Sed, num, quia ad ingenii atque omnis eruditionis laudem tantopere properabat, ad probitatis ac pietatis studia segnior aut tardior inveniebatur? at, utroque in genere, est progressa longissime. Hæc vita erat, totum fere diei tempus in assidua rerum cælestium meditatione consumere, nec a templo Deiparæ in Vallicella Cong. Oratorii discedere, nisi ad D. Petri, aliaque religiosissima Dei immortalis & Sanctorum templa adeunda, ubi vel statæ ac solemnes feriæ celebrarentur, vel quadraginta horarum preces essent indictæ. Etenim in his rebus, se Ecclesiæ, divinitus edoctæ, spiritu agi & impelli sinebat. His igitur exceptis, quotidie interdiu, in ea quam diximus Æde, se continere, mane, ut rei divinæ, a prandio, ut sermonibus qui ibi habentur, interesset; ibi ter in hebdomade, Christi corporis Sacramenta suscipere, Adventus & Quadragesimæ temporibus; quotidie ibi, quod reliquum erat temporis, seorsum ab aliis, horarias Officii D. Virginis preces, Græco sermone scriptas, recitare; quam linguam, simul cum Hebræa, sua sponte, ac nemine monstrante, didicerat. Noctu erant illi, qui culcitra mollis ac plumea, rudes atque asperi asseres; ad ejus, cui animæ suæ maculas aperiebat, exemplum; quem omnibus in rebus imitari studebat, ut etiam, post illius mortem, eas tabulas in beneficio sibi dari poposcerit, ubi ille extremum Deo spiritum ediderat. Nunquam sandalia, hoc est, grandiores mulierum soccos ad tollendam se altius adhibuit, sed vel calceatis vel soleatis pedibus ingrediebatur; nunquam preciosis usa est vestibus; sed erat humili ac parabili corporis cultu contenta; adeo ut, qui ignotæ faciem intuerentur, contemnerent, quique vestitum humilem & obsoletum aspicerent, nullo eam loco ac numero haberent; qui autem virtutem noverant, non poterant admirari satis. Accedebat ad artium

tium elegantissimarum studia, Philosophiæ ac Theologiæ notitia, quarum disciplinarum curricula, mira celeritate, confecerat. Verum, tanta ea vis virtutis, illudque dignum, quod nunquam moreretur, ingenium, mense Aprili, anni cIↄ Iↄ C XLVI in morbum incidit, quo cum graviter conflictaretur, quod stomachus, fastidiens, omnia respueret, non ita multos post dies, vitæ finem fecit. Defunctæ corpus P. Virgilius Spada, qui, in ejus confessionibus audiendis, P. Ludovico Santolino successerat, ac fiduciarius ejusdem hæres, in Æde supradicta B. Virginis in Vallicella humandum curavit, in altera ex duabus illius naviculis. Qui statim, ex fide quam dederat, bona ejus, quamvis pauxilla, inter pauperes distribuenda mandavit, cum fratres, ad quos illa possent redire, ante ipsam e vita migrassent. Sepulcrum hoc eleganti epitaphio decoravit Gaspar de Simeonibus, Innocentii X Pont. max. ab epistolis Latinis.

D. O. M.

Marthæ Marchinæ, ortu Neapolitanæ Virgini,
educatione Romanæ,
cui, ad insigne pietatis ac pudicitiæ studium,
mirus sapientiæ amor, vel septenni, accessit;
eoque deinceps, pari morum atque ingenii cultu,
humaniores artes, ac Latinam in primis poësin,
ad veterum normam atque æmulationem,
suo ipsa instructu, eximie calluit exercuitque;
Hebraicis Græcisque literis docta,
severiores disciplinas, fastu procul, religiose attigit;
animi quæsito magis ornatu, quam nominis;
cujus gloriam,
sponte latens in Urbis luce, dum plane abjecit,
in sinum transmisit immortalitatis.
Obiit V Idus Aprilis anno Domini M DC XXXXVI
ætat. XXXXVI.
Patres Congregationis Oratorii,
quos illa vitæ probe accurandæ
habuerat monitores,
curatores post funeris, monumentum bene merenti
pos.

LXV. MITILDA BENTIVOLA.

FOecunda virtutum semina, quotiescunque in animum præparatum, tanquam in agrum novatum iteratumque, contingit incidere, maximos semper ex se fructus educunt. Neque refert, quem illa nacta sint sexum, sive muliebrem sive virilem. Quam multæ, omnibus fere seculis, sunt inventæ mulieres, quæ, in omnium artium maximarum studiis, multorum illustrium virorum industriæ præirent! Non repetam veterum memoriam temporum; sed in his versabor, in quibus nos sumus, & in primis occurrit nobis Mitilda Bentivola, Ferrantis Bentivoli filia. Virgo nobilissima, planeque singularis, ausa est, atque etiam nunc audet, (nam adhuc fruitur vita) in aulis summorum Principum, castitatis gloriam alere, ac Christianis virtutibus omnibus animum exornare; quod alii ut assequantur, a conspectu earum rerum remoti, quibus impelli ad contraria illis virtutibus vitia possint, ad solitudines & antra confugiunt, atque in ea se abdunt. Quod factum fuisse vidimus ab Alphonso Mutinæ Duce, cujus illa in aula perpetuo vixit. Cui cum eadem Christiani viri perfectio absolutioque proposita esset, atque virgini illi erat, desperans, tam divitem thesaurum ibi reperire se posse, ubi fures vagantur ac volitant; raro exemplo, in summa rerum omnium potestate, opibus, divitiis, ac regno se exuerat, atque una cum illorum instituto, humilem, arduum, & abjectum Fratrum Capuccinorum habitum susceperat. Non enim quemquam fas esse putabat, ibi animi demissionem. gloriæ, voluptatum, divitiarumque contemtum adipisci, ubi elatio animi, divitiarum amor, ambitio, voluptas, regnet ac vigeat; sed ibi spes est potius voti eum sui compotem esse futurum, unde vitia hæc exulent, & ubi virtutes illæ regnum obtineant. Et sane cogitaverat sæpe Mitilda, atque etiam conata fuerat, in aliquam religiosarum Deo virginum domum, tanquam in arcem, se conferre, quo nullus adversariorum insidiis & incursibus aditus pateat; sed variæ semper causæ intercesserant, Deo nimirum operam dante

te

te, quamobrem non posset cogitata perficere, ut in una eaque regalis sanguinis atque animi virgine, significaret, posse etiam hominem, opibus, divitiis, voluptatibus, dapibus, deliciisque circumfluentibus, ab illis non possideri, sed aspernari oculis pulcritudinem rerum, excludere auribus omnem suavitatem, denique non pati, aliquam earum rerum, quæ illum circumstent, guttam in animum suum illabi. Rem miram, ac seculis omnibus prædicandam! eximia virgineum forma, summo genere natam, divitiis ingentibus præditam, eo robore animi, atque ea indole virtutis & continentiæ fuisse, ut amplissimorum virorum, genere, divitiis, atque omni dignitate principum, qui ipsam, ob eximias ejus animi corporisque dotes, sibi uxorem expetebant, connubia refugeret, ut nuptias, quibus ceteræ cujusvis ordinis puellæ, vix a nutricis lacte depulsæ, inhiant, plane vehementer horreret, neque celebres suarum æqualium nuptiæ, nec magnificentissimi ludorum apparatus, nec mira spectacula, nec splendida convivia, nec amœna palatia, nec amplæ sumtuosæque villæ, nec multarum jucundissimarum rerum varietas, eam illexerit, aut paululum inhibuerit, quin omnem vitæ suæ cursum in labore, atque in assidua cælestium rerum meditatione, conficeret. Ita fixum apud virtutem animum, amoris ejus clavo, habebat, ut nulla vi ab ea divelli ac distrahi posset. Equidem arbitror, Deo, quoties oculos in terras dignetur inferre, quo facta hominum, ut ita loquar, inspiciat, Deo, inquam, longe gratius ac jucundius spectaculum esse, adolescentem mulierem cernere, quam nec infirmitas sexus, nec ætatis calor, nec magnitudo pecuniæ, nec splendor nobilitatis, nec dignitas formæ, nec adolescentium, pulcritudinis ipsius spectatorum, elegantia, amores, obtutus, obsequia, preces, possint ad nequitiam adducere, quam, matura jam ætate virum animadvertere, nullis ejusmodi machinis oppugnatum, ingenium rectum ad bonas artes habere. Spectaculum plane, superis dignum. Nam, præter Deum, quid est apud eos pulcrius? quid habent magis delectabile, si pascere oculos velint, quam, virginem nobilissimam cernere, in ipso ætatis flore blandimenta omnia, quæ no-

nobis natura ipsa genuit, conculcantem, omnes vias adolescentiæ lubricas, quas illa ostendit, sine casu & prolapsione percurrere? Hoc est, quod in cælo clamores & admirationes facit, majores, quam si immortales illi, rerum pulcerrimarum spectatores, quempiam videant ex iis, qui in Religiosorum claustra se contulerunt, neque arduis neque scruposis neque aliquo imbutis cœno itineribus, celsum, erectum, neque titubantem, celeri ad metam cursu contendere. In hoc nemo illorum valde mirabitur; in illa omnes obstupescent, clamabunt, horrebunt. Ad hujus tam admirabilis virginis, & raræ, ut dicitur, avis exemplum, ille hodie formatur ac fingitur, qui in amplissimo Cardinalium Collegio, tanquam edito quodam in loco positus, ingenii, probitatis, prudentiæ, ac magnitudinis animi lumen, longe-lateque diffundit; cujus similes si cunctos augustissimus ille Senatus haberet semper, audeo dicere, fore, ut hæreticorum factiones mox dilaberentur, ut multa, quibus clericorum ordo cumulatus est, vitia ponerentur. Ita est ille in omni vita splendidus atque magnificus, ut nihil splendor de illius animi demissionis ac sanctitatis laude decerpat; ita est demissus ac probus, ut probitas atque demissio nihil splendori ac magnificentiæ detrahat.

LXVI. MARIA ISABELLA ACCORAMBONA' UBALDINA.

Mitildæ, virginis clarissimæ, commemoratio admonuit me, ut fœminam lectissimam ac præstantissimam alteram ipsi subjiciam, Mariam nimirum Isabellam Accorambonam Ubaldinam, quæ etiam nunc vivens, eodem, quo illa, proposito, maluit castitatis, prudentiæ, sanctitatis, multarumque præterea virtutum laudem, in aperta Roberti Cardinalis Ubaldini aulæ luce, exponere, quam in domesticorum parietum umbris clausam & obstructam habere. Etenim, Octaviano Ubaldino, Roberti Cardinalis fratre, cui nupta fuerat, vita functo, non fuit illi consilium, novas nuptias atque alia connubia persequi, sed in ejusdem Cardinalis aula fidem, quam viro suo vivo dederat, etiam mortuo servare con-

constituit. Erat tum in Maria Isabella ætatis flos ipse, generosæ stirpis splendor, & magna sanctitas morum, qui, magis quam cetera alia, mulierem ornant; aderat magnus procorum, genere, divitiis, atque omni dignitate principum, eam sibi uxorem expetentium, numerus: & tamen his omnibus, Lucretiæ Gherardescæ, socrus suæ, familiaritatem & consuetudinem antepofuit, ac manere apud eam voluit, ut inde perfectæ viduitatis exemplum expeteret. Et quod magis miremur, socrus illa decrepita erat senectute, quæ ætas invisa atque molesta esse adolescentibus solet. Parentibus usa est diligentissimis in ipsa erudienda ad optimos mores sanctissimamque disciplinam, ac præsertim ad pudicitiam tutandam; cujus illa erat adeo studiosa, ut nemini ad eam viro, ac ne germanis quidem fratribus, aditus esset. Cum nondum e virginibus excessisset, sed adhuc, paternæ domus septis clausa, ab omnium virorum oculis removeretur, nunquam indulgebat cessationi otioque; nullum fere tempus, ab aliquo opere, nobili virgine digno, vacuum præterire sinebat: sed in primis lectioni indulgebat; quam illa remissionem animi liberalissimam honestissimamque nunquam fere dimisit; ita tamen, ut omnes ii libri a gynæceo illo exularent, qui essent inutiles, neque bonum illud alerent, quod sibi esset vel a natura insitum, vel parentum diligentia partum. Sic vita erat, dum illa in parentum domo educaretur. Sed, postquam ea virtus est in clarissimam sanctissimamque Ubaldinorum familiam traducta, tanquam læta quædam arbuscula, ex natali solo atque aëre in aliud felicius cælum agrumque translata, radicibus actis, fructus ex se uberrimos ac præstantissimos edidit. Mira in ea gravitas, modestia, mansuetudo, prudentia, inerat. Quibus rebus fiebat, ut Cardinali Ubaldino, atque universis familiaribus, merito esset carissima. Viri mores perferre; nam nemini unquam ita secundus vitæ cursus contigit, ut nulla unquam ægritudine interrumperetur; socerum, quam inter & nurum magnæ sæpe discordiarum causæ intercedunt, colere, venerari, officiis omnibus prosequi, eidemque ad nutum præsto esse; denique totam civitatem in sui admirationem attrahere; neque

solum se ipsam ad id exemplum castitatis & innocentiæ, de quo diximus, fingere, verum etiam, ut honestissimam atque sanctissimam matrem familias decet, summam dare operam, quo in ceteris, sive mulieribus sive virginibus, quas circa se habet, eadem, quæ in ipsa elucet, veræ probitatis forma impressa & inusta cernatur. Nam plerunque, quæ domi est dominarum, eadem etiam est ancillarum disciplina. Etenim earum oculos, in oculis habet suis, atque eatenus earum unamquamque a custodia sua non deserit, ut, ne virum quempiam aspiciant, vel sermones cum eo conferant, per ligneam versatilem rotam cibum illis introferri jubeat; tum, ab illis exigat singulis dominicis, aliisque diebus festis atque solemnibus, ut eidem sacerdoti, quem ipsa ad confessionem adhibet, peccata confiteantur sua. Atque hoc loco interponendum videtur, quamvis a re alienum, ne parentes ac dominæ filias ac famulas suas cogant, confessariis iisdem uti, quibus ipsæ utantur. Nam si illarum quæpiam in aliquod flagitium, sive in effectu, sive sine effectu, cogitatione tantum, labatur & cadat, quo nihil est facilius, cum ex eadem, qua nos fragili infirmaque natura conflentur, celatos illos habebunt, ac sacrilegis confessionibus animum contaminabunt; quod, licet male, vereantur, ne dominis ac parentibus suis prodantur: sed ad eos sinant illas abire, apud quos sua flagitia tecta atque tacita fore existiment. Pergamus ad reliqua. Magno semper fuit animo ac forti adeo, ut magnitudine animi atque constantia longe mihi vulgus aliarum mulierum antecessisse videatur. Quam animi fortitudinem præsertim ostendit in morte propinquorum, sibi carissimorum, quo tempore mulieres dant se querelis, lamentationibus, ejulatibus. Primum, filii interitum, quem unicum pepererat, neque ita multas post horas, quam eum accepisset, amiserat, ita tulit, ut magis de sepultura quam de lacrymarum officio eidem persolvendo cogitaret. Plures vero fratres, ætate, forma, ingenio, doctrinaque præstantes, quorum interitu multis aureorum millibus amissis, omnes fere Accorambonæ familiæ opes conciderunt, eatenus deflevit extinctos, quod pietatis humanitatisque ratio deposceret: non enim

enim ex silice nata erat. Hoc illis officio naturæ debito persoluto, animum, ut antea, ab omni perturbatione vacuum reddidit. Sed tum visa est in primis motus animi nimios ac longius evagantes reprimere, atque ratione sedare, cum speciosissimas adolescentulas duas, fratris sui filias, quarum major viro primario nupta erat, inter paucos dies phthisi consumptas amisit; etenim, in iis lugendis, non solum nihil sapientis gravitate dignum admisit, verum etiam illud animi propemodum imperturbati specimen edidit, quod a Socrate, qui prior, vel magis quam quispiam alius, docuit, oportere sapientem omni animi perturbatione carere, vix expectari potuisset. Etenim, cum vir ille primarius, cui fratris filia, quam diximus, collocata fuerat, nullum ab ea, neque virilem neque fœmineum, sexum, suscepisset, essetque liberorum inprimis cupidus, quos educaret, generi monumentum; cum, inquam, vir ille coactus fuisset, neutiquam commota est, non revocavit sibi in memoriam cognatæ calamitatem extinctæ; non ejus, qui illius in locum successura esset, felicitati invidit, sed statim superioris uxoris, fratres jussit ad eum accedere, eidemque nobilissimi viri, cui se devinxisset, affinitatem gratulari; ipsa autem adeo novæ nuptæ aspectum non reformidavit, neque exhorruit, ut nihil habuerit prius, quam domum ad eam, salutandi ejus gratia, venire, & viri, cui illa se commendaverat, virtutes summis in cælum laudibus efferre; a quo genere officii pleræque fracto imbecilloque mulieres animo refugissent, nec sine magno animi dolore sustinuissent, eo alteram in loco collocatam aspicere, unde per summam fortunæ injuriam suus sanguis fuisset ejectus. Multa præterea sunt, quæ dici de hac muliere possunt; sed satis hoc arbitror, ad id quod volumus, dictum. Non enim propositum est nobis, historiam vel vitas hominum, doctrinæ vel morum laude præstantium, scribere, sed tantum paucis lineis, rudi stylo, tamquam penicillo ductis, ita tamen, ut nosci possint, eorum ingenii formam exprimere, quibus vel eximia pulcritudo vel notabilis fœditas vultus a natura contigerit.

LXVII. LUCRETIA GHERARDESCA.

MUltas hac nostra memoria, enumerando, proferre mulieres possumus, in quibus matronarum decus, dignitas, ac sanctitas mire eluxit: sed in nulla earum, quas quidem noverim, tot virtutum laudes convenire visæ sunt, quot, in Lucretia Gherardesca Florentina, hæc ætas nostra suspexit & admirata est. Ac primum generis claritas, ac familiæ splendor, in ea se offert; qui splendor si absit a nobis, non est magnopere dolendum; est enim donum, quod extrinsecus accidit; nec in potestate nostra est, quales majores habeamus; si adsit, non est contemnendus, immo plurimi faciendus; nam mirum in modum ea, quæ ipsis nos peperimus, bona ornat ac perficit. Generis, inquam, claritas ejusmodi in ea refulsit, ut familiæ nobilitatem antiquitatemque non a majoribus cujusvis dignitatis atque ordinis repeteret, sed ab iis referret acceptam, quas regalis fastigii majestas a communi reliquorum hominum cœtu sejunxerat. Etenim ii, a quibus ea ortum duxit, insulæ Sardiniæ regnum obtinuerunt: tum, urbem Pisarum, ut tum erant tempora, opibus, viris, divitiis armisque florentem, dominatu regio, ut est in historiis, sibi subjectam habuerunt; multisque præterea, in Etruria præsertim, oppidis ac vicis imperarunt: ac proximis temporibus ipsa, cum summis Pont. quorum potestas proxime ad divinam accedit, arctissimo fuit cognationis nexu conjuncta; siquidem Leonis XII Pont. max. sororis filia fuit. Neque Florentiæ quisquam est veteris generosæque prosapiæ, qui non ad eam aliquo affinitatis vel cognationis jure pertineat. Virum habuit M. Antonium Ubaldinum, popularem suum, familiæ nobilitate cum primis, non suæ solum civitatis, sed totius etiam Italiæ, quamquam opibus, non suo sed fortunæ vitio, haud ita magnis, sed, quod rem continet, moribus honestissimis sanctissimisque, ac fide, ut quisquam alius, optima. Quamvis hæc sanctitatis laus non tam ipsius propria, quam universæ familiæ esset. Etenim ex tribus fratribus, Hieronymus, jam Referendarius & Cancella-

lariæ Apostolicæ Abbreviator, innocentia, doctrina, prudentia, cum ad amplissimam dignitatem properaret, in medio honorum spatio constitit, & cursum alio direxit; nempe in Societatem Jesu se contulit, ibique paupertatem divitiis, servitutem libertati (si servitus appellanda est, quæ Christo præstatur) humilem & abjectam vitam opibus & honoribus affluenti proposuit. Quoties ille, qui rheda vectus, circumpedibus stipatus, omnes Urbis vias circuibat, conspectus est in sordida ac lacera veste, humero ad saccum ire, atque a prætereuntibus stipem emendicare! Lælius vero, Franciscanæ familiæ, arctioris disciplinæ, se legibus addixerat: verum, Ascanio Cardin. Columnæ, ingenii præstantia, doctrinæ varietate, morumque elegantia, adeo conciliatus est, ut nemo illi carior existeret, adeo ut Sublacii Abbatiam, quam tum possidebat, Hugoni, M. Antonii, fratris illius, filio vectigalem fecerit; ut nimirum, pensionis nomine, ducentena quotannis ex illius fructibus scuta perciperet. At M. Antonius, quamvis perfectioris vitæ cupidus, (ad illud enim vitæ genus natura ferebatur, ad quod reliquos fratres Spiritus sancti aura compulerat) tamen coactus est uxorem genere summo ducere, ac liberos procreare, in quibus familia, ad paucos redacta, propagaretur. Qua in re, Deus immortalis, quali erga illum animo esset, ostendit. Nam eam illi mulierem, qua cum ætatem ageret, obtulit, quam nusquam gentium deductam fuisse quidam ajebat, hoc est, probam. Erat in Lucretia Gherardesca insignis quædam probitas ac modestia, quæ sæpe virtus abest ab iis, qui nobili genere nati sunt, plurimum; quibus commune illud nobilitatis vitium inest, contemtor nimirum animus & superbia. Eam enim ab aliarum mulierum similitudine, tum natura tum virtus abstraxerat. Non illa famulis superbe ac crudeliter imperare; non viri sui studiis adversari; non eum, prius quam galli cantent, a somno excitatum rogare, ut sibi aurum, gemmas, ac vestes coëmeret, quod bono ingenio se esse ornatam mallet quam auro multo; non illo, quæ rem familiarem indiligenter tutando perditum iret, sed quæ conservaret; non multiloqua, oblatratrix, sumtuosa, sed quæ pauca lo-

loqueretur, quæ humaniter cum suis ageret, quæ viro obsequeretur, quæ non majores faceret sumtus quam res ipsorum perpeti posset; denique, quæ non anxie, non turbate, sed ita placide totam domum administraret, ut vix intelligeres, id agere, cum ageret tamen. Cujus probitatis exsuperantia quanta esset, ex liberis, in quos illa redundabat, licet agnoscere; qui omnes fuerunt ejusmodi, ut, si tibi ejus rei optio data esset, nescires, cujus te potissimum esse similem velles. Nam primum Lælius, cum, Alexandro Card. Mediceo, majori avunculo, ad summum Pontificatum evecto, in spem magnam honorum ac divitiarum vocaretur, si ad id, unde ille flatus ostendebatur, vela dare voluisset, incredibili quadam animi magnitudine, luculenta illa velificatione relicta, ad inopem, humilem, & abjectam, Carmelitanæ familiæ, Fratrum discalceatorum vitam, qui tum, ut sunt rerum omnium initia, ad summam castitatis, animi demissionis, paupertatis, omniumque virtutum laudem efflorescebant, omnibus, ut ajunt, velis remisque contendit, atque ad ipsorum se numerum admittendum adscribendumque curavit. Qua in familia, cum, annis viginti & eo amplius, summa cum sanctitatis opinione, infirmissima semper valetudine, vitam egisset, denique, cum nullam ferme valetudinis suæ rationem haberet, cum vigiliis, jejuniis, precibus, aliisque pœnis ultro susceptis, in se nimium sæviret, est mortuus. Robertus vero, singulari vir ingenio, eruditione, eloquentia, judicio, primum a Paulo V, qui hominis erat indolem odoratus, cubiculi sui Præfectus est creatus; tum ad Henricum IV Galliarum Regem Nuncius missus; postremo, cum munus illud, per annos novem, fideliter administrasset, in Cardinalium collegium cooptatus: eoque mortuo, Gregorius XV, cui, ad Pontificatum max. adipiscendum, ejus opera maxime opportuna fuerat, Bononiensem illi legationem detulit: quo munere egregie functus, Romam rediit, ibique, cum ad summam amplitudinem properasset, est calculi morbo consumtus. Octavianus autem, equitum levis armaturæ, qui Pontificis regiam tuentur, præfectus, cum familiæ propagandæ partes suscepisset, fœminam primariam, Mariam Isabel-

bellam Accorambonam, summa cum dote, uxorem accepit; a cujus amplexu, cum nullam ex se prolem reliquisset, est immatura morte diremtus. Denique Hugo, cum etiam nunc vivat, ad extremum reservatus, quadraginta annis, Basilicæ Apostolorum principis Canonicus, ac nunc etiam ejusdem Decanus, adeo assiduam ac diligentem operam navat, ut sit omnibus exemplo, quibus morati esse moribus debeant ii, qui in sortem Domini sunt vocati; tum jam inde ab ineunte ætate, eam in opinione hominum, adeptus laudem sanctitatis, ut, quemadmodum olim Athenis Aristides ac Phocion, justi ac boni cognominibus appelletur: nec mirum; in ea domo ortus erat, unde vitia omnia exulabant, ubique, ut de Appii cæci domo narrantur, vigebat mos patrius & disciplina. Erat igitur in Lucretia, ejus matre, summa probitas, erat incredibilis magnitudo animi & constantia; quæ pluribus in rebus adversis, quibus conflictata est, ita eluxit, ut vix paucos, tum ex veteri tum ex recenti memoria, referre possimus, sive virilis sexus sint sive muliebris, qui cum ea conferri æquarique posse videantur. Cujus rei, ne defatigemus lectorem, unum aut alterum exemplum proferemus. Primum, Leonis XI Pont. max. avunculi sui, a quo illa mirifice diligebatur, & apud quem, si diuturnior illi lucis usura contigisset, plurimum auctoritate & gratia præstitisset, ita celerem e vita discessum tulit, ut vix aliquod commoti animi signum ostenderit; ita in morte trium liberorum se gessit, ut proxime ad illam indolentiam accessisse visa sit, quam Stoici in sapiente requirunt. At quorum liberorum? nempe eorum, quibus, si ipsa fingere voluisset, neque meliores neque præstantiores consequi potuisset. Etenim neque gemitus, neque, ut mos est mulierum, ejulatus edidit, neque aliquam vocem, sapientis gravitate indignam, emisit. Prudentia fuit tanta, quantam capere muliebris animus potest. Fulgebant quidem in ea ingenii, nec absurdi nec inelegantis, igniculi, & quædam, non sine aculeo, in respondendo celeritas. Nam cum, Leone XI Pont. max. creato, omnium fere ad eam gratulandi causa concursus fierent, venit ob eandem causam vir quidam in primis nobilis ac dives, qui

cam

eam antea non agnoverat, sed tum fatebatur, se arcta ipsam cognatione contingere. At illa: Plurimum me æquum est debere avunculi mei Pontificatui, qui cognationes, oblivionis tenebris abditas, aperit, & in lucem profert; i igitur, & si quid mea tibi opera prodesse poterit, utere, ut tua. Nihil ejus ex ore exibat, nisi accuratum ac prudens, nihil nisi honestum atque ex sanctissima disciplina; nullum ex ea factum prodibat, quod magnopere reprehenderet, vel quod saltem muliebris ingenii imbecillitatis excusatione defenderes, aut vetus illud de ea proverbium usurpares: Mulier est. Nihil poterat in ejus moribus deprehendi, sive staret sive incederet, sive ad mensam sederet, sive sola sive cum alio esset, quod non eam maxime deceret, quod non cum ejus generis nobilitate, qua præstabat, & cum ea probitatis opinione, quæ de ipsa erat, mire congrueret. Memoria erat tanta, ut totum fere Petrarcham & Dantem, quos illa poëtas ab ineunte ætate didicerat, ita memoria comprehensos haberet, ut decrepita jam ætate, mihi, cui ob arctam, cum Hugone ejus filio familiaritatem sæpe ad eam aditus patebat, plurimos ex illorum carminibus versus, nihil hæsitans, recitaret. Maximo legendi studio flagrabat; sed cum illis præsertim libris sibi res erat, cum iis se oblectabat, quorum lectione se vehementius ad amorem in Deum inflammari, & ad pietatis opera impelli sentiret. Vixit usque ad extremam senectutem. Nam ad septimum & octuagesimum pervenit annum. Sed, quamvis ætate confecta, nunquam tamen minus animo valuit. Verum semper mente integra fuit. Magnam ejus mortis causam sustinuit ædium mutatio. Nam cum ex ædibus, neque ita lucidis neque ita aëri expositis, in alias, soli aërique apertissimas, commeasset, &, qua erat in rebus familiaribus solertia ac diligentia, majorem, quam illa ætas posceret, sollicitudinem ad veteres ædes exhauriendas, ac novas instruendas & exornandas afferret, insuper operis vehementius instaret, morbum contraxit, eidemque cum plures dies restitisset, tandem superior esse non potuit, sed necesse fuit cedere. Animam agenti Aloysius Card. Capponius, Ravennæ Archiepiscopus, affuit, eidemque, extre-

tre-

tremo illo tempore, omnibus officiis pietatis caritatisque non defuit.

LXVIII. TERESA COMITISSA EX PERSIA.

PAulo ante, in exprimendis nonnullarum nobilissimarum mulierum formis, quas nobis Italici cæli felicitas dedit, nostra desudavit industria; in quibus quam maxime ad similitudinem veri delineandis quamquam tantum studii posuerimus, quantum ingenii vires nostri tulerunt, non tamen id, quod voluimus, nos assecutos esse confidimus; major enim est earum dignitas pulcritudoque formarum, quam ut eam cujusquam scribentis facultas possit comprehendere; nam, quidquid dixerit, minus erit. Nunc vicissim meam ad se operam attrahit alia, quam, rerum gestarum gloria clarissimam, remotissimæ orbis terræ regiones pepererunt, jam vero Urbs Roma possidet; quo, quidquid est ubique locorum in suo genere summum ac singulare, confluere solet. Hanc Persarum natio, vel potius Catai regio penitissima, genuit. Quam formæ dignitas, parentum splendor, viri, cui erat in matrimonio conjuncta, nobilitas, regale genus, perpetua, pro Christo, mortis contemtio, immortalitati commendat; tum, magnus animus, nullisque adversis rebus infractus, ad superos effert. Hæc, Teresa nomine, patrem habuit, lingua eorum Samphut nomine, nostra Samsonem, superioris Catai partis Principem, religione Christianum. Quam, etiam tum quadrimam, amita, quæ Regi Persarum in matrimonium collocanda erat, comitem secum duxit in Persiam, atque in Regis ejusdem aula, annos quatuordecim, in filiæ loco detinuit, tum omnibus iis artibus erudiendam curavit, quæ in regiam virginem conveniunt; in quibus nihil illa fuit excellentius, nec magis omnibus, quæ una essent ætate, generosa progenie ac formæ bono præstitit, quam ingenii docilitate, amœnitate, & ad omnes res optimas aptitudine; liberalis, splendida, affabilis, blanda, omnium in se studia conciliabat: verum annos quatuordecim natam duxit eam uxorem domum Comes

mes Robertus Sirlæus Anglus Catholicus, Regi in primis carus, adeo, ut per illum legationes omnes, quæ essent illustriores, administrarentur; nempe ad summos Pont. Paulum V, Gregorium XV, ad Cæsarem Augustum, ad Reges Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, omnesque alios Asiæ Europæque Principes summos. Quas ille fideliter obeundo, fiebat, ut magnam Regis benevolentiam consequeretur. Sed in illis omnibus legationibus suo semper lateri hærentem habuit uxorem. Nec minimum ex ea commodum cepit. Etenim, in multis ac maximis, quibus conflictatus est, morbis, aliisque vitæ periculis, plurimi ejus sibi esse operam, sensit, tum præsertim, cum in varias orbis terræ regiones, moribus ac linguis inter se dissidentes, ingrederetur. Nam, præter sermonem regionis, in qua illa nata erat, alias complures linguas noverat, Persicam, Indicam, Turcicam, Moscoviticam, Polonam, Anglicam, Hispanicam, Gallicam, Italicam. Unde vir, ipsa præsente, a nemine circumveniri ac decipi, propter linguarum inscitiam, poterat. Sæpe etiam manu ex inimicorum insidiis, in quas devenerat, illum eripuit. Cujus egregia virilis animi audaciæque facinora multa enumerantur; sed duo illa majorem mihi admirationem & laudem habere videntur. Primum, cum virum, inimicorum armis circumventum, &, comitibus ejus interfectis, in potestatem illorum redactum, vindicavit in libertatem. Namque, in medios illos irruens, ac fortiter dimicans, virum, quem vinctum secum ducebant, dimittere, suæque eos vitæ timere coëgit. Deinde, cum in magni Mogoris regno, Amazonia, securi in manus sumta, ac sex famulis comitata, eorum, qui cum ignibus manu elaboratis venerant, ut virum domi suæ vivum comburerent, conatus repressit, audaciam fregit, impetumque cohibuit, quorum alios vita privavit, alios, vulneribus affectos, in fugam avertit. Sed, quoniam Regum in aulis, magnum sæpe aulicorum odium in se convertunt ii, quos illi pluris a Regibus, quam ipsos, fieri vident, ideo omnes, quibus molestum erat, Comitem Robertum tanta apud Regem auctoritate & gratia florere, ad illum opprimendum consenserunt, atque, cum ipsum non possent, uxorem

ca-

capitis arcesserunt; quod, Mahometi transfuga, in Christianorum castra se contulisset. Non enim illam eam esse ajebant, quæ olim Comiti Roberto nuptui data fuisset, sed Mahometanam quandam, quæ, veteri religione relicta, per summum nefas, Christianorum baptismatis fonti caput suum polluendum contaminandumque tradidisset. Et ad hunc finem, pecunia corrumpendum quendam susceperunt, quem tum Rex maxime diligebat. Quamobrem, ut Mahometi sunt leges, Regis sententia fuit, ut, nisi infecta facta fecisset, & cum Mahometo rediisset in gratiam, ignibus tradita, vitam incendio finiret. Quod ubi ad Comitis Roberti aures pervenit, vix absuit, quin ex ægritudine animam amitteret. Sed tacitus rem intra se cohibebat. Verum, cum dolorem animi, oculis vultuque, præferret, mulier, ejus rei ignara, rogavit, quidnam esset, cur tam ab eo omnis hilaritudo abhorreret. Quia, inquit, tibi esse pereundum, video, nisi Christum deseras, & ad Mahometum transeas; ac vereor, ut contra adversariorum tuorum vim satis firmo esse animo possis. Cui illa: Istudne tibi ita ægre est? ait; omitte vero solicitudinem istam, quæ ita te macerat, & pristinam hilaritatem sume; nam tibi exploratum sit velim, me millies ante vitam meam prodituram, quam Christi fidem. Atque hoc loco non est prætermittenda Regis gravitas, qui, ne temere cuivis credidisse videretur, mandat eunucho cuidam suo, ut in mulieris domum se conferat, rem totam diligenter investiget atque cognoscat, &, inquisitam exploratamque, sibi denunciet. Eunuchus, Regis imperium exequens, abit, domum mulieris intrat, causam, cur venerit, narrat. Illa, nihil exterrita, sed, aurea veste & gemmis, quibus abundabat, induta, (statuerat enim, eo ornatu ad mortis supplicium, tanquam ad epulas, ire:) Ecce! me, ait, vide, percontare, ut lubet; vera ex me audies. At eunuchus, cum in omnes ejus corporis partes aciem intendisset, statim, eam esse quæ erat, agnovit, & amantissimis verbis prosecutus, bono esse animo jussit, omnemque ab eo solicitudinem, id quod minime erat opus, ejicere; nam nullam antea in se admiserat. Tum recta est profectus ad Regem, eique fideliter, quem-

ad-

admodum se res haberet, exposuit. Sed neque Rex ejus quidem indicio est impulsus, ut crederet, rem ita esse ut ille narrabat; voluit suis magis oculis atque auribus, quam alienis, fidem habere. Quod si semper viri principes facerent, vel saltem simularent se facere. Non tam iniqua sæpenumero a suis magistratibus judicia fierent. Eam igitur Rex imperavit ad se adduci; quam, perinde ut eunuchus fecerat, simul aspexit & agnovit, ac primum humanissime complexus est; tum ad colloquium admisit, ac varios cum ea sermones, Italiæ præsertim de rebus, instituit; deinde rogavit, quidnam vir suus commeruisset, cur in maximum quorundam odium perveniret. Quæ respondit, non posse sibi persuaderi, virum suum cuiquam mortalium odio esse; sed magis verisimile fieri, id omnium cum amore benevolentiaque versari. Cur igitur, Rex ait, tam multi capitali eum odio prosequuntur? cur tantopere extinctum esse cupiunt? Cui: id mihi ignotum est, inquit, sed posse fieri arbitror, ut meo, quod quæris, compertum sit viro. Tum Rex admiratus est mulieris ingenium, ad mansuetudinem & ad omnes bonas artes rectum, iisque etiam æquum, quorum crudelitas ejus sanguine expleri vix poterat. Et conversus ad Reginam, vide, inquit, obsecro, sanctos & probos horum hominum (Christianos intelligens) mores; contra, improbos immanesque illorum (Mahometanos significans) animos. Eademque opera, ad quandam regiæ domus fenestram, illam adduxit, ac digito demonstravit ingentem lignorum struem, in medio foro constructam; atque: Hic tibi rogus parabatur, ait, si a Mahomete, ut adversarii calumniabantur tui, defecisses, neque, facti pœnitens, ad ejus cultum revertisses. Cui illa: Si mea tibi, dixit, cordi mors est, jube me quam primum ad illam adduci, nihil hoc mihi poterit gratius accidere. Contra Rex: Cave, inquit, istuc dixeris; nam, si id, quod conatus fueram, perfecissem, in quot me scelera ingurgitassem? primum insignitam, atque adeo immortalem patri tuo, viro Principi, injuriam & contumeliam imposuissem, qui, tam multis in bellis, magna mihi auxilia, nullo meo sumtu, suppeditavit; tum pessimam Comiti Roberto, viro tuo,
de

de me optime merito, gratiam retulissem, cujus operam, multis gratissimis difficillimisque in rebus, sum opportunam atque fidelem expertus; postremo, quod magis æstimari debet, contra jus æquitatemque fecissem, si mulierem innocentem, ignis supplicio mactari jussissem. Verum ego centum antea viros internecioni dedere, quam mulierem unam, eamque innoxiam, occidi mandabo. Ac, ne longum faciam, Regis sententia judicatum est, non videri Mahometis legibus fraudem aliquam fecisse eam, quæ, statim ut nata esset, Christianis sacris fuisset imbuta. Qua sententia adeo percussa est Mahometanæ superstitionis ministrorum immanitas, ut magnam in populo seditionem excitaverit, adeo ut Regi fuerit necesse, quoad illa quiesceret, Teresam, tuto in loco constructam atque reconditam, concitatæ multitudinis furori surripere; ipse autem, suæ saluti metuens, per quindecim dies, non sit ausus in publicum prodire, ac vulgo se credere. Hac igitur seditione sedata, & a Rege sententia, secundum ipsam, dicta, non illa propterea omnibus periculis perfuncta est; sed cum adversa fortuna acrius vehementiusque conflictavit. Primum, eodem fere tempore, gravem in morbum incidit; quo ægrotavit vir etiam suus. Sed ille ejus vim morbi ferre non potuit; verum ipsa convaluit, ac virum, Aspani, ubi tum Rex agebat, in Æde Fratrum Discalceatorum sepeliendum curavit. Deinde, vix quatuor, ab ejus excessu, menses intercesserant, cum Sciabar Rex diem obiit supremum. Hæc illi mors initium eorum malorum attulit, quæ postea sunt consecuta. Etenim, tanto præsidio, tanquam armis, exuta, continuo, adversariorum furori, qui Regis metu paululum repressus fuerat, patuit. Quamobrem illi, publicatis ejus bonis, mulieris sibi potestatem fieri postulabant, ut de ea, ipsorum moribus, supplicium sumerent, quod a Mahomete defecisset. Quamobrem Fratres Discalceati, de quibus diximus, quorum consiliis omnes ejus vitæ rationes regebantur, erant illi auctores, quo se ab adversariorum oculis, quantum potest, removeret, ut Regnum illud relinqueret, atque alias regiones, alias gentes, persequeretur. Sed, quoniam Regni illius legibus cautum erat, nec quisquam auderet

pedem ab eo foras efferre, nisi per literas publicas facta ab iis potestate, qui summum imperium omnium Regni civitatum tenerent, impetrarunt a Duce Scirach, cujus nutu omnia administrabantur, ut tuto eidem liceret abire, si vellet. Sed interea, dum literæ conscribuntur obsignanturque, adversarii, multo quam antea ferociores, adsunt, instant, urgent, ut ea quam primum igni tradatur; neque enim fas esse, ajebant, ex ipsorum manibus impune evolare eam, quæ, Mahomete relicto, ad ejus se hostes contulisset. Quorum importunis clamoribus Dux ille compulsus, non potuit recusare, quin rem illam in judicium disceptationemque deduceret. Itaque causæ cognitionem demandavit judici cuidam, qui mulieris bonis jam diu inhiaverat, eaque, spe & cogitatione, devoraverat. Qui continuo, de sacerdotum consilio, scripsit illi dicam, qua denunciabat, ut in æde Mahometana, quam sua lingua Moscheam vocant, vitæ rationem suæ redditura, se sisteret. At illa, verens, ne, si pedem intro in sacrilegum illud fanum intulisset, animum inde contaminatum ac pollutum referret, primo, ne iret, excusavit valetudinem, qua tum minus prospere utebatur; neque enim, infirmis præsertim viribus, posse se tantum iter pedibus conficere; deinde opere eum maximo rogavit, ne gravaretur, ad Ædem Fratrum Discalceatorum accedere; ibi se esse paratam, ad ea omnia respondere, quæ causam illam crimenque conflarent, ac facere illi satis. Ad id postulatum noluit ille descendere, quod, non convenire, ajebat, Mahometi sacrorum antistites, ejus Ædis limen attingere, ubi statuis & imaginibus divinus honor haberetur. Ac, ne longum faciam, post multas contentiones disceptationesque, tum mulier tum judex in eo manserunt, ut de tota ea re, in ædibus viri cujusdam apprime nobilis, judicaretur; qui vir summo erat Scirach amore conjunctus, & Discalceatis Fratribus amicissimus. Ad constitutum igitur tempus ad diem adsunt, tum quæsitor tum mulier. Sed mulieri venerunt auxilio Fratres Discalceati, ut fortasse accusatorum insidiis circumventæ opem afferrent, aut, ex metu titubanti, subvenirent, aut ex pugna debilitatæ animos adderent. Sed nihil fuit opus his rebus. Nam animo imper-

ter-

territo, liberrime, apud judicem eosque, a quibus impugnabatur, est professa, se esse Christianam, ac millies antea, si res ita posceret, per summos cruciatus vitam amissuram, quam turpiter a Christo discederet, cui se ab ineunte ætate mancipasset, & in quo omnes suos amores, omnes salutis suæ spes, omnes cogitationes, fixas ac locatas haberet. Iisque, a quibus luculenta quædam conditio offerebatur, si sententia desisteret ac fieret ipsis obnoxia, (is enim, cujus illi nuptias pollicebantur, erat vir quidam princeps, summis opibus, divitiis, & honoribus præditus,) respondit, ut sua sibi connubia, suas sibi opes, suas sibi divitias, suos sibi honores haberent; non enim habere orbem terrarum auri & argenti & honorum satis, pro quibus datam Christo suo fidem falleret, præ cujus amplitudine atque divitiis, quicunque ubique sunt Reges, quicunque, si vera est fama, aureos incolunt montes, nihil sint, nisi hominum mendicabula, atque quisquiliæ. Itaque cum eam non possent promissis de sententia depellere, conati sunt minis perterrefacere; ac: Nisi, ajunt, properes in Mahometis, unde discesseris, castra redire, scias, acerbissimam tibi subeundam esse mortem in mundo. Has illa minas irrisione, quemadmodum dignæ erant, excepit; ac: Tantone, inquit, odio sum vobis? quæso, isthæc iis minitemini, qui rebus illis ducuntur, quibus a vobis primæ deferuntur, ut, honoribus, divitiis, voluptatibus: mihi si mors accidat, quæ vobis summum omnium malorum videtur esse, læta illi atque gratias agens occurram, quod, ejus opera, levata corporis vinculis, liberum in cælum cursum arripiam. Tanta hæc mulieris in retinenda fide constantia, barbaros illos ad ingentem admirationem extulit, atque ipsorum lingua, *Tattzin*, dixerunt, hoc est, mulierem fortem; quam, Sapiens, tanquam raram avem, esse inventu difficilem, ait. Postremo, eo res rediit, ut judex quæstionis abiens, domino domus imperaret, ne abire eam fineret, sed omnibus custodiis subjectam haberet, neve antea quotidiano cibo reficeret, quam ab ipso fieret ejus rei potestas. At ille, nihil ejus imperata faciens, mulierem, domum suam abire permisit; quo, sudoris plena, pervenit, ex sermonis, cum Ju-

 dice

dice & accusatoribus habiti, contentione, & ex itineris labore contracti; ex quo, ne cohorreret, multis precibus rogata est a familiaribus, ut mundam siccamque subuculam illa, quam gerebat, sordida madidaque ex sudore, mutaret. Quod primo recusavit facere; sed serio admonita, quid periculi res haberet, si subito horrore artus rigere cœpissent, tandem se exorari passa est. Rem miram; dum vestem exuit, theca, in qua multæ sanctorum virorum reliquiæ, & in his particula cordis S. Teresæ, inclusa continebatur, quamque perpetuo suo appensam collo gestabat, conspecta est a mulieribus, quibus servandam eam dederat, multis conspersa sanguinis guttis. Quod primo neglexit, existimans, eas, ex aliquo vulnere, corpori hærente, manasse; sed, cum postea totum corpus diligenter investigaret atque perquireret, neque ullum in eo vulnus deprehenderet cui mederetur, percussit illico animum, ac tam eas esse Dæmonis technas, ad se decipiendam instructas, existimavit, quam se vivere. Qua suspicione vehementer offensa, accersiri jussit Fratres Discalceatos, quibus vitæ suæ gerendæ moderandæque quasi habenas tradidisset. Qui, non de nihilo illud esse putantes, quod mulier ipsos esse conventos expeteret, properarunt progredi; ac causam celeritatis, qua accersebantur, edocti, sumunt thecam in manus, aspiciunt, contemplantur, ac vident, particulæ illi cordis S. Teresæ septem vulnera inesse, quæ sanguinem mitterent; &, quamvis essent exigua, visum tamen intuentis admitterent, nec ullum dubitandi vel inficiandi locum relinquerent. Quo aspectu, voluptate illi, quantam animo maximam capere poterant, sunt affecti. Nihil enim aliud cruor ille significare videbatur, nisi, sanctissimam illam Virginem voluisse suum pro illa sanguinem fundere. Atque, post hanc rem tam novam, tam admirabilem, tam incredibilem, aliquot illi dies contigerunt ab insidiis & insectationibus Christi hostium, vacui. Quibus elapsis, die quodam, Ædem Fratrum Discalceatorum, quo illa, ut sacro Missæ Sacrificio interesset, sese contulerat, magna armatorum manu, illi iidem, qui antea, ministri circumdant atque obsident, &, ex Ducis edicto, Fratribus pœnam capitis enunciant,

ant, nisi mulierem statim exhibeant. Illi, pro temporis ratione, capiunt consilium, ut eam furtim in templum Fratrum Augustinianorum traducant, ut, cum ibi totum illum diem delituisset, postea, vesperascente cælo, in quandam sacrarum Deo Virginum Armenarum domum, quæ, ab Urbe Asporn, mille nec eo amplius passibus abest, immitterent. Quod factum ab illis est: eaque, dies aliquot, intra ejus domus claustra se in occulto continuit. Interea ministri, ubi, se duci & a Fratribus haberi ludibrio, vident, neque mulierem tradi, multa in eos maledicta ingerunt, calcibus & pugnis incursant, iisque contusos, ac dedecoris ignominiæque plenos, in Ducis domum attrahunt, & quoddam in stabulum, mox ad supplicium abripiendos, includunt. Quod illi supplicium, ingentis cujusdam beneficii loco, numerabant: magna enim eos spes ceperat, fore, ut eo ipso die, Christi in cælum ascensionis memoriæ sacro atque solemni, e corporis custodia emissi, una cum illo evolarent ad superos. Itaque ingens eos alacritas & fiducia incendit, ad mortem pro Christo subeundam. Cujus tam insignis iniquitatis nuncius, simul ac mulieris aures tetigit, & quo in loco, fratrum suorum res esset, accepit, magis de illorum periculo quam de sua ipsius salute, solicita, nullum ad celeritatem locum esse relinquendum statuit; ac misit, qui adversariis suis nunciaret, ubi ipsa parvo labore ac nullo errore inveniretur. Qui non dimittunt tempus, sed furiis, quibus agitabantur, impulsi, accurrunt, comprehendunt, obtorto collo in jus rapiunt, attrahunt, bacillis, quos in manibus gestabant, verberant, ibique, ubi sacrilegi illi Mahometis ministri aderant, sistunt: in quorum conspectu assistebant etiam Fratres illi male mulctati. Qui ministri, magna verborum contumelia, quærunt ex ea, num redire ad officium velit, ac Mahometo, sicut antea fecerat, adhærescere? quod si pertinaciter in sententia maneat, in qua adhuc fuerat, conceptis verbis per Regis salutem vitamque jurant, nunquam ipsam vivam suis e manibus elapsuram. Quæ cum illi maxime loquerentur, Fratres illi, qui aderant, nutu, oculis, voce, mulieri innuebant, ac significabant, ne, terrore mortis, se abripi fineret, neve brevem ac

miseram vitam æternæ, ac bonis omnibus cumulatæ, præponeret. Sed calcaria currenti addebant, ut dicitur. Nam summa cum libertate respondit, nunquam se fore tam stultam, ut veram ac germanam Christianorum fidem, pro nefaria illorum superstitione, desereret, ut Christum, quem diligeret, pro Mahomete, quem diris omnibus execraretur, omitteret. At illi, existimantes, tantam illi fiduciam atque animos ex Fratrum illorum præsentia & cohortationibus addi, eos inde ejici & in carcerem condi imperarunt; tum mulieri, minaci sane vultu: Vide, ajunt; aut tibi de pertinacia ista decedendum est, aut, altissima de turri dejectæ, ignis supplicium subeundum. Quibus illa, hilariori, quam antea, vultu: Agite, inquit, ut lubet; mihi certum est, mori pro Christo. Sed, dum maxime altercantur, ecce nuncius venit a Duce, ut judicio illi diem differrent, verum a muliere caverent, se postridie ad judicium affuturam. Parent illi; mulier dimittitur. Sed, nescio quid, accidit, cur causa non potuerit agi eo die, in quem fuerat rejecta. Itaque mulieri, tot laboribus ærumnisque defatigatæ, placuit ea ratio, ut tum Reginam tum Ducem per epistolam adiret, in qua exponeret, quænam esset, unde domo, quibus parentibus orta, ut septuennis, una cum amita, in Regis aulam venisset, ut usque ad decimum quartum annum in ea, regio plane cultu, educata, Rege ita jubente, Comiti Roberto nupsisset, ut, inimicorum calumnia, falso, religionis causa, in judicium capitis vocata fuisset, & quartum jam mensem iniquissimo judicio conflictaretur, neque adhuc aliquis esset miseriarum exitus. Itaque demisse humiliterque orabat, ut tandem aliquando ejus controversiæ finis imponeretur; se enim esse paratam, quodlibet judicium, quamvis iniquissimum, subire, quodcumque supplicium, quamvis atrocissimum, ferre, quamcumque mortem, quamvis acerbissimam, obire; minus enim molestam sibi fore mortem, quæ cuncta mortalium mala dissolvit, quam mortis dilationem ac moram. His literis lectis, percussit illico Ducis animum, Comitis Roberti memoria, quo fuerat usus familiarissime, cujusque nuptias sua præsentia cohonestaverat. Scripsitque statim judicibus il-

illis, ut eam e reis eximerent, neque deinceps, ob caussam religionis, aliqua molestia afficerent; etenim satis sibi constare, nihil illi unquam cum Mahomete convenisse; statim ut nata esset, Christianam ac Catholicam fidem una cum nutricis lacte suxisse. Ergo, Ducis sententia, absoluta, secum ipsa reputans, quanta esset in barbaris illis, qui negotium ipsi facesserent, iniquitas atque perfidia, statuit, ex Christi sententia, exilium domo illa mutare, atque alias urbes petere. Sed, cum senatum cogitationum suarum advocasset, ut deliberaret, quamnam potissimum urbem caperet, Urbs illi Roma occurrit, ubi olim, Regis Persarum oratoris uxor, honorificentissime fuisset excepta; eaque in primis placuit; ac Fratribus Discalceatis ad id operam dantibus, mense Septembri anni cIↄIↄCXXIX, e Persia solvit, ac Constantinopolim delata est. Ubi, navium, quibus veheretur, inopia, fuit illi necesse, integrum triennium commorari. Sed demum navigandi facultatem adepta, primum in Italiam, postremo Romam, mense Decembri exeunte, diei Joannis Evangelistæ sacro, pervenit.

LXIX. VINCIOLUS VINCIOLUS.

INter eas res, quas, utpote nobilissimas ac præstantissimas, maximis difficultatibus natura munivit ac sepsit, & ad quas perveniendi non facilis cuivis aditus pateat, eam in primis numerandam existimo, quam qui obtineat, Regum ac Principum virorum studium, amorem, benevolentiamque, sibi conciliet, totosque suos efficiat. Adeo ut, cum dicit Horatius, principibus placuisse viris, non in minimis neque in postremis laudibus esse ponendum, non satis ille pro rei magnitudine elocutus esse videatur. Multo enim melius, & ad rei veritatem aptius, scriptum reliquisset, si illud in primis collocasset, quæ omnium admiratione & laude feruntur in cælum. Neque me præterit, non omnes ad Regum ac principum virorum benevolentiam aditus esse arduos atque difficiles; nam plures ad eam patent, multorumque contritæ itineribus, viæ, quas nimirum Balliones, Phormiones, ac Gnathones aperuerunt, quibusque ad

principum virorum gratiam promerendam itur; videlicet, scorta illis adducendo, vel, causa vescendi, exquisitas terra marique epulas afferendo, ac nova condimenta, quibus condiant, inveniendo; vel animum inducendo, omnia illis assentari, &, quemadmodum ait ille apud Terentium, quidquid illi affirmaverint, affirmare, & id rursus, si negaverint, negare. Verum, quia isti eorum, quos se simulant diligere, cupiditatibus tantum serviunt, famam autem & existimationem perditum eunt, non vera sed falsa ad illorum amorem ac benevolentiam via grassantur. Itaque, quidquid illud est, quod in eorum amicitia sunt adepti, non potest esse diuturnum; immo, cum maxime illorum amoris culmen tenere se putant, præcipiti ab eodem ruina devolvuntur. Nulla enim est capitalior amicitiæ pestis, quam voluptas. Atque, si velimus replicare memoriam temporum, inveniemus, eos omnes, qui, his artibus, Regum & Imperatorum animos, nempe voluptatum illecebris, tanquam homo pisces, essent conati decipere, cum primo id illis artificium visum esset in bonum exisse, demum omnes, fœdos atque infelices exitus habuisse. Ille stabilis ac firmus est amor, qui virtutis radicibus nititur atque fundatur; illa vera est benevolentia, quam nulla nobis intercipere calamitas possit; quam optimarum voluntatum studiorumque similitudo conjunxit. Cujusmodi ille amor fuit, qui Vinciolum Vinciolum Clementi VIII, optimo sanctissimoque Pontifici, perpetuo & indissolubili nexu devinxit. Fuit ille Perusii, nobili inter suos loco, natus; atque cum ceteris naturæ bonis præcipuam habuit laudem amplissimæ pulcerrimæque corporis formæ; quam etiam gratiorem reddebant suavissimi mores, ingenua indoles, atque admirabilis ad res omnes venustas ac lepos; quibus rebus assequebatur, ut longe omnium aulicorum carissimus esset Clementi VIII. neque, negotii odium cum illum ceperat, quemquam libentius advocabat, cui res suas rerumque suarum consilia impertiret, quam illum, vel, ut Ennius inquit apud Aulum Gellium,

Cui res audacter magnas parvasque, jocumque,
Eloqueret, quæ tincta malis, seu quæ bona dictu,
Evomeret, si quid vellet, tutoque locaret;

ne-

neque majus loquendi, quæ vellet, libertatis jus alteri tribuebat, quam illi. Quod jus, quæ erat hominis dexteritas atque prudentia, ita usurpabat, ut, quæ loqui quæque tacere ipsum oporteret, optime nosset. Non enim linguæ frena laxabat, sed etiam intra parsimoniam opportunitatemque loquendi cohibebat, neque longius progredi sinebat, quam suæ conditionis modulus, ejusque, quicum illi erat sermo, tanto intervallo, fortuna ac dignitate superioris, majestas pateretur; demum, ut idem ait Ennius,

Scitusque, beatus,
secunda loquens in tempore,

& verborum vir paucorum; nisi si quando illius jussio imperiumque pluribus eum verbis cogeret uti. Quod tum plerunque fiebat, cum sapiens ille Pontifex, ad minuendas molestias, quibus referta est principum virorum vita, vel ad expuendam quampiam ex animo miseriam, ab ejus sermonis suavitate auxilium expeteret. Quid mirum est igitur, si iis, quæ diximus, officiorum, inferioris erga superiorem amici, quasi præceptis obtemperans, nunquam de eo, in quem ascenderat, amoris gratiæque loco deciderit, sed in eodem perpetuo, usque ad Pontificis illius exitum vitæ, permanserit? Atque idemmet Vinciolus narrare solitus erat, eatenus Clementem, suam erga ipsum benevolentiam declarasse, ut ultro sit pollicitus, se in Cardinalium Comitiis rationem illius esse habiturum, ipsique amplissimum illum honorem ac muneris dignitatem delaturum. Addebatque, Pontificem in eo, quod promiserat, permansurum fuisse, nisi Petrus Cardinalis Aldobrandinus, illius erga ipsum benevolentiæ cursum inhibuisset, & ad alterum, cujus fautor in primis erat, contorsisset. Nam Cardinalis ille, qui ceteris potentia anteire, & futuri Pontificis electionem in sua potestate habere studebat, quo eam potentiam stabiliret atque fundaret, ex sua, quam ex Pontificis familia, Cardinales creari malebat. Ita enim eos sibi magis obnoxios fore existimabat, si tantum in se beneficium, ipsi potius quam Pontifici, retulissent acceptum. Itaque Erminium Valentem, qui erat ipsi, ni fallor, a secretis, Vinciolo anteferendum curavit. Qui

Vinciolus, non solum Pontificis, sed aulæ etiam, atque adeo populi totius, propensa in se studia ac voluntates habebat. Nam nemini, comitiis Cardinalium quibusdam a Clemente habitis, cum quidam, minus ad id munus apti, cooptati in illud Collegium esse viderentur, palam homines, Vinciolo factam injuriam, queri, quod fuisset prætermissus, iisque posthabitus, qui nullum fere amplissimo illi ordini splendorem ac decus, sicut ipse facere potuisset, afferrent. Multæ erant in eo literæ, magna antiquitatis atque historiarum omnis ætatis notitia, juris civilis intelligentia, linguarum, Etruscæ præsertim, cognitio, in qua optimos versus faciebat, & multa etiam præclara carmina edidit. Denique, omnis ejus ambitionis labor, omnes spes aulæ, omnes conatus, huc denique reciderunt, ut, Clemente mortuo, Perusium corpus annis infirmum referret, unde ætate validum Romam detulerat, postremo ibidem illud, ab anima relictum, matris nostræ, hoc est, terræ, unde originem ducimus, gremio comprehendendum & in pulverem reducendum permitteret.

LXX. PETRUS MAGNUS.

PRæclarum ac felix in excogitando inveniendoque ingenium, prompta in iis, quæ a magistris traduntur, accipiendis alacritas atque celeritas, singularis, & cujusmodi in Themistocle fuisse narratur, in omnibus, quæ legeris quæque audieris, retinendis custodiendisque memoria, in admirabilibus, & in primis expetendis rebus jure ponuntur. Sed nisi præsto sit ratio atque judicium, quod, quemadmodum iis oporteat uti, præscribat, parum eos, a quibus possidentur, vel nihil propemodum adjuvant; perinde ut eum, cui sit ampla ac pretiosa supellex, veste, tabulis, signis, auro, argento, atque omnibus magnificis rebus instructa atque referta, sed cum ita illis utendum, cum ædes exornandæ, nullus modus ac ratio ab eo adhibeatur, nihil eorum suo loco collocetur, sed dissipate atque confuse omnia constituantur, ut ubi, verbi gratia, tabulæ sint præfigendæ, ibi signa suspendantur, serica vestis, Attalica peristromata, multo au-

auro argentoque distincta, quibus parietes collucere deberent, humi sternantur, praeterea, superflua ac non necessaria multa, vel plura relinquendis, tollenda, temere cogantur ac coacerventur; nam si quis in eam domum veniat, dominum quidem esse divitem fateatur, sed ignarum, quisnam esset rerum & ornamentorum, quibus polleret, usus, ac propterea, qui illorum poriretur, indignum. Possumus etiam eum, qui, cum magnam rerum atque verborum copiam, tanquam uno in loco, constructam habeat, nec valeat ex iis, cum est opus, tantum assumere, quantum sit necesse ad orationem vel carmen efficiendum, quod dictis hominibus atque prudentibus, quasi epulas, anteponat, sed omnia confusa ac perturbata afferat, tanta insolentia ac turba verborum, nihil ut sit primum, nihil ut postremum; possumus, inquam, eum esse illius similem dicere, qui domi suae penum habeat, omnibus rebus ornatum, quae ad corporis victum fulturamque conducant, ut lardo, pernis, sumine, salsis muriaticis, ovis, caseo, oleis, allio, coepis, saccaro, melle, aliisque, quae in penum eorum conveniunt qui beati putantur: verum, cum prandium vel coena sit cuipiam danda, non eo sit judicio praeditus, ut tantum ex eo penu promat, quantum neque desit neque supersit, vel ut ex iis obsonia componat, quae naturam & conditionem habent, ut possint simul apte eleganterque componi, sed inepte, & ad stomachum movendum idonee, lardum saccaro, salsa muriatica melle, atque ovis caseum, allia vel coepas, confusas atque permistas in mensam apportet. Nam, quid aliud hoc convivio assequetur, nisi, ut non minus ab eo is, qui futurus fuerat conviva, refugiat, quam olim sol, solitum, ab Atrei coena, cursum, ne tantum facinus cerneret, revocasse narratur. Omnino judicii magna vis est, superbissimumque fastidium. Quid enim est, quod acerrimo vir judicio, minus velit audire vel legere, quam claudicantem ineptiis orationem vel carmen? Traditum literis, legimus, Hortensio dicente, oratore quidem, vulgi judicio, omnium maximo, cui dulces magis venustaeque sententiae quam interdum utiles necessariaeque, clamores admirationesque faciebant; Philippum, magnum & ipsum oratorem,

rem, sed gravem & a deliciis illis, in quibus Hortensius excellebat, abhorrentem, solitum esse non solum cachinnos extollere, verum etiam stomacho & iracundia vehementer efferri. Sed quorsum hæc spectat, tam alte repetita, oratio? eo nimirum, ut laus illa optimi acerrimique judicii, in qua Petrus Magnus fuit excellens, quanta sit, intelligatur. Qua laude omnibus suæ ætatis oratoribus ac poëtis anteisse mihi videtur. Nihil in ejus scriptis ineptum, nihil insulsum, nihil puerile, nihil quod jure ob has causas reprehendere possis, invenias; in orationibus præsertim, ubi in primis judicii lex valet, in quibus ea tantum atque in opportunis illarum partibus collocata cernuntur, quæ proficere ac valere plurimum possint, reliqua, in quibus minus firmitatis sit atque præsidii, repudiata atque rejecta. In versibus autem qui cultus, qui candor, quæ suavitas, quæ amœnitas inest! ita sunt nitidi, puri, atque perspicui, ut nihil humile, nihil vulgare, nihil obscurum, nihil abjectum, præ se ferant; ita alti, exaggerati, sublimes, ut nihil turbidum, nihil tumidum inflatumque contineant; ut, qui eos legant, satis mirari non possint: ut olim contigit mihi, cum primum Balneariam veni. Nam, cum in porticu amœnissima earum ædium, quæ hortis illis proximæ, quondam a Card. Gambara, regali magnificentia, ædificatæ visuntur, consedissem, cœpi me hac illac convertere, ac perlustrare oculis villas summorum virorum atque omni dignitate principum, ibidem pictas, nempe Tiburtinas Estensium, &, quæ in Cimini monte renidet, Farnesiorum, ac Balnearienses, ubi tum aderam: quarum singulis sui erant versus subjecti, quibus earum amœnitas amplitudoque commendabatur. Cum igitur hos primum legerem versus, qui Tiburtinæ villæ commendationem habent,

Tybur, & Albunea nemus, & vernantia rivis
Compita, & effosso qua fluit unda lacu,
Regis opus, regumque animos æquantis & ausa
Hippolyti, veterum deliciæque Ducum;

incredibili admiratione affectus constiti; tum reliquos sum persecutus. Quibus perlectis, adeo obstupui, adeo, eos sæpius legendo, expleri satiarique non potui, ut et-

etiam edifcerem, atque incredibili cupiditate arderem, ejus ut nomen agnofcerem, unde tam liquida, tam dulcis, tam profluens vena manaret. Ac ftatim omnium mihi veniebat in mentem, qui tum, cum ædes illæ excitabantur, præ ceteris, ingenii & eruditionis fama valebant: ac præfertim fubibat animum Muretus; fed qui ejus omnem fcribendi rationem pulcre noffem, ftatim judicium meum contemfi: fed affuit, qui fecit, me ejus rei certum, cujus eram cognofcendæ in primis cupidus; nempe, ejus auctorem carminis effe Petrum Magnum. Tum omnis mihi admiratio conftitit; erat enim nota hominis virtus; non enim effe mirum, fi nihil tali ab ingenio prodierit, nifi ab omni parte abfolutum atque perfectum. Scripfit Odas, tanta elegantia, ut Jofepho Caftalioni, viro eruditiffimo, dignæ fint vifæ, quas fuis notis ac commentariis ornaret. Scripfit etiam doctiffime de rebus graviffimis, & in primis de Confilio; quo libro nihil, ne excogitari quidem poteft, neque elegantius neque perfectius. Vixit primum in aula Cardinalis Gambaræ. Quo extincto, cupidiffime exceptus eft ab Alexandro Card. Farnefio, cujus domus erat literatorum omnium perfugium; quem etiam mortuum, in Æde Soc. nominis Jefu, elegantiffima & nunquam interitura laudavit oratione.

LXXI. PROSPER PODIANUS.

TAm multæ funt res, tam variæ tamque inter fe diffimiles, quibus univerfus hic naturæ ordo conflatur atque componitur, ut, fi quis eas enumerando perfequi velit, nullum fere fit exitum inventurus. Neque tamen eft earum aliqua, five adeo præftans ac nobilis, five adeo humilis ac fordida, quin magnam ad eam, hominum generi, vel natura vel Deus propenfionem ac voluntatem indiderit. Itaque, in tanta ftudiorum varietate & copia, alium alia in re elaborare ac niti videmus. Ille, in rerum naturalium caufis perveftigandis, atque in fubtiliter differendi ratione perdifcenda, verfatur; ille, in artium elegantiffimarum, eloquentiæ nimirum ac poëfis ftudiis, toto pectore animoque incumbit; ille, meden-

dendi artificio captus, quemadmodum morbis aut vulneribus medeatur, ex medicinæ fontibus haurit; ille, armorum militiæque magis quam pacis otiique cupidus, quam minimo stipendio sanguinem vitamque suam divendit, pro qua retinenda ceteri opes, quas habent, divitiasque profundunt; atque, ut ad leviores artes veniam, ille pingendi, ille fingendi studio delectatur ac ducitur; ille, ut eas, novarum ædium exstructionibus, formas inveniat, ad quarum illæ præscriptum paratæ expolitæque, in usu sint dominis, & populo in speciem exstant, opere non parcit suæ. Mitto ea, quæ partim infamia, partim humilia atque ab honestate remota ponuntur, quæ plures, quam opus sit Reipubl. detinent. Quam multi sint, qui pecuniæ cupiditate, æstuante ac sæviente mari, fragili parvoque navigio se fluctibus tempestatibusque committunt! quam multi, qui hyeme summa, imbribus maximis, per saxa & salebras, nocturno itinere non intermisso, multorum dierum viam excurrunt, ut ad gentes, in extremis atque ultimis terris positas, amicorum aliorumque literas ferant; longum est, sigillatim omnia referre, ad quæ singuli, ex sua quisque libidine, incitato studio rapiuntur; quæ D. Augustinus in suis de Civitate Dei libris, ad mundi totius ornatum, vel potius ad ejusdem absolutionem perfectionemque, pertinere demonstrat. At Prosper Podianus Perusinus animum ad nullam earum, quas diximus, rerum adjunxit, sed ab ineunte fere ætate, in eo, omni fuit studio & cogitatione intentus, ut eorum, qui opus aliquod edidissent, cujusvis illi essent professionis, nomina, libros, eorumque pretia, nosset, meminisset, atque coëmeret. Itaque totos dies aliud agebat nihil, nisi ut bibliopolarum tabernas & fora, ubi venales libri prostarent, obiret, libros, quibus careret, eligeret, atque a venditoribus percontaretur, ut, quantum pro unoquoque dandum esset, indicarent, ac facerent pretium. Ac sæpenumero, qua erat in hoc genere mercimonii sagacitate, libros carissimos ac pretiosissimos, ab iis qui illorum æstimationem non nossent, quam minimo pretio auferebat; nec imitabatur Juvenalem Ancinam ex Cong. Oratorii, qui postea Saluciarum Episcopus fuit,
&

& iisdem quibus ille temporibus vixit. Huic, cum bibliopola quidam imperitus, ex iis, qui in foris librorum acervos venales sine ullo delectu habent humi projectos, librum rarissimum, cui, ob ejus raritatem, vix ullum satis dignum constitui pretium posset, denario addiceret, non æquum visum est, suam cuipiam inscitiam fraudi esse. Atque: Sanusne, inquit, es, ut libri, qui ne aureo quidem nummo carus esset, pretium, tua æstimatione, ad denarium redigas? Ac continuo nummum illi aureum exhibuit. Verum, cum Prosper, quidquid haberet nummorum, in libris collocaret, fiebat, ut domi non esset quod ederet: ac facile ipse pane vitam oblectasset suam; sed uxori, mulieri indomitæ ac feroci, alia mens erat atque sententia; ideo, tum mane tum vesperi, paratæ erant homini ab ea lites & jurgia. Sed cum ea clamoribus illis ac maledictis nihilo plus ageret, quam si daret operam, ut in cribrum aquam inferret, statuit voci parcere, atque alia ratione gutturi suo prospicere; atque identidem unum vel alterum, ex bibliotheca viri, librum ereptum, coquo, pistori, cauponi, vel lanio cuipiam, pro obsonio, quod emerat, pignori objiciebat; quem ille deinde cogebatur, vellet nollet, redimere. Vestibus utebatur obsoletis, attritis, neque ad corpus aptis, ab Hebræis sibi divenditis, & quarum usus apud seculum prius vigebat, præsens respuebat. Ideo sagis nigris purpureas vel cœruleas manicas habebat adjunctas; pallium, collo alligatum, in scapulas totum rejecerat. Nunquam fere habuit necesse, dum Romæ fuit, domum, habitandi causa, mercede conducere; nam semper illis summorum virorum, qui bibliothecæ ipsius inhiabant, ædes patuerunt. Sed decreverat, ab urbe una cum uxore discedere, ac Perusium ire: atque audit, Jurisconsultum esse quendam, amicum & popularem suum, qui profectionem eodem adornaret; hominem adit, orat, ut se ipsi patiatur itineris comitem adjungere. Annuit ille; atque inter eos convenit de die & hora, qua se essent viæ daturi. Jurisconsultus, ad præscriptum tempus, domum ad Prosperum venit; ac primo nullum, ante ostium, equum, nullam lecticam, quæ illum excipiat, videt; scalas conscendit, nullum item profectionis si-

ſignum animadvertit; proſequitur, atque eum, non ocreatum, non viatoria ornatum veſte, ſed crepidatum, & urbano, ut ſolitus erat, ornatu indutum, otioſe ad ignem ſedentem offendit: tum admirans: Quidnam agis? inquit, quid iſtuc ornati eſt? esne iturus, an non? Cui ille: Quidni? ſed paululum, obſecro, antecede, meque ad portam Flaminiam expecta, nam mox adero, neque tibi ero in mora. Ille, ſe ab eo illudi, exiſtimavit; ſed tamen paruit, obtemperavit, abiit. At vix inde diſceſſerat, cum adeſt mulio cum mulo, magnas utrinque duas ciſtas habente, in quarum ille unam, Proſperi uxorem, in alteram, Proſperum ipſum, impoſuit, & ſupra arcuatæ cratis ligneæ convexum, ciſtis imminentem, linteum, ne aſpicerentur, impoſuit, atque ita tectos, ad portam Flaminiam adduxit. Quo cum jam perveniſſent, Proſper elato paululum linteo, Juriſconſultum expectantem aſpicit, advocat, atque: En tibi, præſto ſum, ait; quid eſt moræ in nobis, quin ſtrenue iter aggrediamur? ac Juriſconſultus, ridens: Tuus iſte mulus nimis tarde gradum movet, & ego propero; proinde abeo; tu otioſe ac placide iter, quod cepiſti, proſequere. Abi, Proſper ait, cum omnibus diis; ſed oro te, ut, quod vidiſti, tacitum tecum habeas; ac præſertim, ſi in Gymnaſium veneris, nec diſcipulis tale quidquam enuncies; volo enim, celatum omnibus meum illuc eſſe adventum; ita mihi opus eſt facto. Promiſit ille, &, calcaribus equo admotis, ſe illius ex oculis cum riſu proripuit. Cumque perveniſſet Peruſium, nihil ab eo factum eſt prius, quam ut omnia de mulo, de ciſtis, quibus ille ejusque uxor vehebantur, de linteo quo obtegebantur, divulgaret, ac diſcipulorum in primis turbæ, id quod minus ille volebat, exponeret. Nihil poteſt adoleſcentibus, qui Gymnaſia, ſtudiorum cauſa, frequentant, accidere jucundius, quam ridiculum ſibi aliquem hominem dari, quem ludos faciant; ideo nihil illis longius videbatur, quam, dum comicum illum ſenem, muli humeris vectum in ciſta, riderent. Itaque mittunt ad portam urbis, qui, ſimul ac ciſtiferum aliquem mulum conſpiciant, id curriculo ad ipſos referant. Nec diu fuit expectandum. Etenim non ita multo poſt accurrunt, ac nun-

nunciant, non procul eum abesse. Illi continuo, facto agmine, universi se extra portam ejiciunt, advolant, mulum sistunt, linteum allevant, & Prosperum in culcitra fusum inveniunt, salutant, advenisse salvum gaudent, ad cœnam invitant. Ille miser, deprehensus, ac pudore omnium maximo oppressus, non habebat aliud quod diceret, nisi, se tum primum in itineribus hoc vehiculi genere usum esse, antea non item. Atque ad uxorem conversus, pauloque commotus: En, inquit, pessima; quonam tua causa redactus sim, vide; hæc, tundendo atque odio, denique effecit, ut ad has ineptias humilitatemque descenderem. Sed discipuli, omnes læti, medium illum excipiunt, tanquam stipatorum catervæ circumstant, faustis acclamationibus in urbem introducunt, & domum usque perducunt. At libris, quotidie emendis, ea illorum multitudine bibliothecam suam referserat, cujus vix numerum quisquam posset inire, aut voluminum, quæ in ea continerentur, indices, tota sua prope dixerim vita perlegere. Quamobrem fiebat, ut ea multorum, qui ejus essent cupidi, studia commoveret. Itaque blanditiis, ac donis fortasse, inter se certabant, quisnam præsenti donatione vel saltem testamento eam ab illo auferret, ac tanti fieret muneris compos. Sed unus tandem vicit, eaque tam insignem bibliothecam donatione obtinuit, quæ revocari pœnitentia non posset; ea tamen conditione, ut ea apud donatorem, quoad ipse viveret, maneret, qui ea suum ad arbitrium uteretur frueretur, ipso vero mortuo coloniam mutaret, & in ejus domum, cui ea fuerat dono data, transiret. Sed postea, sive facti oblitus, sive ut plures a pluribus gratias iniret, iisdem conditionibus, eadem Patres religiosæ cujusdam familiæ, donavit; qui statim rem totam tabulæ marmoreæ incidendam curarunt, quæ esset & donatoris beneficentiæ & grati ipsorum erga eundem animi monumentum. Moritur Prosper; currunt illi, ut, quod aucupati fuerant, arriperent: sed inveniunt aucupem alterum, qui ante ipsos concinnaverat aram, offuderat cibum, illud præripuisse; itaque abeuntes, nihil domum referunt, nisi plorare; ac statim omnes e tabula marmorea, quam illi locaverant, literas detrahendas cu-

curant, quibus hominis in ipsos liberalitas miris in cælum laudibus efferebatur, præter tres illas primas literas, quæ omnibus fere elogiis & inscriptionibus, præfigi solitæ sunt, D. O. M. quæ res, facetorum hominum urbanitati, cavillandi materiam maxime præbuit; cum, pro suo quisque ingenio, varias illi interpretationes conaretur afferre, & omnes ridiculas; sed unus præter ceteros facetissime, mea quidem sententia, dixit, tabulam illam inanem ac vacuam, ejus implendam laudibus esse relictam, cujus majus aliquod liberalitatis meritum in ipsos extaret, & ideo tres illas literas, ibi relictas, D. O. M. nihil aliud significare, nisi, Daturis Opes Majores, tabulam illam esse dedicandam.

LXXII. CÆSAR CAPORALIS.

Quam misera & infelix sit aulicorum conditio, clarius est, quam ut explicari oratione cujuspiam possit. Etenim quos, Romæ præsertim, in aulis virorum, principum, opum, honorum, divitiarumque spes alit, nisi eorum domini ad summum dignitatis fastigium evadant, dum, quo illis magis sint decori ornamentoque, liberalius vestitui, ventri, aliisque extraordinariis sumtibus, quam res ipsorum ferat, indulgent, evertunt se fundis, familiis, & ad incitas, ut inquit Plautus, adigunt. Quamobrem, exacta jam ætate infirma valetudine, in pannis & inopia, coguntur, vel domi stramentitia in culcitra (atque, ea si sit, magnas habent omnibus divis gratias,) vel aliquo in nosocomio diem supremum obire. Quibus incommodis, superioribus annis, conati sunt quidam aliqua ex parte mederi, ac sodalitium, Congregationis Urbanæ nomine, Urbano VIII Pont. max. instituerunt, cujus opera senes, emeritis aulæ stipendiis, tecto exciperentur. Sed quoniam major est illorum necessitas, quam ut illi succurri solo hospitio possit, Sodalitium illud est jam pene dilapsum. Cum aliis etiam pluribus miseriis, dum habet eos aula, conflictantur, quas omnes eloquentissimo facetissimoque carmine persequitur execraturque Cæsar Caporalis, Perusinus, de quo referre instituimus. Quod carmen, simul ac emissum est,

argumenti novitate, adeo omnium fere hominum in se studia commovit, ut nulla esset domus paulo locupletior, in qua unum vel alterum illius exemplum non inveniretur, ubi non legeretur, ac legentibus, clamores admirationesque non faceret. Quid multa? tantam habuit commendationem, ut celebre illius nomen efficeret, adeo ut nihil ferme tota esset Italia illustrius. Et sane, ut mihi videtur, sententiarum venustate, ac sale facetiisque, omnes superiores vicit, qui in eodem ridiculi facetique carminis genere sunt versati; ut, Franciscum Bernam, carminis illius auctorem, ut ajunt; Franciscum Mariam Molsam, aliosque. Quod carmen, cum inter cetera aulæ vitia referret quamdam nimis parcam, in omni victu, tenuitatem ac parsimoniam, qua aulici a domorum præfectis haberentur, factum est, ut, eo lecto, induxerint animum, domini, cœnationes claudere, prandiorum cœnarumque usum penitus abolere, ac menstruas pro illis pecunias substituere, ut tantum singulis quisque mensibus acciperet, quantum esset illi in eum mensem ad se non illiberaliter alendum satis. Quo facto, sublatæ sunt infinitæ illæ aulicorum quærimoniæ, & in domorum præfectos odia, quorum culpa, minus se delicate ac lautæ, immo nimis parce ac tenuiter, tractari, querebantur. Scripsit alia etiam poëmata, ut, Mæcenatis vitam, decem in partes distributam; cui, cum est edita, extrema nondum manus accesserat; quoniam celerius illum, quam putaverat, vita defecerat; quamvis vixit usque ad extremam senectutem: tum Mæcenatis ejusdem exequias, & Hortos, deinde suum, ad Parnassi verticem montis, iter, & epistolam, qua in eodem monte acta, ad nos perferuntur; postremo poëmation quod Pædagogus inscribitur. Quæ carmina, sunt quidem lepide arguteque conscripta, sed nihil ad superius illud de aula, quod diximus. In quo carmine ita graphice se suosque mores & vitam effingit, ut supervacaneus noster in ea exprimenda futurus sit labor atque conatus. Quare studiosos Caporalis, ad illud carmen, quod omnium manibus teritur, delegamus. Fuit, in omni vita, elegans, facetus, festivus, jucundus, amicis in primis, quibus suos jocos facetiasque præbebat

cum multa hilaritate, magnaque cum festivitate. Latuit perpetuo in fide amicitiaque Ascanii Marchionis Corniæ, a quo etiam, mortuus, honorifica affectus est sepultura in suo Castilioni oppido; quod illius patrocinium, Cæsar, tanquam hereditario quodam jure, transmisit ad filium. Etenim ille, mortuo patre, Mæcenatis vitam, quasi patrono debitam, Marchioni dicavit. Cardinalis ille, in cujus aulam Caporalis pervenisse se dicit, eaque in ipsa passum, quæ in suo de aula carmine lepidissime festivissimeque commemorat, fuisse ajunt Cardinalem Carpensem; & pars illius ædium, in urbis Leoninæ via, quæ, quia postrema, ab arce S. Angeli ad ædes Vaticanas directa atque munita est, Suburbium novum appellatur, etiam nunc integra manet, ubi cubiculum etiam illud extare narratur, latrinis proximum, in quod idem Caporalis memorat se fuisse conjectum. Totum fere illud tempus, quod ab aulæ occupationibus & ab ambitionis labore liberum habuit, Perusii, vel in proximis illi villis, una cum mansuetioribus Musis, a quibus nulla unquam fuit senectute sejunctus, in summo otio ac tranquillitate traduxit; ac demum sua in patria, vel potius in proximo illo oppido Castilione, quoniam ibi filius fuisse humatum scribit, extremum vitæ diem morte confecit.

LXXIII. SYLVESTER PETRASANCTA.

MUltos sæpe viros, ingenii, doctrinæ, & eruditionis fama clarissimos, mortuos flevi: sed nullius, quod meminerim, mortem uberioribus prosequutus sum lacrimis, quam Sylvestri Petrasanctæ; viri, omnium virtutum laude celeberrimi notissimique. Et sane multæ me causæ cogebant, cur, talis viri interitu, dolore, quantum maximum animo capere possem, afficerer. Primum, amicitia, quæ mihi cum illo intercedebat, annis abhinc ferme triginta inchoata, quam, non spes aliqua utilitatis, non inconsultus quidam animi impetus, sed virtutis species, sed ratio consiliumque, conciliaverat; quo tempore nimirum in Gymnasio Romano Soc. Jesu, juventutem iis artibus, quibus adolescentium

ani-

animi informari ad humanitatem solent, erudiebat. Etenim elegantissima Elegia, acerbum & immaturum Francisci Petrasanctæ fratris sui obitum, deflentem illum audivi: qui frater, ipse quoque clarus ingenio, Roberto Card. Ubaldino, acerrimo ingeniorum æstimatori, in legatione Bononiensi, fuerat ad manum, scribæ loco. Quid mirum est igitur, si talis inter nos amicitia, religiosa quadam virtutis necessitudine, imbuta, firmissima usque ad exitum vitæ duraverit? Deinde acerbum mihi dolorem inurebat recordatio beneficiorum officiorumque, quibus ab eo sæpe fueram ornatus. Nam libros aliquot carissimos, sponte, nec a me oratus, dono dederat; in his P. Edmundi Campiani opuscula, quorum eram cupientissimus, summa ejus cura ac diligentia Antverpiæ quam nitidissime elegantissimeque impressa. Cumque, abhinc decennium, gravissimo periculosoque, quo pene sublatus sum, morbo implicitus, lecto tenerer, me sæpius invisens, suavissimis sapientissimisque sermonibus suis, quibus omnium ad se animos alliciebat, non solum est cohortatus, ne morbi magnitudine deterrerer, neve animum desponderem, verum etiam theriaca præstantissima, aliisque medicamentis, ex præcipiti est conatus eripere. Quid illud beneficium, quanti æstimandum est, quod in me est ab eo collocatum! nam, cum anno cIↃ IↃ CXL, qui erat, ab instituta Societate, centesimus, quasi ludi quidam seculares, dandum a nobis esset drama in honorem S. Ignatii, qui Societatem illam fundaverat, in maximam difficultatem adducta res est, quod, neque choragus esset aliquis, unde instrumentum scenicum conduci posset, neque vir ille princeps, qui omne ex sua supellectile se esse exhibiturum spoponderat, dare quidquam amplius vellet; a priori voluntate, cujusdam opera consilioque deterritus, qui multum apud ipsum poterat, quemque nominari non est necesse. In tantis igitur rerum angustiis P. Sylvester multas egregiorum ornamentorum, quibus ille etiam invideret, qui sua commodare denegaverat, arcas, ex Collegio, cui ipse præerat, Lauretano, avehendas exportandasque curavit. Postremo, ne longum faciam, perpetuo atque inexplicabili amoris vinculo me sibi devinxit anno

Fff 3 1646.

cIↃ IↃ C XLVI, quando patres Soc. Jesu, centum & eo amplius numero, ex toto orbe terrarum selecti, Romam ad comitia Præpositi generalis convenerant. Nam, cum illi sacellum Deiparæ Virginis assumptæ in Domo suæ Soc. professa, beneficii gratiæque causa, invisuri essent, simulque ut leges & instituta cognoscerent, quibus ejus Sodalitatis administratio contineretur; P. Sylvester, qui Sodalitati eidem præerat, ex omnibus Sodalibus me unum elegit, qui, perpetua oratione, de eo, cujus præsertim causa venerant, illis facerem satis: quo facto, amplissimam mihi honestissimamque ingenii eloquentiæque, si quid horum in me est, ostendendæ declarandæque facultatem & materiam dedit; secundo prorsus eventu: nam, magnam a Patribus illis, omnium gravissimis sapientissimisque, gratiam inivi, qui partim mihi coram, partim per literas, versibus in meam laudem scriptis, gratias egerunt. Neque, his finibus, P. Sylvestri in me beneficium sese continuit, sed progressum est longius: siquidem orationem illam, a me habitam, illico, sine ullo meo labore sumtuque, Patribus vehementer postulantibus, imprimendam edendamque curavit. Atque hæ privatæ sunt causæ, quæ me ad lugendum ac dolendum impellunt. Sed aliæ sunt publicæ, quæ magis commovere me debeant. Nam, in damnis detrimentisque ponderandis æstimandisque, gravior esse apud nos debet communis ratio quam propria, publica quam privata. Etenim, eo sublato, incredibilis quædam est, ac prope divina, Latine loquendi scribendique vis simul extincta; qua non solum sibi, illustrissimæque familiæ suæ, ornamento ac decori, verum etiam Ecclesiæ Catholicæ, ad cujus eam utilitatem usumque referebat, splendori ac commodo esset. Ita enim, quæ cogitaverat, pura, nitida, mollis, ac pellucens vestiebat oratio, ut, si cogitata illa per sese, sine aliqua orationis ope, suam sententiam potuissent exponere, non profluentius, non liquidius, in hominum animos influxissent. Nihil erat tam tenerum, quam illius comprehensio verborum; nihil tam flexibile, nihil, quod magis suo ex arbitrio fingeretur, quam illius erat oratio. Atque hæc tam aperte, tam pure, tam dilucide, animi sui sensa explicandi ratio at-

atque facultas, Patrum Societatis Jesu, quibus ab ineunte ætate erudiendum se dederat, & Famiani in primis Stradæ, oratoris summi & magistri singularis, præceptis institutisque formata est. Etenim vir hic longe præstantissimus, Belgicæ historiæ, quam scripsit, laude clarissimus, ut in ejus scriptis apparet, nihil tam propositum habere videtur, quam ut bonis, lectis, & illustribus verbis utatur, eaque ita componat ac struat, ut neve asper illorum concursus neve hiulcus sit, ut lucem rebus, non tenebras, afferat; denique, totus in eo est, ut plane dicat, quod intelligatur: quod, mea quidem sententia, poni in summis orationis laudibus debet. Sed, ut ad propositum redeam, hanc Sylvester Petrasancta, pure, perspicue, Latine, diligenterque scribendi loquendique facultatem ita habebat in potestate, ut, si quando opus esset, sumto paucarum horarum, ad se comparandum, spacio, longam, disertam, copiosam, & in qua omnes admirarentur, orationem haberet. Atque, tam admirabilis ingenii virtutisque suæ declarandæ, tum aliis sæpe, tum bis Romæ illustrem nactus est occasionem: primum, in Collegio Germanico, ubi, aliquot annos, adolescentium illorum præfuit studiis. Nam, rogatus ab Abbate Bonsio, ut Card. Bonsii, patrui sui, nuper mortui, in Æde S. Ludovici, nationis Gallicanæ, funebrem laudationem haberet, cumque jam postrema diei tempestas appeteret, ita paucis eam horis composuit, ut postridie mane, multis S. R. E. Cardinalibus compluribusque Romanæ Aulæ proceribus audientibus atque admirantibus, recitaverit. Rursus, anno CIↃ IↃ C XXXVII, Romæ, cum esset in Domo Professa Soc. Jesu, illustre extemporalis ejus facundiæ specimen dedit. Nam, cum esset ad Urbanum VIII, Pont. max. allatum, de morte Ferdinandi II Imperatoris, & vellet illi munus exequiarum, de more, persolvere, in quibus laudari defunctus Imperator solet; contigit, ut ab iis, qui Romæ Cæsareæ Majestatis negocia gerunt, nihil esset cogitatum de oratore, cui hæ partes committerentur: cumque, non solum dies, sed jam propemodum hora exequiarum, instaret, tum illis id venit in mentem. Itaque, hac illac excurrunt, quærunt, investigant, rogant, cui

oneris illud imponant: sed nemo occurrit; omnes fugitant eam provinciam, ac segnitiem seu tarditatem suam, temporis angustiarum, in quas redacti essent, excusatione defendunt. Cum igitur illi hærerent, nec haberent quid facerent, quoque se verterent, ac prope hæc occisa spes esset; ad Patres Soc. Jesu confugiunt; aut enim ibi apud eos, aut nusquam, reperiri posse existimant aliquem, qui tam brevi temporis spacio orationem scribat, ediscat, habeat. At Patres, quibus incognita erat Sylvestri virtus atque præstantia, eam illi laudationem detulerunt. Qui quidem, quod sibi in augustissimo illo orbis terræ Senatu, ac Pont. doctissimo audiente dicendum esset,quique dubios incertosque dicendi eventus pertimesceret, verecunde ac dubitanter, delatum sibi munus accepit; sed, cum nullus recusandi relictus esset locus, sex horas, neque eo amplius, in consideranda ea laudatione componendaque collocavit, impulsus incitatusque frequentibus Magistri Sac. Palatii nunciis, ad quem quia spectat, orationes, quæ, in Sacello Pontificio sunt habendæ, antea legere, probare vel improbare, earumque unum apud se exemplum, ne a dicente variari possint, habere, statuerat, non prius lecto sese committere, quam ejus sibi orationis copia fieret. Et sane, videri cuipiam possem, rem incredibilem dicere, nisi P. Jacobus Faligattus, ex eadem Societate vir gravissimus ac veritatis diligentissimus, qui tum eadem, qua ille, domo continebatur, persancte affirmaret, se rem ita habere ut dicimus. Quid multa? non aliter res cecidit, atque ii, qui eum noverant, opinabantur. Nam sic illam laudationem, tanta vi tantaque gravitate, exposuit, ut mirum atque incredibile omnibus videretur, tam brevi eam tempore fuisse confectam. Habebat crebras argutasque sententias, nec eas pueriles, inanes, ridiculas, atque etiam stomachosas, ut in quibusdam videmus, qui in ejusmodi sententiolarum ineptiis, & inani quadam verborum volubilitate, eloquentiam positam esse defendunt; sed graves, utiles, elegantes, ac reconditis ex artibus, atque ex multiplici exquisitaque doctrina, qua erat excultus, ut ita dixerim, evocatas. Etenim non solum puer, antea quam Societati Jesu se man-

manciparet, ab iis magistris, quos supra commemoravimus, Latine scribendi & eloquentiæ præcepta perceperat, verum etiam, tyrocinio in eadem Societate perfunctus, Philosophiæ ac Theologiæ spatia fuerat emensus, cursu adeo secundo, adeo felici, ut statim dux magisterque præesse iis posset, qui vellent in earundem disciplinarum stadio curriculoque versari; atque Senis, humaniores literas docuit; ac missus est Firmum in Piceno, ut ibi iis, qui Philosophiæ præcepta haurire vellent, capita & fontes ostenderet, unde Aristotelis Peripateticorumque disciplinæ flumen erumpit. Quem ceteros docendi locum multos deinceps annos tenuisset, nisi Petrus Aloysius Carafa, S. R. E. Cardinalis, qui tum Firmanam civitatem pro prætore administrabat, intervenisset. Qui eum, a re privata ad publicam, ex umbra in solem & pulverem, ex domestica exercitatione in aciem certamenque deduxit. Etenim, egregius ille Antistes, incredibili morum illius suavitate, admirabili in consiliis dandis prudentia, summa rerum maximarum scientia, omnisque elegantia doctrinæ, delinitus & captus, eo amoris vinculo se illi devinxit, ut, profecturus in Germaniam, ab Urbano VIII, Pont. max. electus Coloniæ Ubiorum Nuncius, suo eum a latere divelli non sit passus, sed perpetuo eundem lateri eidem hærere curaverit; non solum ut ibi esset a confessionibus, verum etiam in omnibus gravissimis muneris illius negociis operam navaret, quam non ignorabat, quanto sibi ornamento, Sedi Apostolicæ decori, Ecclesiæ Catholicæ utilitati, futura esset. Id quod re ipsa expertus est, in adeundis visitandisque religiosorum hominum cœnobiis, in corruptis eorum moribus notandis animadvertendisque. Sed præsertim mirum quoddam in eo Catholicæ Religionis restituendæ studium exarsit, in iis regionibus, ubi illius jam diu naufragium est factum, ejusque iis ex scopulis, ubi adhæserat, extrahendi. Qui conatus, ejus nobis morte præceptus, ob damnum, quod Catholicæ Religionis causa fecit, maximam Reipubl. Christianæ universæ, lugendi dolendique materiam affert. Itaque, quoad est in Germania Belgioque versatus, perpetuum Hæresi, ejusque propugnatoribus, bel-

lum habuit indictum: quorum complures, ceteris acriores vehementioresque, in contentionem certamenque vocatos, ingenii acumine, doctrinæ vi ac pondere, eruditionis copia, tanquam armis, eloquentiæ, quæ in eo erat, lacertis viribusque jactatis atque contortis, ita male habuit, ut semper victor pugnæ discesserit, magnamque illis formidinem sui terroremque reliquerit. Neque tamen, superior eventu, curam remittebat, ut, si, victi, certaminis potestatem sibi reddi deposcerent, novo studio & exercitatione corroboratus, acrior ac vehementior in aciem, non autem ocio ac desidia fractus, infirmior debiliorque, descenderet. Neque solum voce, eruditis auribus digna, in disputationum contentione & clamore cominus adversus Inferorum monstra contendit, verum etiam eminus, libris doctissime eruditissimeque scriptis, ea est profligare & ad internecionem dare conatus: in quibus hi enumerantur in primis; Epistola contra Petrum Molinæum, cujus in eo doctrinam, nostræ adversariam maxime, optimis validissimisque rationibus, tanquam bellicis quibusdam tormentis, labefactat atque convellit; tum, liber adversus Andream Rivetum, in quo Catholicæ Religionis propugnationem strenue ac viriliter accipit. His accedit opus longe maximum atque pulcerrimum, cujus est titulus, *Thaumasia veræ Religionis, contra perfidiam sectarum*, tribus voluminibus distinctum; quorum primum, miracula novi ac veteris Testamenti, simul collata, complectitur; alterum ritus Ecclesiæ Catholicæ, miraculis confirmatos, includit; postremum, (quod nondum est editum, quod sciam,) perpetua Ecclesiæ nostræ miracula profert, quibus tota Hæreticorum natio caret, atque horum operum nonnulla, infirmissima etiam valetudine, scripsit, quum acerbissimis vesicæ doloribus torqueretur. Et in primis, non solum opportuna, verum etiam utilis, ejus opera existimata est, in traducendo ab hæreticorum factione ad Catholicorum partes celebri aliquo Principe. Quod quamvis clam factum sit, tamen acutissimum quendam hæreticum, vel potius hæreticorum antesignanum, minime fugit; qui, ut eundem P. Sylvestrum, quod memini mihi eum narrare, amenti-
si-

ſimilis, clamabat, vociferabatur, ipſius, Ducem illum, præſtigiis atque cantionibus ſubornatum, captum, ac de mente conſilioque deductum. Erat Dux ille nobiliſſimæ præſtantiſſimæque cujuſdam fœminæ in primis cupiens, eamque ſibi in matrimonium dari, enixe petebat; ſed prohibebant, eam illi nubere, leges Eccleſiæ; tum quia arcta hominem propinquitate contingebat; tum quia Religionis diſſimilitudo atque diverſitas, quod ipſa Catholica, ille eſſet Hæreticus, nuptiarum rite & ex Eccleſiæ dignitate conjungendarum ſpem omnem adimebat. At P. Sylveſter, cui & virtutis ſpecies & morum ſuavitas, aditum ad Ducis amicitiam aperuerant, hortando, pro ſua virili parte, ſuadendo, monendoque, perfecit, ut ille, ſatis ſua ſponte propenſus, induceret animum, Catholicam Religionem, priſtina altera repudiata atque damnata, ſuſcipere. Sed magna ad eam rem opus erat cautione atque ſilentio, ne cuipiam ad eam vel odore aliquo, vel leviter preſſis veſtigiis, penetrare fas eſſet. Itaque actum eſt inter eos, ut die quodam hora noctis quarta, Dux una cum Petro Aloyſio Carafa, Sedis Apoſtolicæ Nuntio, ad domum Patrum Soc. Jeſu accederet, & in cubiculo Patris Sylveſtri, per manus ejuſdem Nuncii, hæreſin, quaſi veterem hominem, exueret, & novum, ſecundum Deum, Catholicam nimirum fidem, indueret. Verum id perfici, ſine domus illius Rectore non poterat, apud quem, prima face, claves oſtii deponebantur; & clam etiam illum, tanta res erat agenda. Quamobrem P. Sylveſter, audacter Rectorem adit, orat, obſecrat, ut patiatur, ea nocte, claves domus apud ſe eſſe. Quod ille admirans: Quamobrem hoc? ait. Cui P. Sylveſter: Parce, inquit, hujus rei cauſam quærere; non enim in præſentia opus eſt prolato; interea ne tibi grave ſit, obſecro, clavium [illegible] copiam facere. Cumque id ſæpius inſtaret, oraret, [illegible], cui nota erat hominis ſanctitas atque perfectio, non id de nihilo eſſe exiſtimavit, quod ille tantopere claves expeteret: itaque ſine mora tradidit. At P. Sylveſter, ut erat conventum, hora inter ipſos dicta domum aperit, Ducem & Nuncium excipit, ſuumque in cubiculum introducit. Ubi Dux ſtatim hæreſin abjurat, ac deinceps in

Ec-

Ecclesiæ ac Pontificis Romani potestate se fore promittit. Quibus actis, Nuncius illi Breve seu diploma Apostolicum tradidit, quo potestas eidem fiebat, ejus, quam poscebat, uxoris ducendæ, quamvis arcto cognationis nexu sibi devinctæ. Semper igitur P. Sylvester, quod in ipso fuit, studiosissimum se veræ fidei cultorem, & acerrimum propugnatorem, exhibuit: ut etiam in eo libro, quem ultimo loco scripsit, cuique, morte præventus, extremam manum non potuit addere, *Roma pia* nomine; etenim in recensendis piis, quæ in ea Urbe exercentur, operibus, adversariorum nostrorum impetus repelluntur atque franguntur, quos præsertim in eam orbis terrarum arcem, imperii domicilium, veræ ac germanæ religionis sedem stabilem ac firmam, Christi in terris Ulcarii Regiam, habent intentos atque conversos. Nec minus in vita Card. Roberti Bellarmini, primum a P. Jacobo Fuligatto, Italico sermone, conscripta, & ab ipso in Latinum translata. E quibus immortalibus ac divinis ejus operibus, magnum nostra vera fides ornamentum & decus, at falsa illorum religio lethale vulnus accepit. Scripsit etiam, summa eruditione elegantiaque, de illustrium familiarum insignibus, quæ vulgo Arma vocantur. Ne multa; in singulis ejus operibus, ea vis doctrinæ, illud ingenii acumen, ille orationis cultus ac nitor elucet, ut Eryclus Puteanus, vir doctissimus eloquentissimusque, in Vindiciis Circuli Urbaniani, cælestis cum ingenii æternæque eruditionis virum appellet. Atque adeo fuit studiis optimis deditus, ut ea nunquam a morum sanctitate, a summa in Deum pietate ac religione, sejunxerit, sed perpetuo cum eadem adjuncta atque connexa habuerit: quod plerique non faciunt, qui hæc duo, inter se cohærentia atque conjuncta, distrahunt atque divellunt. Et, quo animum ab omni labe purum incorruptumque servaret, annos natus duodeviginti, in Societatem Jesu, tanquam in munitissimam quandam arcem præsidiumque, confugit; ad quam omnis vitiis atque sceleribus obstructus & interclusus est aditus; quæque, tanquam mare quoddam acerrimum, flagitiorum sordes, quasi corrupta mortuorum cadavera, repellit ac rejicit. Quamvis primo parentibus invitis ac re-

repugnantibus, qui, ob ingenii lumen, quod in eo exsplendescebat, ob morum nobilitatem suavitatemque, qua omnium ad se animos alliciebat, magnam in eo familiæ ipsorum dignitatis spem collocatam habebant. Ac primo dolorem illi suum conati sunt inanis cujusdam simulatione timoris obtegere, quod nimirum vererentur, ne puerilis cupiditatis flatu abreptus, non autem divina Spiritus sancti aura impulsus, ad aliquod non bene consultum consilium deferretur. Itaque antea quam id, quod cogitaverat, perficeret, paulum cohibendum eum censebant esse, eidemque deliberandi spatium, aliquot nimirum menses, dandos esse. Deinde, cum, forti ac virili animo, in proposito consisteret, neque spe honoris aliqua, vel quibusvis vanis pollicitationibus, de sententia posset everti, summa illorum cum voluntate, pridie Kal. Januarii cIↃ IↃ C VIII, Romæ, passi sunt eum in Ædes S. Andreæ in Quirinali, quam Domum probationis appellant, novitium abire. Factum est etiam periculum, in sua Republ. gerenda quid posset hominis virtus atque præstantia: ac Lauretum, ad Collegium illud administrandum, missus, inventus est sui similis. Nam, tanta Patrum suæ familiæ cum approbatione, tanta munus illud cum æquitatis prudentiæque laude gessit, tantam, in excipiendis hospitio principibus ecclesiasticis multis, aliisque præstantibus omni dignitate viris, humanitatem, amorem, comitatem, benevolentiam, & amœnitatem exercuit, ut omnes, cum ab eo discederent, aperte loquerentur, neque, lepidior ad omnes res qui esset, neque cujus mores magis ad venustatem valerent, invenisse se quemquam. Eandem ille benignitatis, caritatis, suavitatisque vim transtulit Romam, in Sodalitate Deiparæ Virginis Assumptæ, quæ est in domo professa Societatis suæ, regenda. Nam, ut cum maxime, tum eo tempore quo eidem illi præfuit, nobilitate ac frequentia Sodalium floruit. Idque eo fuit admirabilius, quod ab eo laus excellentis optimique rectoris non admodum expectari debere videbatur, qui juventutem in literarum studiis ac bonam ætatis suæ partem apud Coloniensem Nuncium, in maximis gravissimisque negotiis, in Germaniæ Belgiique luce, consumserat. Quinquen-

quennium ante ejus e vita discessum, vesicæ morbo oppressus, eodem laborare vehementer cœpit. At, quænam est tanta vis orationis & copia, quæ possit verbis exprimere admirabilem ejus animi æquitatem, incredibilem in perferendis doloribus sævissimis acerbissimisque patientiam, in officio boni ac fortis viri tuendo constantiam? Nunquam exclamavit ut mulier; nullam vocem a sapientis gravitate alienam emisit: nunquam vultum mutavit; nullum tempus, doloris magnitudine, quotidianis suis occupationibus, nullam horam perennibus tuis studiis, passus est eripi; immo, paucis ante ejus obitum, an diebus an mensibus? inventus est totus in eo opere expoliendo perficiendoque occupatus, quod fuerat *Pia Roma* titulo inscribendum divulgandumque. Jam vero, cum de medicorum omnium sententia pronunciatum esset, calculos, in vesica inclusos, tantam illi vim morbi creare, cui non aliter succurri posset, nisi sectione, ex qua ferramentis, ad eum usum factis, calculi illi extraherentur, sed in ea curatione magnum vitæ periculum adiri; ille, cui jam ultima experiri statutum fuerat, eam mortis, in qua ceteri fere omnes exhorrescunt, contemtionem ostendit, ut, cum se chirurgo incidendum daturus esset, non ad cruciatum, sed ad epulas ire videretur. Ac, nullam sibi in ea curatione spem salutis sitam esse, præsertim ostendit ex eo, quod, cum P. Præpositus generalis quingenta ipsi Missæ Sacrificia detulisset, ut ea, vel ad sanitatem sibi a Deo impetrandam, vel ad aliquid aliud, suo ex arbitratu, conferret, ille ad expiationem earum animarum adhibuit, quæ purgatorio igne cremantur; ut, simul ac vinculis illis expeditæ liberum habuissent cursum in cælum, ibi Deum pro ipso comprecarentur. Ipso curationis die P. Sylvester, pro sua salute, immaculatam Deo Filii sui hostiam obtulit, hoc est, Missæ sacrificium fecit, ea vi ardoreque animi, qui sit cuique credibilis in tanto vitæ periculo; in quo Sacrificio quam potuit Deum demississime subjectissimeque exoravit, ut, si corporis sui salus & incolumitas ex divinæ ipsius gloriæ, ex animæ suæ salutis, & ex proximorum utilitatis usu, futura esset, eam sibi propitius elargiretur; sin secus, eandem a se repelle-

le-

leret, ac procul esse juberet: se enim non alia conditione eam velle, ac poscere ejus sibi gratiam fieri: denique, totum se divinæ ipsius voluntati potestatique permisit. Deinde (ex quo licet hominum in ipsum studium amoremque colligere) quibus horis in potestate medicorum fuit, a quibus ea illi curatio, tam dubia, tam periculosa, tam præceps, adhibebatur, tum Laureti, tum Romæ in Sacello ejus, quam diximus, Sodalitatis, cui ille præerat, sacrosancta Christi Corporis mysteria palam fuerunt exposita, & ante ea deinceps plures, in preces humiliter fusi. Et sane incisio recte sub manus successit, ac sine multo labore sex inde calculi, ovi columbini crassitudine, fuerunt extracti; quæ res chirurgiæ peritis admirabilitatem, atque affirmandi vim attulit, novum id, singulare, nec cujusquam antehac acceptum oculis, extitisse. Neque dubium cuiquam erat, quin ille ex eo morbo esset convaliturus, si vires corporis suffecissent. Verum illud, diuturna ex ægritudine, nimis attenuatum infirmumque, vim morbi sustinere non potuit. Itaque pridie Nonar. Maji, hora octava & quadrante, tanquam placidissimo quodam somno consopitus, excessit e vita; non sine multis amicorum bonorumque omnium lacrimis atque mœrore; quibus triste doctrinæ, probitatis, eloquentiæ, prudentiæque desiderium sui, reliquit.

LXXIV. JO. BAPTISTA SALUTIUS.

IAm dudum in eorum descriptione versamur, qui, aliqua doctrinæ vel eruditionis fama conspicui, digni nobis sunt habiti, quorum imagines, tanquam in tabulis pictas, huic tertiæ Pinacothecæ mandaremus: sed, quoniam aliquis jam est illi modus ac finis constituendus; quanam alterius cujusvis imagine ea definiri honestius atque elegantius potest, quam Jo. Baptistæ Salutii, Patritii Genuensis, domi forisque, tum ingenii laude, tum rerum ab ipso gestarum gloria, clarissimi? Nam fiet, ut, qui spectatum admissi in eam fuerint, recedentes fateantur, non eam magis in principio quam in fine, egregiis imaginibus, ac spectatu dignis, fuisse refertam.

Sed

Sed illius de virtutibus, dubito, quemadmodum exponam. Nam si voluero sigillatim eas persequi, quæque de eo dici possint omnia proferre, vereor, ne non tam ejus imaginem ingenii exprimere, quam vitam videar velle conscribere; at, si tantummodo summas rerum conabor attingere, ne iis, qui sunt in Republ. Genuensi rudes & hospites, minus lucide appareat, quantus ille vir fuerit. Sed difficultatis utriusque nexu me, quantum licet, expediam, perficiamque, ut neque multitudo rerum brevitati, neque brevitas ignorantiæ lectorum, officiat. Jo. Baptista natus est Genuæ, anno CIↃ IↃ L XXIX, Jo. Baptista Salutio, & Margarita Justiniana, optimis nobilissimisque parentibus; cui pater, tanquam si divinaret, quanto ille sibi patriæque futurus esset ornamento atque splendori, repudiatis omnibus aliis, suum filio nomen indidit, atque Jo. Baptistam appellari eum jussit. Puero, præter docilitatem ingenii, incredibilis vis memoriæ suffragabatur; quæ est in paucis ingenii signum vel maximum. Itaque, quidquid illi a magistris ediscendum tradebatur, sive oratio, sive carmen, sive aliud quidvis, ita memoriæ custodiendum mandabat, ut ne syllaba quidem una diffugeret; quod est a pueris, ut oratoriæ institutionis magistri tradunt, obtinendum in primis, atque hæc consuetudo, memoriæ exercitatione quærenda. Cujus rei cum alias sæpe periculum est factum ab eo, tum præsertim, cum annos vix natus novem, insigni oratione, Reipubl. Genuensis Ducem, nuper electum, patris sui amicissimum, laudavit, Senatoribus multis, atque omni fere nobilitate audiente; ea alacris promptique ingenii commendatione, ut esset omnibus admirationi, ac vix credibile videretur, posse tantam in id ætatis puerulum cadere vim ingenii atque memoriæ. Undecimo ætatis anno missus est a parentibus Mediolanum, ut in Braydensi Societatis Jesu Collegio ab artium elegantissimarum magistris humaniores literas disceret. Quæ studia deinde prosequutus est Romæ, in gymnasio Patrum ejusdem Soc. ubi incredibile memoratu est, quos progressus effecerit. Ille, inter æquales nobilis, ceteris industria præire, clarius explendescere, classem ut dicitur ducere, præmia discipulis, in li-

literaria quasi palæstra viribus ingenii decertantibus proposita, in magna virorum principum atque omnium fere civium Romanorum corona, ceteris victor eripere: quod adolescentibus, gloriæ studiosis, non minori prope dixerim voluptati lætitiæque contingit, quam tota olim in Græcia iis, qui victores Olympiæ citabantur: ipse autem tantum in iis sibi laudis esse ducebat, ut, senecta etiam ætate, ea sæpius in manus sumeret, aspiceret, ostenderet: ac veteris plausus recordatione, ad novas laudes, quæ in eam ætatem, qua tum erat, convenirent, se mirabiliter excitari sentiebat. Quod autem ego de illius præmiis ac virtutibus assero, non ex auditu arguo, sed meis ipse oculis, cum spectaculo interessem, accepi. Nam, quamvis paucis illi annis essem ætate superior, ac propterea cursum meum jam transcurrissem; tamen ob usum amicitiamque, quæ mihi cum illo intercedebat, in Sodalitate Deiparæ Virginis Annunciatæ in Collegio Romano contractam, quam una cum illo frequentabam, non poterant, quæ de ipso commemoro, notitiam meam effugere. Sed, postquam ætate ex ephebis excessit, & studiis amotus puerilibus est, contulit se ad philosophos, ac triennium in Peripateticorum spatiis summa est cum laude versatus; inde ad Jurisconsultos transiit, quorum facultatis vim prope immensam, Bononiæ primum, tum Pisis, a summis Doctoribus hausit, eaque, quantum esset ad gerendam Rempubl. satis, pectus implevit. Noluit tamen Juris utriusque, Cæsarei ac Pontificii, publice interpretandi, ac consulentibus de jure respondendi facultatem, ut est moris, accipere, vel potius mercari; sed statim, ab artium pulcerrimarum studiis ornatus, a Philosophia, a Juris scientia instructus, ad Rempubl. suam accessit. Cujus capessendæ initium illud fuit, ut ab ea legatus una cum aliis mitteretur ad Petrum Cardinalem Aldobrandinum, Clementis VIII fratris filium, qui ex Gallia per Genuensium fines Romam iter faciebat, controversiis inter Henricum IV & Carolum Emanuelem, Sabaudiæ Ducem, ex utriusque voluntate compositis, ut nimirum Rex Bressam & regionem illi annexam, Dux autem Marchionatum Salutiarum, in quem ille Gallis, Henri-

eo III e vivis ſublato, in bellis civilibus occupatis, armatus invaſerat, obtineret. Verum quia, anni tempore adverſo, perpetui decidentes e cælo imbres Cardinalem non parum ſæpe conſiſtere, ac ſuſceptum iter cogebant abrumpere, frequens Jo. Baptiſtæ ſe dabat occaſio, Cardinalis ejuſdem adeundi, cum eoque ſermones in multam diem noctemque producendi: quorum ille ſermonum ſuavitate atque prudentia mirifice delectatus, primum ipſe per ſeſe, tum per inſignes quoſdam, ac primarios Antiſtites, qui in ipſius comitatu erant interpretes, egit, ut eum in ſuam familiam attraheret, maxima propoſita ſpe honorum atque præmiorum; quod tum, Pontificis maximi conceſſu, rerum ad eum omnium ſumma redierat. At ille, qui ſuæ ſe Reipubl. jam totum addixerat, non putavit, eſſe tanti ullas opes honoreſque, ut eos patriæ caritati anteponeret; ſed Cardinali, utpote in perſequendis officiis diligentiſſimus, de illa tam egregia in ipſum voluntate gratiis actis, ſimul ac per munus illud publicum, propter quod venerat, licuit, domum ſe recepit. Ubi quam diu ſe continuit, maximis ſemper Reipubl. in rebus interfuit, atque honoribus, qui illi mandabantur, eſt functus egregie; adeo ut anno CIↃ IↃ C XI Jo. Scagliæ, ſororis ſuæ viro, miſſo ad Regem Hiſpaniarum Legato de quodam caſtro, Saxello nomine, in intimis ditionis Genuenſium quaſi viſceribus ſito, quod olim Reſpubl. ab Auguſto Cæſare, cui illud vectigal pendebat, ampliſſimo diplomate obtinuerat; Gubernator autem Mediolani ad ſe ſuumque Regem pertinere defendebat; in hac legatione magna ejus opera Jo. Scagliæ, jam natu grandi, uſui fuerit: quod declaravit temporis brevitas, qua totum negotium confectum. Nam vix ſex menſes abierant, poſtquam domo diſceſſerat, quum eodem, re bene geſta, reverſus eſt; hoc eſt, impetratum id ſuis retulit, cujus gratia profectus in Hiſpaniam fuerat; videlicet ne Mediolani Gubernator, neve alius deinceps, qui regios in Italia exercitus duceret, ea de re moleſtus Reipubl. eſſet, in qua Regi Hiſpaniarum nihil juris eſſe conſtaret. Quæ res magnam Jo. Baptiſtæ ſtrenui, prudentis, accurati, ac diligentis viri famam confecit, ſuoſque cives in eam opinionem adduxit, ut

cre-

crederent, nihil in legatione aliqua, quæ Reipubl. causa susciperetur, fieri posse fortiter, prudenter, atque ex Reipubl. ejusdem dignitate, quod illius consilio & auctoritate non regeretur. Qua fama impulsus Iacobus Salutius, qui publice profecturus erat Legatus in Germaniam ad Matthiam Austriacum, ut Imperatoriam illi majestatem, nuper adeptam, gratularetur, e re publ. fore existimavit, si Jo. Baptista legationis illius sibi comes accederet. Quod cum perfecisset, nihil est opinione sua deceptus: nam illius consilio, quo par nemo illi erat, pristinum Reipubl. Genuensis Oratoribus apud Cæsarem dignitatis locum recuperavit, quem illi locum Maximiliani Cæsaris injuria, quo tempore Genuenses adversis multarum calamitatum fluctibus agitabantur, amiserant. Reversus ex Germania, vix Genuæ limen attigit, cum advenientem novæ difficilium negotiorum moles exortæ exceperunt, seque quodam modo ejus in humeros, ad quodvis publicum munus excipiendum aptos, rejecerunt; sicuti fuit Lunæ urbis Commissarii, ut vocant, jure ac nomine administrandæ provincia; quæ urbs munitissima, quoniam ex ea in omnia Genuensium ditionis loca aditus patet, cuipiam, nisi fidelissimis hominibus, committi non solet. Illi igitur ejus claustra loci, utpote fidelissimo atque ad resistendum fortissimo, sunt delata ac tradita. Quod munus totum annum cIↄIↄ C XI legationibus abstulit: ad quas adeo frequenter adhibebatur, ut vulgo perpetuus Reipubl. Legatus appellaretur. Neque minus alii quatuor, qui consecuti sunt, anni, quibus ejus domi opera fuerat necessaria, a legationibus abductum retinuerunt. Verum, anno cIↄIↄ CXVI tandem illis est redditus, ac missus in Hispaniam ad Philippum III: qua legatione diligenter ac fideliter ipso obeunte, Rex ille suo functus est fato. Regis morte habuit necesse, diutius quam per leges liceret, in Hispania consistere; nempe quoad pateret, quonam novi regis, Regni administrandi ratio consiliumque spectaret. Quo cognito atque perspecto, post integrum quinquennium reversus est in patriam; ubi Prætor Savonæ renunciatus, Jacobo Salutio successit, qui jam tempus suum expleverat. Id quod illi novo quo-

dam exemplo accidit, propterea quod Reipubl. bene gerendæ ratio pati non soleat, unum cognatum proximum post alterum in urbis cujuspiam administratione succedere. Deinde ejus opera vocata est ad persequendos bello latrones, qui, in illis regionibus, vitæ bonisque hominum insidias locantes, se cædibus ac rapinis explebant; quos etiam importuniores ferocioresque reddebat Ducis Sabaudiæ favor, infensi Genuensibus, quod Zuccarellum, cui ipse inhiabat, a Cæsare pecunia redimere ac suum facere conarentur; quæ præsertim causa Ducem illum anno cIↃ IↃ C XXV ad suscipiendum adversus Genuenses bellum impulit, instruxit, armavit. At eorum ille latronum conatus retardavit, impetus repressit, audaciam fregit, ac partim eorum armis delevit, partim perterritos coëgit fuga sibi consulere. Hoc tumultu sedato, maximos honestissimosque in sua civitate magistratus accepit; unde illi deinde anno cIↃ IↃ C XXV ad Senatorium ordinem gradus est factus. Tum vero homini in primis egregio latissimus apertus est campus virtutis animique sui roboris declarandi. Nam, præter innumerabiles labores, quos Senatorius ordo habet adjunctos, utpote a quibus tota Reipubl. bene gerendæ ratio dependeat, cæteri collegæ, qui, quantum esset in Jo. Baptista Reipubl. præsidii ornamentique, sentiebant, cum instaret a Sabaudis bellum, eum potissimum elegerunt, cujus opera ad conducendos undique milites, ad subsidia comparanda, uterentur; quæ ille omnia, ex Reipubl. utilitate, & ex patriæ dignitate ac salute perfecit. Cujus in patriam amor in eo præsertim eluxit, quod contradicentibus multis summa vi obstitit, ne Hispani, subsidio missi, urbem ingrederentur, sed eos intra munitiones tantum se continere permisit: quo facto patriæ libertatem, tum ab hostium tum ab amicorum insidiis periculisque, defendit, eamque in tuto collocavit. Volitabat tunc temporis circa ea littora cum exercitu Princeps Victorius a Sabaudia, ac magnam omnibus formidinem injiciebat, ne urbem Savonam, præsidiis fere omnibus nudatam, quæ traducta Genuam fuerant, in suam potestatem redigeret. In tanto igitur metu periculoque Jo. Baptista, oppidi defensione in se recepta, sum-

summo cum imperio ac potestate, una cum Augustino Centurione socio, ac magna nobilitatis multitudine, illuc est profectus. Qua re cognita vir ille princeps non est ausus oppidum obsidione atque oppugnationibus premere; nam Savonam exercitus duodecim millium, & eo amplius, virorum fortium numero, tum ex auxiliariis Hispanorum copiis, tum ex Genuensium delectibus conflatus, egregie tuebatur: qui exercitus non modo urbem ab hostium vi impetuque defendit, verum etiam strenue atque acriter dimicans, amissam oram maritimam recuperavit, &, progrediens longius, Ormeam aliaque propinqua oppida expugnavit, ac Genuensium ditioni subjecit: atque ea oppida Respubl. Genuensium usque ad annum cIↄ Iↄ C XXXII suis præsidiis munita tenuit, neque antea, quam pace cum Duce Sabaudiæ facta, dimisit. Quæ omnia Jo. Baptistæ auctoritate, virtute, consilioque fere sunt gesta. Sed Capriata, qui ejus belli res gestas elegantissima prosecutus est historia, nihil de illius laudibus, quas alii in cælum ferunt, enarrat, sed silentio involutas easdem in medio relinquit; memor videlicet injuriæ cujusdam ab Octavio Salutio, Jo. Baptistæ fratre, quem prior ipse læserat, sibi illatæ; in quo a legibus historiæ recessisse mihi videtur, quæ, scriptores rerum ab amore, ab odio, ab inimicitia, a partibus Reipubl. procul esse debere, præcipiunt. At nihilominus Jo. Baptista, bello confecto, ovanti similis rediit in patriam, ibique Senatorium ordinem, in quem jam, ut diximus, venerat, tenuit usque ad exitum anni cIↄ Iↄ C XXVI. Interea cœptum est agi in Hispania de pace cum Sabaudiæ Duce componenda: &, cum res tanta, tam ardua tamque difficilis, summa cum prudentia, atque ex Reipubl. dignitate, tractanda esset, quemnam potius illa deligeret, cui has partes demandaret, quam Jo. Baptistam, cujus in rebus agendis dexteritatem, in perducendis ad exitum fidem, in dolis, fallaciis, præstigiisque detegendis cavendisque calliditatem atque solertiam, tam multis in legationibus summæ sibi utilitati ornamentoque fuisse intelligebat? Et sane non minori opus illi fuit consilii, cautionis, prudentiæque præsidio, quod Comitis de Olivares machinis, callidis

consiliis ac technis opponeret; qui primo clam ac de insidiis, tum palam, integumentis omnibus dissimulationis ejectis, animum suum, Reipubl. Genuensium inimicum, aperuit. Nam ille vigilantia atque solertia, ne in hominis insidias caderet, cavit; tum, magnitudine animi consiliique, ne apertæ illius inimicitiæ, Reipubl. suæ quidquam obessent, effecit. At non erat facile invenire alterum, qui animosius (intra prudentiæ tamen fines) principibus viris, non solum inermibus, verum etiam armatis, sicubi res posceret, Reipubl. suæ mandata exponeret. Cujus excelsi imperterritique magnitudo animi tum præsertim enituit, cum sublatis duorum, non ætatis modo nostræ sed omnis fere memoriæ potentissimorum, Galliæ nimirum Hispaniæque, Regum animis, iisque jam non occultis odiis sed aperto inter se Marte bella gerentibus, Marchio Sanctacrucius, Hispanicæ classis summus Imperator, Gallos quosdam, qui prope Genuensium littora navigabant, comprehensos in vincula conjecerat: nam Jo. Baptista, qui, reversus ex Hispania, omnibus erat præcipuis Reipubl. muneribus functus, nempe iterum ad Savonæ urbis gubernacula admotus, Ærarii sancti Georgii, exteris etiam nationibus celeberrimi, Protector effectus, atque unus ex quinque supremis Syndicis electus, quorum sunt partes, in quadam quasi vigilia manere, omnesque Ducis, Senatorum aliorumque magistratuum acta & consilia animadvertere, notare, eorumque decreta rescindere pœnisque constringere, si adversus leges facta essent: Joh. Baptista, inquam, missus est, qui disertis verbis hanc Marchioni edictionem haberet; vel, ut Gallos, quos habebat in vinculis, missos faceret, vel, ut portu, quem tunc tenebat, excederet, nunc Vado nomine, sed qui antiquitus Vada Sabatra dicebatur; neve ad aliquem alium Genuensium ditionis portum accederet; cum sit usu receptum, ut nullus classibus Hispanorum præcludatur, sed omnes peræque illis advenientibus pateant. Qua Marchio edictione, summa vi animi orationisque a Jo. Baptista habita, commotus, non esse cunctandum statuit, sed continuo Gallos illos e vinculis eximendos dimittendosque curavit. Nonnulla per id tempus profecta sunt ab Hispanis, in

in quibus Respubl. Genuensium offenderetur; in his, quod naves Batavorum aliquot captæ ab illis essent, quæ Genua solverant. Hinc Rex Galliarum, fœderis amicitiæque cum Genuensibus conjungendæ occasionem se fuisse nactum existimans, ultro illius Regni sui opes viresque detulerat, ut iis, sine aliqua exceptione vel lege, suo ex arbitrio ac voluntate uterentur. His tam magnificis tamque liberalibus Regis illius pollicitationibus Genuenses adducti, non privatim sed publice Regi agendas esse gratias, communi consilio constituerunt. Nec fuit illis diutius deliberandum, quem mitterent; nam statim Jo. Baptista occurrit. Profectus est igitur Legatus in Galliam. Sed, dum Parisiis illud officii munus, cujus causa missus fuerat, accurate diligenterque prosequitur, accidit ut Hispani Genuensibus, quos offenderant, facerent satis, cum eisque redirent in gratiam. Quæ res ubi facta est palam, magnam illis offensionem ad Regem eosque, quorum arbitrio Regnum administrabatur, attulit. Ac, nisi Jo. Baptistæ studio, diligentia ac sollicitudine, ea offensionis illius quasi fax quædam exstincta esset, magnum adversus Genuenses bellorum excitasset incendium. Neque id Cardinalis Richelius tacitum habuit; qui cum, Hieronymo Grimaldo, nondum Cardinali, sed etiam tum, apud Regem Galliæ, Sedis Apostolicæ Nuntio, Jo. Baptistæ laudes in astra ferret, id quoque addidit; illius prudentia factum, ut parata adversus Genuenses arma, Regis extorquerentur e manibus. In qua legatione, magni etiam æstimata est ejus opera in Principe Jo. Casimiro, nunc S. R. E. Cardinali, restituendo, qui Gallorum custodiis vinctus asservabatur. Excitabat illum, ad Casimiri causam suscipiendum, Reipubl. suæ dignitas, in illius injuria non parum offensa, quod tum ille a Gallis captus vinctusque fuisset, cum Genuensium triremi vectus navigaret in Hispaniam. Quæcunque autem Jo. Baptista in hoc egit, fusius exponuntur in libro, impresso in Polonia, hac inscriptione: *Carcer Gallicus Principis Jo. Casimiri.* Fuit Gallica illa Legatio postrema earum omnium, quas Reipubl. suæ causa obivit. Quæ quantum commendationis habuerit, declaravit in primis illa Ludovici XIII Gal-

liæ Regis vox & oratio; qui Rex, cum ad ipsum Jo. Baptista, post expletum in ea aula quadriennium, officii honorisque gratia postulatum adiisset, ut, transactis jam suis partibus, sibi faceret abeundi potestatem, ceteris officiis beneficiisque, quibus eum ornavit, id quoque addidit, ut diceret, se posse liquido affirmare, & suam etiam in eo fidem interponere, neminem ex oratoribus, quorum magnus ad se numerus venisset, sua ab aula discedentem, diuturniorem jucundioremque sui nominis memoriam reliquisse, quam ipsum. Tot igitur gravissimis pulcerrimisque muneribus perfuncto, quidnam aliud nisi summa in sua Republ. dignitas amplitudoque deerat? Ad quam cum festinaret, ac prope jam esset ut eam assequeretur, paulo post, quam e Gallia Genuam redierat, festis Paschalibus anni cIↃ IↃ C XLII, annos natus LXIII, morte subversus cecidit in cursu. Fuit hoc luctuosum suis, acerbum patriæ, grave bonis omnibus. Nam dici verissime de illo potest, neminem suæ ætatis in ea Republ. extitisse, qui illum antecederet consilio, auctoritate, prudentia, in patriam amore. Ejus autem pietatis in Deum cum multa possint exempla proferri, non vagabitur oratio mea longius, sed ea alacritate definietur, qua Jo. Aloysium, filium natu majorem, in quo, ob singulare ingenium aliasque ingentes animi dotes, spes erat fore ut acceptam a patre gloriam multis, patriæ Reipubl. beneficio, augeret virtutibus, Christo petenti condonavit. Nam cum ille enixe per litteras ab eo postularet, ut ipsius voluntate sibi liceret Societati Jesu nomen dare, ad quam divini Numinis impulsu se attrahi & impelli sentiret, non solum sanctissimis justissimisque illius postulatis non restitit, verum etiam incredibili quadam magnitudine animi, a singulari in Deum amore studioque profecta, est eundem hortatus, ut vocantem trahentemque ad se Deum sequeretur, eidemque quam primum morigerus esset. Tantum illud admonebat, ut caveret, ne, repentino animi puerilis impetu abreptus, ad aliquod non satis maturum, nec satis bene excoctum consilium, cujus eum postea pœniteret, abstraheretur. Extant ejus ad filium hac de re litteræ, siccis ab eo oculis scriptæ, sed quæ sine multis lacrimis legi non possint.

Ve-

Verum ad has tantasque adeo excellentis ac divini prope hominis virtutes ac laudes, unum vitium est ausum obrepere, eisque se, ut dicemus, inserere; ut in eo præsertim sit comprobatum experientia, quod dicitur, nullam esse hominis gravitatem, nullam sapientiam tantam, quæ non cum aliqua levitatis imprudentiæque admistione jungatur. Hic vir, ita magnus, ita virtutibus omnibus cumulatus, qui posset ceteris consilio prudentiaque præesse, sycophantæ improbissimo nequissimoque illudendum diripiendumque se præbuit. Qui præstigiator Parisiis ad eum accessit, ac dicendi artificio, cui vix posset obsisti, persuadere homini cœpit, auri conficiendi, quam nemo unquam assecutus esset, rationem artemque apud se esse; ac: Si induxeris, inquit, animum mihi fidem habere, id quod verbis polliceor, re ipsa præstabo; sed opus est præsenti pecunia, ad aliqua in hujus artis usum coëmenda; neque id tibi mirum videatur; nam necesse est facere sumtum, qui lucrum quærit; at, si istud a te mihi subsidium nummarium suppeditabitur, perficiam brevi, ut Pichos, qui montes incolunt aureos, divitiis antecedas. Credidit vir rectus ac simplex, qui aliorum animos ex animo spectabat suo; ac non solum illi in præsentia pecuniæ, quantum poscebat, attribuit, verum etiam primo Parisiis, quoad ibi mansit, tum Genuæ, quo eum suo sumtu perduxerat, cibum ad mensam plenam affatim quotidie præbuit. Quid opus est verbis? Non aliud nebulo ille aurum ex eo artificio est visus exprimere, præter illud, quo suis sycophantiis præstantissimum hunc virum emunxerat.

LXXV. APPENDIX

de

IACOBO MARTINO MODONESIO, BARTOLDO NIHUSIO

IANUS NICIUS ERYTHRÆUS

S. P. D.

TRia profectò ætas hæc nostra vidit, nova, admirabilia, & quæ omnem fere fidem excedant; ad quæ credenda, nisi ea oculis accepissem, mea nunquam duceretur assensio. Primum, Martham Marchinam, virginem Neapolitanam, sed etiam tum infantem, Romam in parentum sinu delatam. Hæc a nemine, nisi fortasse divinitus, edocta, egregie, Græcam, Latinam, & Hebraicam linguam noverat; tum, philosophicis, theologicis, ac liberalibus omnibus disciplinis, non leviter erat sed literate perita; deinde, epigrammata Græca, sed Latina in primis, eleganter arguteque conclusa, fundebat ex tempore. Cujus elegantis ingenii formam, inter illustrium virorum imagines, qui mea ætate floruerunt obieruntque, referre non distuli. Alterum, non minus admirabile, quod ætas nostra conspexit, rusticanus quidam homo est, Benedicto Virgilii F. nomine. Hic, in obscuro pago, in asperrimis Samnitum montibus, natus, ab ineunte ætate, Patribus Collegii Rom. Soc. Jesu, ad maximas illas arationes, quas habent in Appulia, operas elocavit suas; cumque vix sciret legere ac scribere, postquam boves domum reduxerat, nulla cujusquam ope sed naturali quodam bono adjutus, ad scribendos versus se dabat; atque illustri poëmate, quod cum omnibus, ab aliis editis, eruditione elegantiaque æquari conferrique posse videatur, D. Ignatium Lojolam, qui Societatem Jesu fundavit, maximis atque verissimis prosecutus est laudibus. Postremo, id quod mortales omnes ad incredibilem admirationem effert, nostros ad se oculos puer, annos natus non amplius septem, attraxit,

xit, cui nomen est Jacobus Martinus Modonesius, ex ignobili agri Mutinensis pago, patre bajulo, ortus; ab eoque in spem ejusdem sive artificii sive exercitationis educatus, eo quod nollet filium, se majorem, habere; ut sæpe etiam cum eo, a quo erudiebatur, jurgio contenderet, ac quereretur, sibi filium eripi, & assidua illa exercitatione studiorum, quæ vires animi augeret, corporis minueret, minus eum aptum ad bajuli munus, cui destinaverat, reddi. Missæ sacrificium faciebat, ac fortasse Parochi partes agebat, in eo pago, Frater quidam Jo. Baptista Mezzettus Servita; qui, pueri, ac pene infantis, ingenium odoratus, ex memoria, qua, tradita sibi omnia, tenaciter comprehendebat, & quia suis eum imperiis obsequentem haberet, maximam in spem venit, posse se in illa quamvis infirmissima ætate, quoddam quasi ædificium, ex omnium doctrinarum aggregatione conflatum, excitare: memor fortasse Chrysippi, qui primum ætatis in puero tempus, etiam triennium illud quod nutricibus datur, dixit, aptum ad doctrinarum institutionem, neque verendum esse, ne earum intelligentiam capere, nec discendi laborem ferre posset, vix e gremio parentis egressus. Itaque cœpit, pene infantis mentem, optimis disciplinis informare; &, quod incredibile, ac, nisi experientia, rem ita se habere, doceret, stultum & ineptum aggressu videatur, tantæ molis initium non a rebus minimis, ut mos est, sed ab omnium maximis atque gravissimis, fecit; nimirum a sacris literis & a regina disciplinarum omnium Theologia, ac deinceps ad reliquas progressus est artes; hoc pacto: Docebat illum prius ejus, quam tradebat, artis vim definitione explicare; videlicet, quid sit Theologia, quid Philosophia, quid ars medendi, quid Juris scientia, quid Rhetorica, quid Grammatica. Nam, in omnibus hisce doctrinis, excultissimum eum conatus est reddere. Deinde jubebat addiscere, quænam sit illis subjecta materia, quam tractent & in qua versentur; tum quanam earum unaquæque ratione ac forma tractetur. Postremo docebat, unamquamque artem in partes tribuere, earumque nomina & definitiones assignare: atque inde occasione sumta, præcipua eidem rerum capita, quæ in singulis di-

disciplinis in disceptationem disputationemque vocantur, proponebat, suamque de illis sententiam aperiebat; quam ille acceptam, ingenii, quo præstabat, acumine, adversus quoscunque, qui vellent eam oppugnare, tuebatur. Sed audi rem miram. Tradebantur ea illi omnia, a magistro, Latino sermone, ac penitus in memoria defigebantur. Quid ergo? illud etiam assecutus est puer, ut usum consuetudinemque Latini sermonis consequeretur antea, quam præcepta Latine loquendi, quæ puerilis doctrina tradit, acciperet. Itaque verba effert, quæ nemo reprehendat, eaque casibus & temporibus, & genere numeroque, conservat. Quid opus est verbis? vix triennium intercesserat a prima Fratris illius Servitæ institutione, cum tantam vim doctrinæ & eruditionis assecutus esse visus est, ut nihil sit in unaquaque elegantissimarum artium adeo constructum atque reconditum, quod non illius intelligentiæ funditus pateat. Nam, quicunque periculum faciunt, in Theologicis, in Philosophicis, aliisque liberalissimis literis, iis se eorum, quæ scire æquum est eum, qui eas artes profitetur, solertissimum exhibet; neque quisquam est, in capiendo adversario, ita versutus, qui eundem in aliquos fallacis cujuspiam argumentationis laqueos induat. Omnes ille sedes, & tanquam domicilia, quarumcunque argumentationum novit; ille ea verbis definit; ille exemplis illustrat. Sex abhinc mensibus, venit in Urbem, continuo fama ejus adventus exivit, ac pervenit ad doctissimos viros. Dedit operam unusquisque, ac Pater in primis Sfortia Pallavicinus, ut eum nosset, aspiceret, quidque in literis posset, experiretur. Neque solum inventus est, opinioni, quæ de ipso erat, respondere, sed superior etiam existere, atque, omnium consensu, sic tum est judicatum, monstri ac prodigii cujuspiam simile videri, tantam vim doctrinæ & eruditionis in eam ætatulam convenire. Quod cum ad Quæsitores fidei esset delatum, quod suspicarentur, id quoque Dæmonum præstigiis posse contingere, est ab illis vocatus in jus; sed statim omnibus sententiis absolutus, atque insuper palma, eleganti opere elaborata, donatus. Voluit etiam (cujus causa Romam accesserat) aliquod peculiare suæ faculta-

tis

tis ſpecimen dare. Quamobrem, propoſitis tota Urbe edictis, auſus eſt, omnes, qui vellent, & quacunque de re vellent, in contentionem certamenque vocare; ac locum pugnæ, Ædem D. Marcelli, in via lata, ac diem ejusdem pugnæ feſtum Pentecoſtes, conſtituit. Qui dies cum jam adveniſſet, tum licuit videre populi Romani univerſi, erga puerum illum, ſtudium, qui nihil ſibi eſſe faciendum prius exiſtimavit, quam ut puerum ſeptuennem videret, cum doctiſſimis viris in literario certamine compoſitum, quæ ab ipſis objicerentur, quaſi tela, retundere atque rejicere. Ac, ne aliqua conventionis ſuſpicio oriri poſſet, ſimul ac quiſquam ad diſputandum accederet, ex omnibus omnium artium diſciplinis ſortito capiebatur, qua de re eſſet diſſerendum. Itaque tanti ad eum, omnis generis, ætatis, atque ordinis hominum, concurſus facti ſunt, ut iis non modo Ædes D. Marcelli, quæ ſatis ampla eſt, verum etiam viæ, Ædi proximæ, complerentur, neque illi, qui paulo ſerius veniſſet, quidquam eſſet difficilius, quam cubito, humero, ac toto corporis impetu, ſibi aditum in Ædem facere; adeo, ut Cardinales non pauci, paraſernariis & aulicis ſuis ſtipati, cum conarentur in confertam turbam ſe immergere, nec poſſent, cogerentur conatu deſiſtere, ac domum ſeſe recipere. Hujus diei plauſus fuit puero illi merces laborum ſtudiorumque ſuorum. Etenim, non ita multos poſt dies, circumfluens laudibus, ſed inanis a præmio, (ut ſcias, quantus hic virtuti ſit honos,) Bononiam verſus, Roma diſceſſit, una cum magiſtro, qui eum, non in ſuam modo gloriam, verum etiam utilitatem, peculiariter fovet. Ajunt, eum, in itinere, Florentiæ paululum conſtitiſſe, & a Mediceis illis Principibus, tum perhumaniter exceptum, tum muneribus ampliſſimis locupletatum. Ac, ſi aves ſcire, quonam genere veſtium utatur, habitu incedit militari, ſerico auroque diſtincto; lateri enſiculus adhæret, & longa pileo varii coloris pluma adjungitur. Vale. Romæ, V Idus Auguſti cIↄ Iↄ C XLVII.

IN-

8½6

INDEX IMAGINUM,

Quæ in his tribus Pinacothecis continentur.

Bzo-

INDEX.

Gra-

N.

